BIBLIOTHÈQUE DE LA REVUE D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE

FASC. 14

Statuta Capitulorum Generalium Ordinis Cisterciensis

AB ANNO 1116 AD ANNUM 1786

Quae ex libris praesertim manu scriptis collegit, recognovit, annotatione critica enodationibusque instruxit et

EDIDIT

D. Josephus-M[ia] CANIVEZ

ORD. CIST. REF.

TOMUS VI

AB ANNO 1491 AD ANNUM 1542

1491 – 1542

BIBLIOTHECA DOMUS GENERALITIAE S. ORDINIS CISTERCIENSIS

LOUVAIN

BUREAUX DE LA REVUE :

40, RUE DE NAMUR, 40

1938

INTRODUCTIO

Documenta nunc prima vice edenda hanc historiae ecclesiasticae periodum illustrant, quae supra modum infausta atque perniciosa habetur. Etenim ad ethnicos mores reverti videtur mundus ; perversitas omnia invadit, omnes inficit, ipsam quoque Curiam romanam necnon monasteria, quorum incolae ex instituto severiorem vitam voverant. Insuper, de malae consuetudinis vitiis, sive extra sive intra claustra saevientibus, nimia praelatorum Ordinis indulgentia facilius rei absolvuntur et in integrum restituuntur [1].

Aliunde vero, Lutheranae novitates varias regiones, immo integra regna, cum institutis monasticis ibi ab antiquo existentibus, ab Ecclesia catholica avellunt. Has calamitates et clades lamentatur Capitulum cisterciense [2], et omnem lapidem movet ut abbatiae adhuc regulari disciplinae fideles ab omni contagione immunes serventur. Subversioni a Luthero satae mox succedit Rusticorum bellum (1524-1525), quod centena mediae Europae monasteria funditus evertit. Trans mare, Henricus VIII, Angliae rex († 1574) prius « defensor fidei » et a Cisterciensibus honoratus [3], nunc infensus hostis Ecclesiae evadit. Monasteriorum bona temporalia, vi vel fraude, rapiuntur, spretaque sua sacra indole, amicis regis dono dantur. Extinguitur ibi, haud sine sanguinis effusione, ipsa institutio monastica ; plurimos inter martyres, recolatur tantum domnus William Thurston, abbas de Fontibus, occisus in Tyburn.

[1] 1491 : 64-69 ; 1492 : 52-57 ; 1493 : 54-63 ; 1495 : 50-54 ; 1496 : 63-68 ; 1497 : 79-83 ; 1499 : 62-64 ; 1500 : 45-48 ; 1501 : 57-64 ; 1502 : 51-56 ; 1503 : 44-50 ; 1505 : 35-36 ; 1507 : 41-45 ; 1508 : 30-40 ; 1510 : 32-33 ; 1511 : 49-54 ; 1512 : 36-38 ; 1513 : 47-55 ; 1514 : 41-48 ; 1515 : 36-44 ; 1516 : 41-45 ; 1517 : 46-50 ; 1518 50-57 ; 1520 : 59-71 ; 1521 : 54-63 ; 1522 : 37 ; 1523 : 35-42 ; 1524 : 45 ; 1526 : 49-55 ; 1527 : 25-27 ; 1529 : 52 ; 1530 : 55-63 ; 1532 : 58-60 ; 1533 : 35-37 ; 1542 : 75.

[2] 1518 : 49 ; 1522 : 10 ; 1523 : 7 ; 1533 : 8 ; 1540 : 7.

[3] 1515 : 77 ; 1531 : 48, 52, 61.

Per hos tamen annos, « Reformatio » ubique conclamatur ; unusquisque eam vocat, eam desiderat, eam laudat, de ea loquitur publice et per domos ; sed operi reformationis nemo manum admovet, aut saltem illud ad effectum salutarem adducit [4]. Sic apud Cistercium quoque accidit. Abbates Ordinis, qui olim, ex omnibus regionibus Europae gaudentes ad Cistercium, paucis tantum exceptis, properabant, celebrando Capitulo generali in Alma matre, iam paucissimi adsunt, ita ut eorum numerus ne sufficiat quidem ad adimplenda diversa officia in Ordinatione Capituli intitulata [5]. Sic in annis 1514 et 1541 octodecim, anno 1542 viginti quinque, anno 1512 triginta tantum abbates conveniunt ! Attamen parvulus iste iudicum et legislatorum coetus bono Ordinis viriliter adlaborat v. g. collegia iam instituta confirmando et alia de novo creando, ut ibidem iuniores monachi solida et sana doctrina catholica imbui possint [6]. Sed, proh dolor ! *Commenda*, vera plaga, vera monasteriorum pestis, in dies latius manat ; quot et quam gravia mala inde proveniant, Statuta nostra sat crebo et clare innuunt [7].

---

[4] 1491 : 22 sq. ; 1493 : 40-41 ; 1494 : 8, 35-56 ; 1496 : 25 ; 1497 : 14,22 ; 1503 : 11 ; 1517 : 9 ; 1521 : 7 ; 1531 : 13 ; 1542 : 46.

[5] 1491 : 9 ; 1492 : 8 ; 1496 : 45 ; 1497 : 88 ; 1504 : 7, etc.

[6] 1499 : 27, 43 ; 1508 : 44 ; 1491 : 15, 26 ; 1492 : 32 ; 1497 : 94-95, ; 1503 : 19, 24 ; 1506 : 12 ; 1518 : 78, 80 ; 1520 : 14, 20 ; 1491 : 25 ; 1492 : 32 ; 1496 : 42 ; 1508 : 44, 62 ; 1510 : 37, 42 ; 1513 : 9 ; 1514 : 69 ; 1515 : 17 ; 1520: 13, 58 ; 1523 : 45 ; 1495 : 31 ; etc.

[7] 1493 : 10 ; 1499 : 8 ; 1502 : 11 ; 1504 : 15 ; 1508 : 8 ; 1518 : 12 ; 1520 : 7 ; 1522 : 9 ; 1523 : 13, 10 ; 1524 : 8, 14, 18 ; 1526 : 10 ; etc.

SERIES FONTIUM MSS CUM SUIS SIGLIS.

Hic illos tantum recensemus codices qui ad praesentem tomum sextum contexendum aliquid contulerunt; cf. t. I, p. XVII-XXIII ubi uberior habetur enumeratio et annotatio.

Codex Abbatisvillae

Ms 31 (XVIII s.) passim quaedam continet statuta annorum 1502, 1503, 1504, 1506, 1507,1508, 1513 sq. **A⁴**

Documentum Bellaevallis

In archivo publico regionis Haute-Saône habetur folium separatum ex abbatia Bellaevallis, referens statutum anni 1495, nº 66. **Bel**

Codices Dunenses

Ms 176 (XVI s.) bibliothecae Seminarii Brugensis, id est antiquae cisterciensis abbatiae Dunensis, praebet quaedam statuta annorum 1492, 1507. **Du¹**

Ms 177 (XVI s.) eiusdem bibliothecae quaedam statuta annorum 1492, 1494, 1507 continet. **Du²**

Documenta abbatiae Sanctae Crucis.

In archivo abbatiae cisterciensis Sanctae Crucis in Austria asservantur quaedam documenta authentica a Capitulo generali emanata annos 1496 sq. concernentia; publicata fuerunt in periodico *Cistercienser-Chronik*, ann. 1901, p. 58 sq. **He**

Codices Lucernenses

Ex octo codicibus (XVIII s.) qui hodie in Archivo Status Lucernae asservantur sub nº 544,

L^5	tomus IV nobis praebet statuta annorum				1501-1512.
L^6	tomus V	»	»	»	1491-1501, 1513-1516, 1522-1524, 1526, 1527, 1529-1531.
L^7	tomus VI	»	»	»	1517, 1518, 1520, 1521, 1533, 1534, 1535, 1540, 1541, 1542.

(Collectiones plenissimae)

CODICES PARISINI

P^2 Ms 782 bibliothecae dictae de l'Arsenal, cuius transcriptor (XVII s.), saepe in forma abbreviata, refert selecta statuta ex duodecim registris authenticis ann. 1387-1557.

P^4 Ms 785 eiusdem bibliothecae inter alia continet *Articulos Parisienses*, i. e. statuta 36, 40-56 anni 1494.

CODICES TRECENSES

T^2 Ms 763 (XVI s.) Trecensis bibliothecae publicae quaedam statuta anni 1509 conservat.

T^6 In archivo publico Trecensi, sub nº 3 H 145 (iuxta novam ordinationem) servantur quaedam folia membranacea, a Capitulo generali emanata ; ex illis quoddam est anni 1504.

CODEX DUSSELDORFIENSIS.

U Ms C. 32 et 34 bibliothecae publicae dictae civitatis continet statuta quaedam ann. 1492, 1493, 1507.

CODEX LEODIENSIS

Va In archivo civitatis Leodiensis, in Belgio, inter multa documenta ibidem asservata ex antiqua abbatia Vallis Sancti Lamberti, leguntur statuta ann. 1502, 1515, 1540.

COLLECTIONES EDITAE

M *Thesaurus Anecdotorum* a D. Edm. Martène, t. IV, Parisiis 1715, col. 1642 sq.

No *Nomasticon Cisterciense*... a D. Juliano Paris... Paris, 1664 et 1670. Iterum edidit D. Séjalon, Solesmis, 1892 ; p. 548 leguntur *Articuli Parisienses* ann. 1493 publicati in Cap. gen. anni 1494.

W F. WINTER, *Die Cistercienser des nordöstlichen Deutschlands*, Gotha, 1868-1871, t. III, p. 351 sq.

1491

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1484.
2. Praeterea pro serenissimo... *etc. ut in anno* 1484.
3. Insuper pro burgensibus... *etc. ut in anno* 1449.
4. Ceterum pro pace... *etc. ut in anno* 1449.
5. Demum pro felicis... *etc. ut in anno* 1470.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... *etc. ut in anno* 1490.

PROCURATIO QUAEDAM GENERALIS

7. Praesens generale Capitulum sufficienter et debite congregatum, possetenus volens providere manutenentiae et conservationi iurium, libertatum et privilegiorum Ordinis, ac diversis emergentibus undique persecutionibus, incommodis et invasionibus, obviare, innumerisque malis et periculis imminentibus succurrere, matura deliberatione praehabita, pro bono, utilitate, honestate, defensione, tuitione, promotione et conservatione totius Ordinis et personarum ipsius, tam in generali quam in speciali, fecit, constituit, creavit et ordinavit, ac per praesentem diffinitionem facit, constituit, cr.at et ordinat venerabiles et in Christo carissimos... *(locus vacuus)* totius Ordinis Cisterciensis praedicti veros, certos, legitimos et indubitatos procuratores, syndicos, yconomos, negotiorum gestores generales et nuntios

---

1491. *Fontes* : *L*[6]: 1-76; *M*: 13, 36; *P*[2]: 1, 8, 10, 13, 36; *W abbrev.* 13 *et* 36.

[a] *Titulus apud L*[6] *tant.* [b] Sub Innocentio 8°, *etc. ut in anno* 1488 : *P*[2].

speciales, in omnibus et singulis causis, querelis, controversiis et negotiis huiusmodi Ordinis ac personarum eiusdem, motis et movendis, contra quascumque personas ecclesiasticas saeculares vel laycas, tam etiam pro ipso toto Ordine ac personis eiusdem quam contra praefatum Ordinem et singula ipsius membra, et eorum quemlibet in solidum coram quibuscumque iudicibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, tam ordinariis, delegatis, subdelegatis, quam arbitris et amicabilibus compositoribus in quocumque foro praesidentibus seu pro iudicibus, aut loco iudicum in iudicio sedentibus et locatenentibus eorumdem, dans et concedens idem Capitulum generale dictis procuratoribus plenam et liberam potestatem ac mandatum speciale agendi et dicendi pro toto praedicto Ordine, rebusque et bonis ipsius Ordinis ac omnium et singulorum monasteriorum ac membrorum et personarum eiusdem defendendi, conveniendi, reconveniendi de locis, iudicibus, locaque et iudices eligendi et nominandi, et si necesse fuerit, recusandi, advocandi, forum et iudicium declinandi, libellum seu libellos offerendi, et oblatum seu oblatos recipiendi, excipiendi, proponendi, replicandi, duplicandi, triplicandi et quadruplicandi, litem seu lites contestandi, iurandi quoque in animas nostras de calumnia seu veritate dicenda et praestandi cuiuslibet alterius generis iuramentum, quod in causis exigitur et postulat iuris ordo, ponendi et articulandi, positionibus et articulis pro parte adversa productis respondendi, testes, acta, privilegia, iura, consuetudines et instrumenta in et per modum probationis producendi et exhibendi, testes iurare videndi, dicendi in testes partis adversae seu partium adversarum, et eorum dicta reprobandi, ac etiam litteras, acta, privilegia et instrumenta pro parte adversa producta, copiasque productorum et exhibitorum petendi et obtinendi, in causa seu causis concludendi, compromittendi, paciscendi, transigendi et concordandi, prorogandi semel vel pluries compromissum suum seu compromissa sua, et ea fide et poena vallandi, et eis si expediens fuerit renuntiandi, ostensiones locorum faciendi, interlocutorias arbitrales et diffinitivas sententias audiendi, ab eis et quolibet gravamine iudiciali, vel extraiudiciali appellandi, appellationem suam, seu appellationes suas prosequendi, intimandi, innovandi, apostolicos expetendi et recipiendi, et super ipsis iurandi ; beneficium absolutionis simpliciter vel ad cautelam et restitutionis in integrum, si et quando necesse fuerit, impetrandi et obtinendi, recredentiam

de bonis et rebus ipsius Ordinis, ac omnium et singulorum monasteriorum ac membrorum, necnon personarum eiusdem petendi et obtinendi, omniaque Ordinis privilegia tam communia quam particularia, nova et vetera, ut interinentur secundum eorum formam procurandi ac prosequendi, eaque quotiens et ubicumque expediens et opportunum fuerit sive per se sive per alium publicandi, denuntiandi, defendendi, et ubi opus fuerit executioni demandari faciendi et agendi, ipsorumque infractoribus, per omnes iuris et iustitiae vias obviendi, et contra dictos infractores secundum tenorem eorumdem privilegiorum procedendi, fugitivos, apostatas et omnes et singulas personas Ordinis absque licentia et litteris in Ordine solitis discurrentes seu evagantes, ubicumque fuerint, capiendi, incarcerandi, puniendi et ipsas incarceratas seu captas a quibuscumque repetendi et cum expensis suorum monasteriorum ad propria remittendi, et generaliter faciendi et exercendi, praeter mutui contractum et contributionum seu aliquarum pecuniarum Ordinis receptionem, quas totus Ordo praedictus faceret, seu facere posset et deberet in praemissis et singulis praemissorum, et quae possunt et debent facere veri et legitimi procuratores, etiam si mandatum exigant speciale, ratum et gratum habentes et habituri, quidquid per dictos procuratores nostros vel eorum quemlibet actum, factum, gestumve fuerit, seu etiam procuratum in praemissis et quolibet praemissorum, promittens sub hypotheca et obligatione omnium bonorum ipsius Ordinis praedicti mobilium et immobilium, si necesse fuerit, iudicatum, solvi et iudicio sisti, cum suis clausulis opportunis. Datum, etc.

8. Omnes et singulas diffinitiones anno praeterito tam super taxa et impositione contributionum, quae incipit *Cum sicut in singulis*, quam alias quascumque in generali Capitulo editas et diffinitas, certis, iustis et rationabilibus causis motum, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

9. Cum propter dierum et temporum malitiam viarumque pericula, abbates, qui ad praesens generale Capitulum venire et comparere debebant, non venerunt, nec aliquas excusationes miserunt, generale Capitulum praemissis et aliis attentis et consideratis, benigne, misericorditer et de gratia speciali pro hac vice dumtaxat excusatos et supportatos habet, sententias et censuras quas ex privilegiorum et statutorum Ordinis vigore ex non comparitione incurrerunt, seu incurrere potuerunt, remittendo, ci-

tatis tamen et non comparentibus in hoc minime comprehensis, et nihilominus ad tractandum negotia Ordinis, quae magna sunt, idem Capitulum generale eos et quemlibet eorum ad comparendum in proximo sequenti Capitulo generali citat et citatos tenore praesentis diffinitionis, absque aliqua ulteriori aut speciali denuntiatione declarat, publicat et denuntiat.

10. Aegre ferens praesens generale Capitulum nonnullorum in romana Curia per Sanctam Sedem ad dignitates abbatiales seu beneficia Ordinis confirmatorum seu provisorum aut promotorum ingratitudines, qui non solum iuxta generali procuratori debita, scilicet decem ducatorum auri, pro quolibet monasterio vacanti et proviso in dicta Curia solvere et eidem de eisdem iuribus satisfacere, verum etiam, quod deterius est, labores et expensas et aliquando summas eisdem per dictum procuratorem concessas, et in prosecutione iurium ipsorum expositas retinere non verentur, in detrimentum et damnum eiusdem generalis procuratoris et Ordinis dedecus. Quibus abusibus et malis obviare et de remedio providere cupiens idem generale Capitulum, omnibus et singulis personis et subiectis Ordinis, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis latis per dictum procuratorem contra rebelles et inobedientes infligendis et promulgandis districtissime inhibet, ne de cetero post bullarum expeditionem habitam, Urbem exire praesumant quousque, iuxta antiquam et laudabilem consuetudinem hactenus in eadem Curia observatam, dicto procuratori de decem ducatis praemissis et aliis expensis et debitis praemissis plene et integraliter satisfecerint, seu cum dicto procuratori generali de praemissis concordaverint ; dans et concedens idem Capitulum generale eidem procuratori generali auctoritatem et facultatem tales per omnes iuris et iustitiae vias, ac per Ecclesiae et Ordinis censuras, sententias et poenas compellendi seu compelli faciendi, necnon bullas et alias expeditiones dictarum personarum arrestandi seu arrestari faciendi et detinendi, quousque de suis iuribus, stipendiis et sibi debitis plenarie eidem fuerit satisfactum ; invocato, etc.

11. Generale Capitulum cum magna gratiarum actione et cordis hilaritate obsequia et servitia non modica, quae venerabilis et egregius vir magister Iacobus du Breuquet, canonicus ecclesiae Cameracensis, regum litterarum apostolicarum magister, Summique domini nostri Papae cubicularius, tam in impetratione amplissimorum privilegiorum, quam in felici et votiva direc-

tione et prosecutione communium et particularium Ordinis et personarum ipsius agendorum et negotiorum, adeo ut Ordo noster quasi vacillari et collabi videbatur, tam per Dei gratiam eiusdem magistri Iacobi medio et solerti diligentia in suis praeeminentiis, libertatibus et immunitatibus reflorescere speratur, exhibuit, gravissimosque labores et sumptus, quos ad praemissorum prosecutionem et defensionem sustinuit provide considerantes et suscipientes, propter quae merito idem magister Iacobus multum venit collaudandus et remunerandus. Eapropter ingratitudinis vitium evitare, ac ea quae pro praefatis impetrationibus et prosecutionibus sibi debentur, salariis et stipendiis a retroactis temporibus eidem magistro Iacobo debitis summopere persolvere cupientes et volentes ; sed in praesentiarum ob guerrarum turbines et alios sinistros eventus qui, proh dolor ! in diversis mundi partibus viguerunt in promptis denariis minime persolvere possumus. Idcirco omnibus melioribus modo, via, iure, causa et forma quibus melius et efficacius possumus et debemus eumdem magistrum Iacobum du Breuquet praesentis diffinitionis serie et tenore creamus, constituimus et solemniter ordinamus nostrum et ipsius generalis Capituli ac totius Ordinis verum, certum, legitimum et indubitatum procuratorem, negotiorumque infrascriptum gestorem ac nuntium specialem et generalem ; ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec contra, videlicet specialiter et expresse ad nostro et dicti generalis Capituli nomine et pro nobis mutuo vel ad cambium aut alias prout eidem magistro Iacobo utilius visum fuerit, summam mille ducatorum auri occasione praemissorum salariorum et stipendiorum, sibi, ut praefertur, debitorum a quacumque persona seu in quocumque bancho aut banchis quorumcumque mercatorum, tam in romana Curia quam extra eam existentium petendum, exigendum, levandum et recipiendum, ac pro dicta summa mille ducatorum praedictorum totum Ordinem nostrum ac bona ipsius, tam in generali quam in speciali omnibus melioribus et securioribus via, modo et forma, quibus sciverit et poterit eisdem mercatoribus seu banchariis obligandum et hypothecandum litterasque obligatorias desuper necessarias et opportunas in dicta forma camerae apostolicae, si opus sit, una cum damnis et interesse dari, et persolvi consuetis dandum, conficiendum, et concedendum, ac ipsarum litterarum expeditione consentiendum, ac de pretio seu pretiis damnorum et

interesse receptionis et liberationis pecuniarum huiusmodi concordandum et conveniendum, terminumque seu terminos et locum, in quo vel quibus plenaria et integra solutio dictae pecuniarum summae, et eius seu earum damnorum et interesse fieri debeat aut debebit praefigi et assignari petendum et obtinendum, nosque ac totum Ordinem nostrum in eventum non solutionis pecuniarum huiusmodi et earum interesse loco et terminis in litteris obligatoriis huiusmodi specificandis et designandis, sententiis, censuris et poenis eiusdem Camerae apostolicae, et in meliori forma decerni solitis sponte acquiescendum, ac quibuscumque curiis ecclesiasticis et saecularibus, necnon coercitioni et iurisdictioni ipsius curiae Camerae apostolicae generalis auditoris, eiusque viceauditoris, locumtenentis, ceterorumque iudicum et commissariorum ecclesiasticorum et saecularium ex causa praemissa submittendum et subiiciendum, et de dicta summa quittantiam, seu quittantias validas et sufficientes nomine totius nostri Ordinis et Capituli generalis faciendum et dandum, et generaliter omnia alia et singula circa praemissa et ea tangentia agendi, faciendi, etc., promittentes, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

12. Visis, auditis et diligenter examinatis informationibus, processibus, actis et actitatis factis per abbates de Leynin, s. th. pr., de Choryn et de Coeli porta, auctoritate Ordinis, contra fratres conventus monasterii de Hylda, qui Dei spreto timore et suae salutis immemores, tamquam impii, iniqui, rebelles et inobedientes, in fratrem Gregorium, eorum patrem et verum abbatem praesumptuose, inverecunde et impie manus violentas iniecerunt, impudenterque et inhumaniter pessime tractaverunt ac toto suo corpore catenis ferreis, grossis et ponderosis vinculato ipsum ad carceres durissimos miserunt, et longo tempore usque nunc absque quacumque filiali reverentia aut misericordia durissime in pane doloris et aqua tristitiae tenuerunt prout adhuc detinent, ipsumque fratrem Gregorium abbatem contra formam et tenorem privilegiorum et statutorum Ordinis a sua dignitate abbatiali, praesente patre abbate eiusdem monasterii, deponere et alium instituere praesumpserunt, plurimaque enormia, scandalosa et in Ordine inaudita commiserunt et perpetraverunt, possibilesque sibi resistentias dictis abbatibus commissariis per

se et alios intulerunt, dederunt et procuraverunt, dictos abbates ac eorum processum ne super praemissis excessibus, criminibus et delictis, veritas sciretur, aut punitio debita fieret, impediendo ; quae omnia cedunt in derisum, dedecus, detrimentum, contemptum et vilipendium auctoritatis Ordinis ac personarum ipsius, necnon in periculum suarum animarum ac pernitiosissimum scandalum totius populi christiani, quae mala, crimina, excessus et delicta nolens praesens Capitulum generale sub dissimulationis pallio praeterire, sed prout cum Deo potest talia perpetrantes et eis consentientes debite punire, corripere et emendare volens, ne impunitas aliis praebeat incentivum delinquendi, idem Capitulum generale, matura et gravi deliberatione omnium Diffinitorum praehabita, attentis etiam aliis et mature digestis ex praemissis resultantibus, et consideratis in hac parte considerandis, solum Deum prae oculis habentes, ut ex eo iudicium prodeat et oculi nostri videant aequitatem, dicit, sententiat et diffinit pronuntiando dictos commissarios et eorum singulos omnia et singula in dictis suis informationibus, processibus, actis et actitatis, contra eosdem fratres bene, iuridice, sancte et secundum Ordinis formam egisse et fecisse, ac eorum commissionem executioni legitime demandasse, appellationemque per dictos fratres seu eorum procuratorem emissam et interiectam, necnon privationem et depositionem eiusdem fratris Gregorii, et electionem, creationem et institutionem de novo abbate in eodem monasterio de Hylda, tamquam contra ius, privilegia, statuta, ordinationes et diffinitiones Ordinis praesumptuose factas et celebratas, frivolas, irritas, inanes ac nullius vigoris et efficaciae fore et esse decernit, declarat, sententiat et diffinit, reponendo et reintegrando dictum fratrem Gregorium abbatem eiusdem monasterii de Hylda in eodem statu in quo erat, quando dicti fratres in eum, ut praemissum est, primo manus iniecerunt, declarando etiam dictos fratres et eorum quemlibet, necnon eorum fautores et adhaerentes poenas, sententias et censuras in privilegiis, statutis et diffinitionibus expressas et contentas incurrisse, ac secundum eorum demerita debite puniendos fore, et quia fideliter et laudabiliter dicti abbates commissarii onus sibi impositum impleverunt, de eorum virtutibus confidens idem Capitulum generale eis et cuilibet eorum coniunctim et divisim dat auctoritatem et potestatem, ut quamcitius poterunt ad dictum monasterium seu ad alia loca quae ad hoc iudicaverunt opportuna, accedant, magis in praemis-

sis culpabiles per incarcerationem et emissionem ad alia monasteria Ordinis, nonnisi ex ordinatione Capituli generalis reversuros, minus vero culpabiles per incarcerationem et alias poenas secundum exigentiam suorum demeritorum taliter puniendo et corrigendo, quod ceteris transeat in exemplum et terrorem ; patrem abbatem eiusdem monasterii de Hylda pro excessibus contra Ordinis formam in eodem monasterio, per eum commissis et perpetratis, ab omni iurisdictione et auctoritate paternitatis in eodem monasterio usque ad aliam eiusdem Capituli generalis dispositionem suspendendo, et in suspensum tenendo, quo tempore pendente, visitatio, reformatio et omnimoda dispositio eiusdem monasterii penes eosdem abbates et quemlibet eorum remanebit. Praeterea si aliquae deferantur aut producantur accusationes contra dictum fratrem Gregorium abbatem, eas recipiant et, auditis audiendis ac consideratis considerandis, per debitum iustitiae complementum cuncta decidant et terminent in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia, si opus sit, illustrissimi principis regionis illius seu quorumcumque dominorum principum, nobilium, communitatum, potentum, ecclesiasticorum vel saecularium auxilio et favore. Omnibus, etc.

13. Ad aures praesentis Capituli generalis deductum est abbatissas et moniales monasteriorum monialium de Valle virginea et de Bernsten[c] multas novitates contra Ordinis formam in earum monasteriis introducere, eligendo sibi praepositos saeculares, presbiteros, qui singula, ut dicitur, gubernant tam in spiritualibus quam temporalibus, novitiis habitum imponunt, singulaque bona temporalia gubernant et regunt, et plura alia faciunt omnino sanctae religioni dissona, in contemptum, vilipendium, dedecus et gravamen Ordinis ipsius, monasteriorum et personarum eorumdem. Quibus malis, abusibus et damnis providere et de remedio opportuno providere cupiens praesens generale Capitulum praefatis abbatissis et personis sub poenis, sententiis et censuris ecclesiasticis et Ordinis per abbatem de Colbatz[d] eorum visitatorem et patrem abbatem immediatum taxandis, mandat et praecipit, quatinus praemissa omnia et alia contra Ordinis formam facientia omnino ab se abdicant et relegent, dictosque praepositos presbiteros saeculares omnino expellant, deincepsque se regant per omnia tam in spiritualibus quam temporalibus secundum statuta

[c] Verusten *L*[6]*M* ; Vevusten : *P*[2]. [d] Colbath : *MP*[2].

patrum in diffinitionibus de monialibus, tam de clausura, vita in communi, confessoribus, capellanis, quam in aliis quibuslibet, nec praesumant de cetero per se eligere praepositos aut quoscumque officiarios, nisi de conscientia et ordinatione eiusdem patris abbatis, cui singulis annis fideles et integras computationes de universis receptis et expensis monasteriorum iuxta Summorum Pontificum et Ordinis institutiones faciant et reddant ; executionem praesentis diffinitionis eidem patri abbati committendo in plenaria Ordinis potestate.

14. Generale Capitulum devotis supplicationibus abbatis de Claromonte inclinatum benigne et de gratia speciali ut perpetuis futuris temporibus in eodem monasterio festum sancti Blasii, quod tertia februarii celebratur, solemniter cum XII lectionibus et duabus missis solemnizetur et celebretur, concedit et annuit, non obstantibus quibuscumque statutis, diffinitionibus et consuetudinibus Ordinis in contrarium factis. Datum, etc.

15. Generale Capitulum paupertati et desolationi monasterii de Villerio Metensi condolens et compatiens, abbatem dicti monasterii de gratia speciali ad annum a data praesentis diffinitionis computandum, a missione studentis in collegio Heidelbergensi supportat et excusat, supportatumque et excusatum tenet, non obstantibus quibuscumque commissionibus, in contrarium datis.

16. Attenta sincera affectione, quam abbas modernus de Begario dicitur habere ad litterarum et scientiarum acquisitionem praesens generale Capitulum, instante abbate de Claromonte, eidem abbati de Begario ut in Universitatibus Parisiensi aut Pictaviensi seu Andegavensi moram trahere, studia et lectiones frequentare et audire, necnon actus scholasticos exercere ac gradus requirere et suscipere possit et valeat, licentiam dat et facultatem, non obstantibus quibuscumque statutis, diffinitionibus et ordinationibus in contrarium factis. Datum, etc.

17. Manutenentiae, conservationi et defensioni iurium, privilegiorum, libertatum, statutorum, laudabilium consuetudinum et praeeminentiarum Ordinis et personarum ipsius pro posse, ut dignum est, favere ac contra earumdem infractores et invasores possibiles resistentias et defensiones adhibere et praebere cupiens, praesens generale Capitulum mandat et iniungit venerabili et circumspecto viro magistro Ioanni de Porta, procuratori generali Ordinis in Castelleto Parisiensi, quatinus in causa mota et pendente in dicto Castelleto inter fratrem Michaelem de Vitello,

Cistercii professum et quemdam fratrem Ludovicum de Menon, Ordinis sancti Benedicti, super dignitate abbatiali monasterii de Barbello contendentes, se nomine totius Ordinis et Capituli generalis cum dicto fratro Michaele contra dictum fratrem Ludovicum iungat, ac solerti vigilantia et sollicitudine, iura et libertates Ordinis et dicti fratris Michaelis praemissa prosequatur, tueatur et defendat.

18. Comparentibus in Diffinitorio praesentis Capituli generalis personaliter coram dominis Diffinitoribus abbatum de Lanvaulx et de Bonarequie procuratoribus, videlicet pro abbate de Lanvaulx fratre Guillelmo Fabri, et domino Mauritio Guileti presbitero pro abbate de Bonarequie, qui abbates in personis praedictorum suorum procuratorum fuerunt per eosdem dominos Diffinitores et organum Rmi D. N. Cisterciensis praesidentis dicti Capituli, increpati et reprehensi, quod diu et per multos annos ad saecularia et vetita iudicia contra statuta et privilegia Ordinis, quibus expresse sub gravibus poenis et censuris cavetur, ne personae Ordinis per Ordinis personas extra Ordinem et iudicium Ordinis trahantur, se invicem tractaverunt in praeiudicium Ordinis et statutorum eiusdem ac suorum monasteriorum depauperatione, dicti procuratores unanimi consensu humiliter receperunt reprehensionem, renuntiaveruntque omnibus processibus agitatis in eisdem iudiciis vetitis, promiseruntque dicti procuratores tantum facere quod dicti domini sui abbates omnino cessabunt ab illis iudiciis et se iudicibus Ordinis referent iudicium recepturi, prout ius dabit; quod si non consenserunt submissionibus eorum procuratorum ipso facto dicti abbates contumaces ex tunc per idem Capitulum generale reputantur et declarantur, deputatque idem generale Capitulum eisdem abbatibus ad insinuationem eorumdem procuratorum iudices abbates Ordinis de Begar et de Silva Melonis, qui per omnes iuris et iustitiae vias, partibus auditis, bonum et rectum iudicium ministrent, partemque condemnatam compellant ad subeundum iudicium, in plenaria Ordinis potestate.

19. Quia abbas de Colbatz refutavit et renuit recipere Ordinis commissarios, videlicet abbates de Lenyn, Chorin et de Porta coeli, qui pro evidentissimis causis et valde necessariis in partibus et monasteriis contentis in eorum commissione, erant commissi et deputati a Rmo D. N. Cisterciensi, auctoritate Capituli generalis et totius Ordinis plenaria fungente, praesens generale Capitulum

diffinit, dicit, sententiat et decretat dictum abbatem de Colbatz male fecisse ; praeterea quia dicti commissarii fuerunt gravati in expensis occasione huiusmodi refutationis, idem generale Capitulum diffinit eumdem abbatem de Colbatz debere reddere et solvere expensas rationabiles, quas dicti commissarii fecerunt a viciniori monasterio.

20. Idem Capitulum vult et ordinat ut scribantur litterae recommendationis ad dominos praesidentes Parlamenti Burgundiae in favorem abbatis et conventus de Maceriis, super quodam processu pendente in curia eiusdem Parlamenti in materia decimarum.

21. Generale Capitulum de quadam diffinitione, anno Domini M. CCCC XC facta, contra nonnullos abusus et deviationes a communibus Ordinis statutis in certis regni Poloniae monasteriis, videlicet Obra, Wangrowitz et Lynda observatis, ita ut in eis non nisi de civitate Colomensi ibidem ad professionem regularem recipiantur, iam magis sufficienter extitit informatum ; volens autem idem generale Capitulum nulli in hac parte praeiudicare nationi, ad petitionem et sufficientem informationem dominorum consulum civitatis Colomensis, necnon et aliorum fide dignorum relatione praedictam diffinitionem taliter intelligendam limitat, diffinit et determinat, quatinus praedictae civitatis cives et incolae tales ad praedicta monasteria suscipiendos ad nostram religionem ac professionem mittant, qui videlicet sint legitime nati et procreati, aetatis etiam legitimae et competentis iam litteraturae, maxime in principiis grammaticae artis aliqualiter fundati, ita ut nonnisi qui annum tertium decimum compleverint, et in scolis scolares fuerint, recipi in praedictis monasteriis debeant, inhibendo etiam praedictorum trium monasteriorum abbatibus, ac omnibus personis regularibus in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententiae poenis ne in contrarium quovismodo aliquid attentare aut contrarie praesumant ; quod si per eos observatum ita, ut praemissum est, non fuerit, praecipitur abbati de Paradiso nunc commissario et in futurum omnibus aliis praedictorum monasteriorum commissariis, quatinus ad praedicta sub censuris Ordinis hic insertis facienda eos compellant.

COMMISSIONES

22. Visitationem et reformationem omnium et singulorum

utriusque sexus monasteriorum et locorum regularium Ordinis in provinciis Cantuariensi, Eboracensi, Walliae, totiusque Angliae ac universalis provinciae Hyberniae, abbatibus de Fontibus et de Stratefordia, et cuilibet eorum committit cum clausulis per Rmum D. N. Cisterciensem addendis, in plenaria Ordinis potestate.

23. Ad idem abbatibus de Cupro, de Melros et Culros, et cuilibet eorum.

24. Visis litteris commissionis per Rmum D. N. Cisterciensem abbatibus de Lenyn, s. th. pr., de Choryn et de Coeli porta, et duobus eorum, ad visitandum et reformandum monasteria in locis et provinciis in eadem specificatis, contentis et expressis, et alias expeditis et directis, consideransque probitatem, sufficientiam et idoneitatem dictorum commissariorum et cuiuslibet ipsorum, certis, iustis rationibus et causis motum praesens generale Capitulum dictam commissionem praesenti diffinitioni annexam, cum omnibus suis clausulis et conditionibus approbat, ratificat et confirmat, ac in suo robore, eiusdem commissionis termino durante, continuat et corroborat, mandans eisdem commissariis, ut eam secundum sui formam et tenorem excecutioni demandent, in plenaria Ordinis potestate.

25. Totis praecordiorum affectibus generale Capitulum ampliationem et multiplicationem virorum doctorum et litteratorum in Ordine, atque salubrem et felicem collegiorum Ordinis manutenentiam et directionem anhelans et desiderans, cum ex eis potissimum decus, gloria et felix directio Ordinis resultent, singularique desiderio collegium Lipzense felicius deinceps per doctos et probos Ordinis patres regi et gubernari, ac multiplicitatem commissariorum dudum tam per Rmum D. N. Cisterciensem quam Capitulum generale, ad eiusdem collegii directionem deputatorum, ne ex eorum frequenti adventu in eo tam ipsum collegium quam scolares in eodem studentes graventur aut opprimantur, ab eo tolli et de bono docto et sufficienti commissario eidem provideri cupiens, certis et justis rationibus motum, omnes et singulos praefatos commissarios dudum, ut praemittitur, institutos, revocat et ab executione suarum commissionum penitus absolvit, et quia de probitate, sufficientia ac multiplicibus virtutibus abbatis de Lenyn, s. th. pr., ad plenum fuit informatum, sperans quod eius doctrina, providentia et prudentia ipsum collegium felicia reportabit incrementa, idem Capitulum generale eidem abbati de Lenyn committendo dat auctoritatem, potes-

tatem et facultatem idem collegium vel alia loca ad sequentia peragenda, quae iudicaverit opportuna, quotiens opus fuerit, personaliter accedendi, duos vel tres abbates convocandi et cum eorum provido consilio, ea quae reformationem et felicem directionem dicti collegii et studentium in eo concernunt, tractandi, agendi et faciendi, abbatesque et alios, qui secundum ordinationem eiusdem Rmi D. N. Cisterciensis ad dictum collegium scolares mittere debent, tam per excommunicationis, interdicti, quam etiam privationis et depositionis a suis dignitatibus abbatialibus, et aliis beneficiis et officiis, quas et quae obtinent aut forsitan obtinebunt, censuras, sententias et poenas viriliter et exacte ad mittendum et manutenendum suos scolares cum debitis et sufficientibus provisionibus in eodem collegio cogendi et compellendi, et generaliter omnia et singula faciendi et exercendi in eodem collegio, absque tamen auctoritatis et iurisdictionis, quas in eo praetendit abbas et monasterium de Vetericella, praeiudicio, quae posset facere et exercere Capitulum generale, si praesens adesset, quousque per eum aliter fuerit ordinatum et dispositum ; invocato, etc.

26. Ac idem praesens generale Capitulum committit abbatibus de Mulbron et de Schonaugia auctoritatem reformandi et restaurandi collegium Heydelbergense, revocando omnes licantias olim abbatibus Germanicae nationis datas pro scolaribus mittendis praeter collegia Ordini nostro deputata, nisi intervenerit consensus commissariorum eorumdem collegiorum ab Ordine deputatorum, in plenaria Ordinis potestate.

27. Abbatibus de Lanckem et de Bildhausen, salutem in Domino. Abbas et conventus monasterii Ebracensis exponi fecerunt praesenti Capitulo generali se habere et possidere quemdam censum pecunialem in quodam castello dicto Smalfeldt, necnon certa iugera lignorum combustibilium circa villam Trabbstatt, similiter in dicta villa habent aliquos pauperes permixtos inter alios, de quibus omnibus propter causas ex parte illorum allegatas, aut nullam recipiunt commoditatem, humiliter supplicando, ut eis licentiam et facultatem vendendi vel permutandi praemissa pro eorum utilitate concedere dignaretur ; et quia propter locorum distantiam, veritatem scire de praemissis difficile foret, insequendo privilegia, diffinitiones et statuta Ordinis, vobis committendo, idem Capitulum generale dat potestatem vos super praemissis et ea tangentibus debite, diligenter et sufficienter informandi,

informationeque debite peracta, si praemissa eidem monasterio Ebracensi inutilia et modici valoris fore inveneritis, eisdem abbati et conventui ad vendendum vel permutandum seu dandum ad annuum et perpetuum censum vel redditum, aut alias prout utilius invenerint licentiam ac facultatem conferatis et detis in plenaria Ordinis potestate, proviso tamen quod pecuniae inde receptae ad utilitatem eiusdem monasterii et non alias convertentur. Datum, etc.

28. Abbatibus de Eberaco et Bildhausen, salutem in Domino. Abbatissa et conventus de Margburhusen prope oppidum Erfordiae praesenti generali Capitulo exponi fecerunt se habere et possidere nonnullas vineas non longe a villagio dicto Holtzhusen adeo steriles et incultas, ut modicam vel nullam ex eis recipiant commoditatem, eidem Capitulo humiliter supplicando, ut eis licentiam et facultatem vendendi, alienandi, permutandi, vel ad censum annuum et perpetuum dandi praemissas vineas pro earum utilitate et commoditate dare dignetur. Et quia, etc. ut in alia.

29. Abbatibus de Laude, de Capella et de Fusniaco, salutem. Pro parte abbatis et conventus de Valcellis praesenti Capitulo expositum est, quod ipsi quosdam domos et grangias de Montesconnet et de Pesières habent et possident, quae propter earum ruinam et desolationem eisdem omnino quasi inutiles redduntur, humiliter supplicantes, ut ad eas dandum et concedendum laicis firmariis et colonis ad longos terminos ut ipsae domus et grangiae reparari possint, licentiam et facultatem dare et concedere dignaretur ; hinc est quod formam a sanctis patribus in Ordine introductam et iustitiam insequens idem generale Capitulum vobis et duobus vestrum committendo dat auctoritatem et potestatem vos debite, diligenter et sufficienter de et super praemissis informandi ; et si dictas domus et grangias eidem monasterio aliqualiter inutiles inveneritis, auctoritatem et licentiam eisdem abbati et conventui de Valcellis ad dandum, permutandum vel alias de eis disponendum ad utilitatem et commodum eiusdem monasterii dandi et conferendi, in plenaria Ordinis potestate.

30. Generali Capitulo cum omni humilitate pro parte abbatissae monasterii de Gaudio, prope Henbont, Venetensis dioecesis, expositum est quamdam sororem Ioannam Le Parisy contra voluntatem eiusdem abbatissae unam cameram extra dormitorium in angulo claustri eiusdem monasterii occupare et inhabitare,

in qua multae conspirationes et abusus, tam per regulares quam saeculares personas ipsum monasterium frequentantes fiunt et perpetrantur in maximum dedecus, damnum et scandalum eiusdem monasterii et personarum ipsius. Quibus malis obviare et de remedio providere cupiens praesens generale Capitulum, abbatibus de Claromonte, de Begario et de Langoneyo et eorum cuilibet committendo et districte praecipiendo, dat facultatem, auctoritatem et mandatum speciale ut, quamcitius poterunt, ad dictum monasterium, seu alia loca aptiora ad hoc, accedant, seu eorum alter accedat, et super praemissis et ea tangentibus debite, diligenter et sufficienter se informent, et debita informatione peracta, si praemissa esse vera invenerint, aut eorum alter invenerit, dictam sororem Ioannam, et alias seu alios in praemissis culpabiles taliter puniant et castigent quod ceteris in exemplum transeat et terrorem, dictam sororem Ioannam a dicta camera expellendo, et ad habitandum, dormiendumque in dormitorio districtissime per Ecclesiae et Ordinis censuras compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

31. Ad aures praesentis Capituli generalis deductum est abbatem de Fulcardimonte et quosdam religiosos monasterii de Sancto Andrea in Goufer, suae salutis immemores, voluisse veneno sub umbra cuiusdam medicinae, et alias intoxicasse abbatem modernum eiusdem monasterii de Sancto Andrea, pluraque alia nefanda et quasi inaudita commisisse in maximum dedecus et vilipendium totius Ordinis, personarum ipsius et populi christiani scandalum. Quibus malis et scandalis obviare et de remedio providere cupiens praesens generale Capitulum abbatibus de Claromonte, de Barbereyo et de Persenia, et eorum quilibet committendo, dat auctoritatem, potestatem et facultatem, et plenum posse ut quamcitius poterunt, seu alter eorum poterit, ad dictum monasterium de Sancto Andrea personaliter accedant, ibidemque visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant omnia et singula quaecumque secundum Deum et nostrae religionis salutaria instituta invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, insuper de et super praemissis et contentis in litteris praesenti diffinitioni sub sigillo Diffinitorum annexis et clausis, et ab eis dependentibus debite, diligenter et sufficienter se informent, seu alter eorum informet, et debita informatione peracta culpabiles in praemissis quos invenerint taliter puniant, corrigant et castigent quod ceteris tran-

seat in exemplum et terrorem, dictum abbatem de Fulcardimonte si sua exigant demerita, etiam a dignitate abbatiali privando et deponendo, et eidem monasterio de Fulcardimonte de novo abbate secundum Ordinis formam canonice providendo, in plenaria Ordinis potestate ; invocato, etc.

32. Abbatibus de Begario et de Silva maloen et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus ad monasterium de Bona requie, vel ad alia loca quae ad sequentia peragenda aptiora iudicaverint, accedant, seu alter eorum accedat, debiteque et sufficienter de et super debitis, oneribus et gravaminibus quibus, ut dicitur, dictum monasterium opprimitur et oneratur, necnon super certis antiquis nemoribus quasi inutilibus et eidem monasterio pertinentibus, se informent, et si debita informatione invenerint, seu alter eorum dictum monasterium sic debitis oppressum et obligatum, dictaque nemora, seu silvas eidem monasterio inutilia vel inutiles aut parum valoris existere invenerit, eidem abbati et conventui dandi ad censum vel redditum annuum et perpetuum, seu ad vitam vel prout commodius et utilius poterunt ad certam pecuniarum summam nemora seu silvas praedictas, in plenaria Ordinis potestate, proviso tamen quod pecuniae inde receptae ad redemptionem, liberationem et solutionem dictorum debitorum vel utilitatem potiorem eiusdem monasterii convertentur. Datum, etc.

33. Totis praecordiorum affectibus, vigilanti sollicitudine monasteriorum, locorum et personarum regularium Ordinis utilitatem, visitationem, reformationem et felicem directionem sitiens et desiderans praesens generale Capitulum, talesque visitatores et reformatores instituere studet, quorum providentia et sollicitudine ipsa monasteria, loca. et personae felicia reportare valeant incrementa. Quia igitur ad notitiam ipsius Capituli generalis per litteras serenissimi domini nostri Scotiae regis deductum est, monasteria et loca Ordinis visitatione et reformatione multum indigere, hinc est quod ad ipsius domini nostri regis instantiam, abbatibus de Cupro, de Melros et de Culros, et eorum cuilibet in solidum, de quorum discretionibus, prudentiis, fidelibusque diligentiis ad plenum confidens idem generale Capitulum committendo dat potestatem, auctoritatem et facultatem ad omnia et singula utriusque sexus monasteria et loca regularia, etc.

34. Generale Capitulum committit domino abbati de Firmitate, necnon abbatibus de Ursicampo et de Bonoportu et eorum

cuilibet, quatinus de meritis, gravaminibus et causis cuiusdam appellationis a fratre Carolo de Monte Jornali, scilicet pro abbate monasterii de Pinu gerente, die 12 mensis augusti novissime praeteriti, a nonnullis oppressionibus, sententia confirmationis factae de persona fratris Ioannis Marchenon et aliis gravaminibus in instrumento appellationis manu notarii praesentis Capituli generalis signato contentis et expressis emissae, se debite diligenter et sufficienter informent, dictosque appellantem et appellatum super dignitate abbatiali eiusdem monasterii de Pinu contendentes coram eis aut altero eorum ad certum et competentem diem et locum citent, et auditis audiendis, visisque iuribus et productionibus partium, consideratisque considerandis, dictam causam et materiam propter quam appellatum est summarie et de plano secundum Ordinis formam decidant, sententient et terminent, in plenaria Ordinis potestate.

35. Abbatibus de Campo Mariae et de Amelsborn et cuilibet eorum committendo districte mandat et praecipit generale Capitulum, quatinus ad defensionem et tuitionem iurium, libertatum, privilegiorum, exemptionum et aliarum immunitatum Ordinis, et maxime in causa seu causis pendentibus coram quibuscumque iudicibus contra abbatem et conventum de Bredelaria, in praeiudicium, gravamen seu laesionem aut infractionem iurium, libertatum, privilegiorum, exemptionum et immunitatum praefatorum ; sedula vigilantiae cura intendant, omnesque abbates, abbatissas, necnon monasteriorum et locorum rectores eidem monasterio de Bredelaria vicinos et in illa provincia existentes ad subveniendum et contribuendum defensioni et tuitioni praemissorum secundum formam in statutis Ordinis contentam, per omnes iuris et iustitiae, vias, ac per eiusdem Ordinis censuras astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

36. Cum omni humilitate et reverentia exponi fecit praesenti Capitulo abbas de Veteri campo, in dioecesi Coloniensi, quod sint tria aut quatuor monasteria monialium in partibus Westphaliae, quae a multis annis ab Ordine derelicta et sub reverendissimi in Christo patris domini Ordinarii iurisdictione usque in praesens gubernata extiterunt, et nunc divina miserante clementia dictus dominus Ordinarius et plures alii nobiles eorum monasteriorum fundatores, qui reformationem et felicem directionem praefatorum monasteriorum sincera devotione anhelant, requirunt et rogant, ut dicta monasteria ab Ordine recipiantur, Ordini incor-

porentur et reuniantur, reformenturque et de cetero regantur per patres eiusdem Ordinis, secundum formam et consuetudines ipsius Ordinis, quia idem Capitulum generale deperdita et ab Ordine alienata recuperare et cuncta loca sibi subiecta sub Dei iugo et sanctae religionis observantia dirigere quantum cum Deo potest summis cum affectibus desiderat, eidem abbati de Veteri campo committendo dat facultatem et potestatem dicta monasteria totius Ordinis nomine recipiendi et eidem Ordini reincorporandi et reuniendi, illaque regendi, visitandi, reformandi et alia necessaria in eisdem agendi, quae posset et deberet agere et facere secundum Ordinis formam verus pater abbas eorum immediatus, donec et quousque aliter per generale Capitulum fuerit ordinatum, in plenaria Ordinis potestate ; invocato, etc.

37. Cum propter lites, dissidia, querelas et processuum tumultus, quibus nunc, proh dolor! monasterium de Barbello super dignitate abbatiali in curia saeculari concutitur, plures dissolutiones et insolentiae inter personas ipsius monasterii in enervationem totius observantiae regularis in dedecus Ordinis et scandalum populi christiani oriuntur, super quibus nisi de celeri et opportuno remedio provideatur, ipsum monasterium in utroque statu maxime spirituali ruet et desolabitur ; quibus malis de remedio providere cupiens idem generale Capitulum abbatibus de Prulliaco, eiusdem monasterii patri abbati, et de Caroliloco s. th. pr., et eorum cuilibet committendo praecipit et mandat, quatinus quamcitius poterunt ad dictum monasterium accedant, seu eorum alter accedat, ibidemque visitent, reforment, instituant et destituant omnia et singula, quaecumque secundum Deum et nostrae religionis salutaria instituta invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, necnon de et super praemissis se informent, et informatione peracta, si fratres eiusdem monasterii in praemissis culpabiles invenerint, eos et quemlibet eorum, secundum exigentiam demeritorum puniant, ac eos ad verae religionis viam reducant, prioremque et alios officiarios signanter ad regimen spirituale in eodem monasterio sufficientes et idoneos instituant et ordinent, insufficientesque destituant et amoveant, in plenaria Ordinis potestate, invocato ad praemissa omnia et singula, si opus sit, brachii saecularis auxilio, etc.

38. Capitulum generale abbatibus de Sora, de Esrom et de Herivado, et cuilibet eorum, mandat et praecipit ut modis et

mediis possibilibus secundum formam in statutis, privilegiis et diffinitionibus Ordinis contentam et expressam, viriliter et exacte defendant, tueantur et protegant libertates, immunitates, exemptiones et privilegia Ordinis nova et vetera, loca et personas Ordinis, contra reverendissimum in Christo patrem, dominum episcopum Roskildensem, impetratorem cuiusdam commissionis a Sanctissimo domino nostro Papa, sub praetextu falsi, ut videtur, ad visitandum monasteria Ordinis in sua dioecesi existentia, omnibus et singulis abbatibus, abbatissis et aliis regularibus personis Ordinis in eadem dioecesi existentibus districte sub poenis et censuris Ordinis latius contra eas et quamlibet earum, si secus fecerint, declarandis, inhibens districtissime ne eidem episcopo in aliquo contra privilegiorum et statutorum Ordinis praemissorum tenores pareant seu obediant quovismodo, compellendo per Ordinis censuras abbates et abbatissas illius regionis quos et quas istud negotium tangit ad contribuendum in expensis huiusmodi defensionis, in plenaria Ordinis potestate.

39. Humili supplicationi abbatis moderni de Veteri campo, in diocesi Coloniensi, tamquam iustae et rationabili benigne annuens generale Capitulum, abbatibus de Veteri monte, de Campo Mariae et de ...*(locus vacuus)* et cuilibet eorum dat auctoritatem, potestatem et facultatem, ut quocitius ipse modernus abbas Veteris campi sponte eidem monasterio ac dignitati abbatiali eiusdem in favorem alicuius personae Ordinis sufficientis et idoneae et non alias, cedere voluerit, ipsam cessionem aut resignationem admittere et recipere, et eidem abbati cedenti pro residuo vitae suae aliquam gratiosam et rationabilem pensionem super fructibus eiusdem monasterii assignandi et assedendi. Quo in casu ex nunc idem Capitulum generale eidem abbati de Vet ri campo dat licentiam et facultatem huiusmodi cessionem et resignationem faciendi, dictoque monasterio sive sic sive per mortem aut alio quovismodo viduato et vacanti de novo abbate sufficienti et idoneo in Ordine professo secundum formam Ordinis electione canonica aut auctoritate Ordinis providendi, electumque seu provisum aut promotum instituendi et installandi, ac in realem et actualem possessionem eiusdem monasterii vel quasi ponendi et inducendi, aliaque omnia et singula circa praemissa necessaria agendi et faciendi, in plenaria Ordinis potestate, absque tamen praeiudicio auctoritatis aut iurisdictionis patris abbatis

immediati eiusdem monasterii, invocato ad praemissa, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore.

40. Ad idem, pro moderno abbate de Schonavia, Wormatiensis dioecesis, abbatibus de Eberbacho, Mulbruna et Bebenhusen, et cuilibet eorum, etc.

41. Abbatibus de Reigniaco, s. th. pr., de Quinciaco et de Marcilliaco, et cuilibet eorum per se et in solidum committit, quatinus diligenter et sufficienter informent de et super litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Fonteneto ex una, et Bertandum Guidonis, ac Nicolam eius uxorem partibus ex altera, de quodam molendino vocato molendinum de Cole, alias du Fain, cum pertinentiis suis, prout in eisdem litteris praesenti diffinitoni annexis plenius continetur, et si debita informatione inveniant dictum tractatum fuisse et esse factum ad utilitatem eiusdem monasterii de Fonteneto, illum cum omnibus et singulis suis clausulis, conditionibus et dependentiis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

42. Ad idem, abbatibus de Nigrolacu et de Pratea et eorum cuilibet committitur ad se informandum et confirmandum tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum de Fontemorum ex una, et Hugonem Champigny partibus ex altera, de quibusdam terris situatis in territorio de Dung le Roy, plenius in litteris super hoc confectis et diffinitioni praesenti annexis, declaratis et specificatis.

43. Abbatibus de Bonavalle et de Gratia Dei in dioecesi Pictaviensi, et de Sancto Leonardo in eadem dioecesi, committitur cuilibet in solidum, ut se diligenter informent super quibusdam querelis eisdem deferendis et declarandis contra fratres et religiosos monasterii de Grossobosco per abbatem eiusdem loci, et secundum quod invenerint, aut alter eorum invenerit, puniant aut puniat eos per omnes censuras et Ordinis disciplinas aut carceres, sive etiam absolvatis, si absolvendi forent, nisi defectus tales fuerint, qui ad Capitulum generale vel Rmum D. N. Cisterciensem cum informationibus clausis remittendi forent utique puniendi, in plenaria Ordinis potestate.

44. Quia propter multiplicitatem et ponderositatem causarum et materiarum diffiniendarum et terminandarum in hoc praesenti capitulo generali existentium, quae propter brevitatem temporis in Cistercio expediri non possunt, illas Rmo D. N. Cisterciensi et

BIBLIOTHECA DOMUS GENERALITIAE S. ORDINIS CISTERCIENSIS 1919

illis quibus in eo vocare voluerit, apud Divionem terminandas, diffiniendas et decidendas reliquit et remittit, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

45. Auditis et mature consideratis et digestis relationibus Rmi D. N. Cisterciensis super processu privationis, depositionis et destitutionis a dignitate abbatiali fratris Drouheti Henryon, necnon electionis, promotionis, provisionis, institutionis et installationis fratris Iacobi de Pontescisso, ad dignitatem abbatialem monasterii de Caroloco, Bisuntinensis diocesis, per ipsum Rmum D. N. Cisterciensem, praesentibus et coassistentibus sibi abbatibus de Bellavalle, de Theoloco et de Belloloco, eiusdem Bisuntinensis et Lingonensis dioecesium, audita etiam ad plenum certificatione dictorum abbatum super dicto processu, ac consideratis in hac parte considerandis, privationem, depositionem, destitutionem fratris Drouheti, ac electionem, promotionem, provisionem institutionem et installationem fratris Iacobi praefati, tamquam iuste, rite, canonice et secundum Ordinis formam factas et celebratas, prout in instrumento decreti, praesenti diffinitioni annexo plenius continetur, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, supplendo, etc.

46. Cessionem et resignationem novissimi abbatis de Nemore Sanctae Mariae, necnon electionem, promotionem, provisionem, institutionem et installationem fratris Anthonii dudum prioris in monasterio de Paradiso, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Nemore Sanctae Mariae, per abbates monasteriorum de Paradiso et de Bleso, tamquam rite et canonice auctoritate Rmi D. N. Cisterciensis admissas, acceptatas, factas et celebratas, prout, *etc.*

47. Cum propter dilapidationes et illicitos contractus perpetratos et factos per fratrem Mauritium, nuper abbatem monasterii de Alba landa, propter quae et alia sua demerita merito sua dignitate abbatiali meruit privari, necesse fuit sigillum commune conventus ac dictos tractatus tamquam in damnum et praeiudicium eiusdem monasterii sub sigillo eodem et per dictum fratrem Mauritium factos, cassare, annullare et irritare, prout in litteris desuper praemissis confectis et praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, quas quidem cassationes, annulla-

tiones et irritationes per abbatem de Fontibus factas tamquam iuridicas, iustas et rationabiles, certis iustis et rationabilibus causis generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

48. Visis, auditis et diligenter examinatis litteris processus seu sententiae privationis, destitutionis et depositionis fratris Mauritii, nuper abbatis monasterii de Alba landa, infra principatum Walliae, per abbatem de Fontibus, Ordinis commissarium, factarum et celebratarum, prout in eisdem litteris praesenti diffinitioni annexis plenius continetur, attentis insuper criminibus enormibus, casibus et delictis per eumdem fratrem Mauritium perpetratis et commissis, ac consideratis in hac parte considerandis, praesens Capitulum generale dictas privationem, destitutionem et depositionem tamquam bene, iuste et canonice factas et celebratas approbat, ratificat et confirmat.

49. Privationem, amotionem, depositionem et destitutionem sororis Ioannae, nuper abbatissae seu priorissae monasterii monialium Beatae Mariae de Cookchill, Wigorniensis dioecesis, necnon promotionem, provisionem, institutionem et installationem sororis Elisabeth Webbe, ad dignitatem abbatialem, regimen et administrationem eiusdem monasterii seu prioratus, prout in litteris... *etc.* per abbates de Fontibus et de Stratefordia auctoritate Ordinis, *etc.* approbat, *etc.*

50. Electionem, provisionem, promotionem, installationem et institutionem fratris Thomae Apriz, ad dignitatem abbatialem monasterii de Alba landa, per abbatem de Fontibus, auctoritate Ordinis, approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

51. Electionem, promotionem, institutionem et installationem fratris Ioannis Bright ad dignitatem abbatialem monasterii de Wardona, Lincolniensis dioecesis, per abbatem de Rievalle, auctoritate sua paterna, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

52. Ad idem, pro fratre Stephano Haller, ad dignitatem abbatialem monasterii de Novocastro.

TRACTATUUM ET PENSIONUM CONFIRMATIONES.

53. Visis, auditis et diligenter examinatis litteris pensionis viginti marcarum legatis monetae Angliae cum quibusdam cameris, iuribus, praerogativis et gratiis plenius et diffusius in instrumento publico praesenti diffinitioni annexi contentis, specificatis et declaratis fratri Roberto Charley, nuper abbati mo-

nasterii de Woburna, Lincolniensis dioecesis, tamquam bono honesto et benemerito patri, per Ordinis commissarios super fructibus, proventibus et emolumentis dicti monasterii de Woburna assignatis, datis et concessis, praesens generale Capitulum audita relatione nonnullorum Ordinis patrum super praemissis, et recognoscens dictam pensionem rationabilem, ac omnia praemissa, iusta et rationi consona fore, de gratia speciali omnia et singula praemissa, in dicto instrumento contenta et expressa, secundum eorum formam et tenorem cum omnibus clausulis, conditionibus et dependentiis, approbat, ratificat et confirmat, mandando abbati et conventui, qui nunc sunt, et pro tempore erunt, et nihilominus in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris ecclesiasticis et Ordinis, latius contra eos et eorum quemlibet per huiusmodi diffinitionis executorem taxandis et declarandis praecipiens, quatinus eidem fratri Roberto dictam pensionem terminis statutis solvant et cuncta sibi assignata et promissa integraliter adimpleant; executionem praesentis diffinitionis abbatibus de Fontibus et de Stratefordia et eorum cuilibet committendo, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

54. Visis et diligenter examinatis litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem et conventum monasterii de Buxeria ex una, et egregium virum magistrum Laurentium Blanchard, regis consiliarium, partibus ex altera, de quadam domo eiusdem monasterii sita apud Divionem in vico du Pautret, ad censum annuum et perpetuum sex libr. turon. singulis annis terminis statutis, eisdem abbati et conventui, seu eorum legitimo procuratori solvendorum, prout plenius in eisdem litteris super praemissis confectis et praesenti diffinitioni annexis habetur et continetur, audita prius ad longum relatione abbatis Bellaevallis, qui ex ordinatione Rmi D. N. Cisterciensis inquisitiones super dictis litteris debite fecit,attentaque et considerata utilitate eiusdem monasterii ex praemisso tractatu resultante, et consideratis in hac parte considerandis, matura et gravi deliberatione omnium Diffinitorum praehabita, praesens generale Capitulum eumdem tractatum secundum sui formam et tenorem cum omnibus et singulis suis clausulis, conditionibus et dependentiis, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

55. Ad idem, pro abbatissa et conventu Beatae MariaeRegalis, alias de Maloduno ex una, et honorabilem virum Petrum Reboulle, mercatorem de Pontisara, partibus ex altera, de quodam

eschambio, permutatione ac constitutione facta per easdem abbatissam et conventum decem librarum parisien. singulis annis, terminis statutis super molendino de Bart per eumdem mercatorem percipiendarum, sub certis conditionibus in litteris huiusmodi tractatus contentis et expressis, et praesenti diffinitioni annexis.

56. Prosperum et felicem statum collegii Sancti Bernardi Parisiis summe desiderans generale Capitulum, visis, auditis et diligenter examinatis litteris tractatus initi, facti et passati inter dominum Firmitatis nomine quo tunc agebat Rmi D. N. Cisterciensis ac totius Ordinis et Capituli generalis, fratres Iacobum de Pontescisso provisorem et Ogerium de Grangia cellerarium eiusdem collegii ex una, et honorabilem virum magistrum Iacobum Bagereau in venerabili curia Parlamenti Parisiis procuratorem, partibus ex altera, de quadam portione horti eiusdem collegii Sancti Bernardi Parisiis, ad certos annos et perpetuos ac irredimibiles censum octo den. paris. et redditum septem libr., decem sol. turon., prout per litteras eiusdem tractatus praesenti diffinitioni annexas plenius constat, audita prius super eisdem litteris et tractatu nonnullorum Ordinis patrum et aliorum fide dignorum relatione super non modica utilitate ex dicto tractatu, eidem collegio proveniente dictum generale Capitulum, certis, iustis et rationabilibus causis et rationibus motum, attenta maxime et considerata eiusdem collegii utilitate, dictum eiusdem tractatum cum omnibus et singulis suis clausulis et conditionibus approbat, ratificat et confirmat.

57. Ad idem, pro quadam portione eiusdem horti ad censum et redditum annuum et perpetuum ac irredimibilem octo den. paris. censualium et septem libr. decem sol. reddituallium eiusdem monetae, inter dominum Firmitatis, provisorem et cellerarium nominibus quibus supra ex una, et magistrum Ioannem Deschamps, procuratorem in Parlamento, partibus ex altera, etc.

58. Ad idem, pro simili portione horti collegii per dictos dominum et fratres ad annuum et perpetuum et irredimibilem censum et redditum octo den. paris. et undecim libr., quinque sol. eiusdem monetae, honorabili viro magistro Guillelmo Suffleau, in legibus licentiato, advocato in curia Parlamenti Parisiis concessa.

59. Ad idem, pro simili portione horti per eosdem sub censu et redditu annuis et perpetuis atque irredimibilibus octo den.

paris. et decem libr. decem sol. turon. honorabili viro Michaeli Lamy, procuratori in praefata Parlamenti curia, perpetuo concessa.

60. Visis et diligenter examinatis litteris pensionis assignandae sorori Aelisiae de Grebonal, professae et dudum abbatissae monasterii monialium de Virgulto, Cameracensis dioecesis, de summa duodecim scutorum, quolibet scuto valente et taxato undecim gros. monetae Flandriae, singulis annis, terminis statutis, super fructibus, revenutis et emolumentis dicti monasterii percipiendorum et eidem sorori solvendorum, prout in litteris desuper huiusmodi pensionis assignatione confectis, et praesenti diffinitioni annexis continetur et habetur, consensu insuper abbatissae et conventus eiusdem monasterii super praemissis, necnon meritis eiusdem sororis, quae diu et laudabiliter ipsum monasterium rexit, attentis et mature digestis et consideratis ad instantiam venerabilis patris magistri Iacobi du Breuquet, Sanctissimi domini nostri Papae cubicularii, etc., praesens generale Capitulum de gratia speciali dictam pensionem duodecim scutorum cum conditionibus, clausulis et terminis in praefatis litteris contentis et expressis eidem sorori Aelisiae, super fructibus, iuribus, petinentiis et emolumentis eiusdem monasterii de Virgulto, pro residuo vitae suae, creat, assignat et assedit, mandans et praecipiens idem Capitulum generale abbatissae, quae nunc est, et quae pro tempore erit, necnon conventui eiusdem monasterii in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis, censuris et sententiis per executorem, seu executores huiusmodi diffinitionis taxandis et promulgandis, quatinus infallibiliter et indilate, terminis statutis et assignatis, dictam pensionem eidem sorori, vel eius legitimo mandato aut procuratori singulis annis solvant, tradant et deliberent, seu solvi, tradi et deliberari faciant cum effectu; executionem huiusmodi diffinitionis cuicumque abbati Ordinis super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

61. Visis et diligenter examinatis litteris tractatus initi, facti et passati inter Rmum D. N. Cisterciensem et eius conventum ex una, et abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti partibus ex altera, de quadam domo seu grangia, sita in finagio de Summofonte, Trecensis dioecesis, vulgariter vocata Donum episcopi, eisdem de Vallelucenti pro pretio ducentarum et triginta librarum turon. vendita, prout in litteris eiusdem praesenti diffinitioni annexis, plenius continetur; auditaque relatione

nonnullorum Ordinis patrum, qui super praemissis debitas inquisitiones fecerunt, et utilitatem, quae eisdem monasteriis ex dicto tractatu provenit cognoscens, consideratis in hac parte considerandis, praesens generale Capitulum dictum tractatum cum omnibus et singulis suis clausulis, conditionibus et dependentiis approbat, ratificat et confirmat.

IUDICES

62. Dominis abbatibus de Firmitate, de Ursicampo, de Caroliloco, s. th. pr., et de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus si per testes fideles, litteras seu cedulas obligatorias, aut alia sufficientia documenta, quemcumque abbatem seu conventum, et quascumque personas Ordinis in quibuscumque pecuniarum, vini, bladi aut aliarum quarumcumque rerum summis iuste teneri et obligari abbati et conventui monasterii de Regalimonte, Ordinis nostri, in Belvacensi dioecesi, invenerint, seu alter eorum invenerit, ad eisdem abbati et conventui de Regalimonte seu eorum procuratori, aut certo mandato integre solvendum et satisfaciendum, citatis citandis, et auditis audiendis, per iuris et iustitiae vias, ac Ordinis censuras, astringant et compellant, seu alter eorum astringat et compellat, in plenaria Ordinis potestate.

63. Pro abbate de Prulliaco, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Regalimonte et de Ioyaco, et eorum cuilibet.

REHABILITATIONES

64. Ad instantiam abbatissae de Baptanto, iuxta civitatem Bisuntinensem, praesens generale Capitulum ab omni infamiae et inhabilitatis maculis et notis relevat et rehabilitat sororem Valentinam de... *(locus vacuus)* eiusdem monasterii religiosam professam, cum eadem misericorditer dispensando, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, super quo tamen, ut eidem generali Capitulo relatum est, poenitentiam sibi ab Ordine iniunctam humiliter et devote peregit, possit et valeat ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri et admitti ; omnibus et singulis eiusdem monasterii, necnon totius Ordinis personis firmiter sub poena talionis inhibendo, ne eidem sorori Valentinae occasione praemissorum quid-

quam improperii aut dedecoris inferant seu inferri procurent quovismodo.

65. De gratia speciali, instante abbate de Regalimonte, generale Capitulum fratrem Guydonem Burgen, professum in Monasteriis in Argona, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam contraxit seu contrahere potuit verberando et percutiendo usque ad effusionem sanguinis, etiam in claustro dicti monasterii, quemdam clericum Guydonem nuncupatum, servitorem sui abbatis, etiam sine licentia eundo et redeundo ad Hyspanias ad Sanctum Iacobum et manendo extra monasterium absque licentia, super quibus, ut ad aures ipsius Capituli generalis deductum est, poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, spondetque de cetero a relapsu se, divina protegente gratia, praeservaturum, relevat et rehabilitat, *etc.*

66. Praesens generale Capitulum de gratia speciali et ad instantiam abbatis de Albaripa, fratrem Robertum Garendea, professum monasterii Beatae Mariae de Castellariis, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam contrahere potuit quovismodo, introducendo quamdam mulierem suspectam in eodem monasterio de Castellariis, contra inhibitiones per patrem abbatem sub excommunicationis poena factas, relevat et rehabilitat, *etc.*

67. Praesens generale Capitulum, ad idem pro fratre Martino de Emirinio, professo Claraevallis, ad instantiam eiusdem abbatis Albaeripae, ut non obstante quod fuerit accusatus et notatus a quibusdam rusticis, super quibus durissimam, uti generali Capitulo relatum est, poenitentiam, ad omnes Ordinis actus, etc. inclusa abbatiali dignitate.

68. Praesens generale Capitulum super contritione et poenitentia fratris Ioannis Floriani, in ordine sacerdotali constituti, religiosi professi in monasterio de Elantio, ad instantiam abbatis eiusdem loci, super et quod tempore iuvenili, ipso existente in ordine diaconatus, furtive accepit et fregit quamdam archam parvam, seu scrinium, in qua dicebantur esse pecuniae, quas tamen non reperit, nec accepit, imo et cito post ipsam archam restituit, eodemque tempore tres mulieres suspectas celavit per duos dies in eodem monasterio, cum fratre Ioanne Derlon, super quibus patienter sustinuit poenitentiam longam et satis duram, cum eo misericorditer dispensat, *etc.*

69. Ad idem, pro fratre Roberto de Volenis, monacho professo in monasterio Longivadi, non obstante carnis contagio et

puerperio inde secuto et quibusdam furtis, idem Capitulum cum ipso dispensat, etc.

SUFFRAGIA

70. Universis et singulis sanctae matris Ecclesiae filiis praesentes litteras inspecturis, frater Ioannes, totusque, etc., salutem et charitatis operibus vitam promereri sempiternam. Ad omnium vestrum notitiam, tenore praesentium, deduci cupimus, quod cum religiosissimum monasterium nostrum monialium de Virginitate, Cenomanensis dioecesis, velut in nostrae sacrae religionis firmamento sydus splendidissimum clarissimis iugiter virtutum luminaribus et sacrae religionis observantiae floribus effulserit. Quia vero tam occasione guerrarum et divisionum inter principes, quae dudum in ambitu eiusdem monasterii cursum habuerunt, quam etiam pro conditione fragilitatis, necnon corruptibilitatis, rerum temporalium magna et potior eiusdem monasterii pars aedificiorum principalium corruit, idemque monasterium ad tantam paupertatem devenerit, ut nisi Christi fidelium subventionibus relevetur, ad finalem ruinam deveniet. Quare eisdem Christifidelibus meriti salutisque occasionem praebere, ac ipsum monasterium relevare cupientes, ad instantiam venerabilis et in Christo nobis praecarissimi coabbatis nostri monasterii de Claromonte, abbatissae et conventui eiusdem monasterii monialium de Virginitate, tenore praesentium, ut brachium sancti Fiacri gloriosissimi Dei confessoris, necnon alias quae habent reliquiaria per dioeceses, villas, civitates, castella, aliaque fidelium loca per honestos probos et idoneos viros regulares vel saeculares deferre et portare, seu deferri et portari facere possint et valeant, licentiam damus et facultatem ; et ut fideles eo liberalius manus porrigant adiutrices, quo bonorum spiritualium se uberiori gratia noverint esse dotatos, de Omnipotentis Dei misericordia confisi, omnibus et singulis fidelibus utriusque sexus, qui ad reparationem et sustentationem eorumdem aedificiorum, necnon ornamentorum ac luminarium ecclesiae de bonis sibi a Deo collatis dederint, aut miserint totiens quotiens id fecerint, omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, horarum canonicarum, etc. quae fiunt ac de cetero fient in toto Ordine nostro copiosissime per orbem universum, divino munere resperso, in vita eorum pariter et in morte concedimus et annui-

mus participationem et associationem spiritualem, praesentibus vero usque ad quinquennium in suo robore duraturis. Datum, etc.

71. Universis, etc. frater Ioannes, etc. salutem et orationum in Domino suffragium salutare. Gloriosissimum sanctae crucis signum, Dei martyrem sanctum Sebastianum, etsi congruis laudum praeconiis nemo mortalium digne efferre sufficiat, quantum tamen humana sinit fragilitas tanto attentius enim possibilibus laudum praeconiis extollere, atque ad extollendum alios provocare dignum reputavimus; quanto ampliora ipsius intervenientibus meritis coelestium donorum charismata, inimicorumque propulsiones nos adepturos speramus. Sane sicut venerabilis coabbatis nostri monasterii de Theoloco relatione didicimus, nonnullae personae utriusque sexus, eiusdem sanctissimi martyris amatores in ecclesia conventus fratrum eremitarum Ordinis sancti Augustini de Champlito inter se confraternitatem iniverunt, et ad gloriam et venerationem eiusdem gloriosissimi martyris annis singulis devotius recolendam astrinxerunt ; ut autem singuli Christi fideles ad huiusmodi venerationem devotius celebrandam, dictaeque confraternitati se libentius astringendum et associandum amplius animentur, dicti venerabilis coabbatis nostri de Theoloco supplicationibus inclinati, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus, qui iam in eamdem confraternitatem assumpti sunt, vel etiam deinceps assumentur, necnon omnibus et singulis Christi fidelibus, qui pro sustentatione et manutenentia eiusdem confraternitatis manus porrexerint adiutrices, et de bonis a Deo sibi collatis largiti fuerint, de Omnipotentis, etc. ut in praecedenti, ad quinquennium.

72. Admirabile sanctissimae crucis signum, quod erit in coelo cum Dominus ad iudicandum venerit, etsi congruis, etc., et supra in alio, usque « sane ». Cupientes igitur ut capella sub titulo et nomine eiusdem gloriosissimae crucis et sancti Iuliani de Lococristi fundata, et monasterio monialium de Gaudio prope Henbont, spectante et pertinente, debite frequentetur honoribus et in suis structuris et aedificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, utque Christi fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, et ad conservationem et manutentionem eiusdem, manus porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refertos, de Omnipotentis Dei misericordia confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus, etc.

73. Ad instantiam fratris Ioannis, abbatis Bellaevallis, generale Capitulum concedit plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt et fient in toto Ordine nostro, honorabili viro Nicolae Grenier, civi Bisuntinensi, necnon Anthoniae de la Perrière eiusdem consorti, ac liberis eiusdem utriusque sexus.

74. Item, pro honorabili, doctissimo ac nobili viro magistro Ioanni Chaudet, civi Bisuntinensi.

75. Item, pro honorabili viro Ogero Mutel, clerico Salinis commoranti, eiusdem consorti, ad instantiam abbatis de Bullione.

CONTUMACES

76. Generale Capitulum abbatem de Lucca, et fratrem Bernardum eiusdem monasterii professum, per fratrem Petrum de Braseyo ad hoc potestatem habentem, ad praesens generale Capitulum debite citatos et sufficienter expectatos, nec per se aut alios comparentes, contumaces, rebelles et excommunicatos declarat et denuntiat, omnibus et singulis abbatibus, prioribus, officiariis ac regularibus personis Ordinis in sacro presbyteratus ordine constitutis, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis et censuris Ordinis, mandans et praecipiens, omnesque et singulos dominos curatos vicarios, presbiteros, ac notarios seu tabelliones publicos in favorem et subsidium iustitiae requirens et rogans, ut unum alium non expectando, nec alter super alterum se excusando, dum et quotiens requisiti fuerint, aut alter eorum requisitus fuerit, dictos abbatem et fratrem Bernardum, sive per affixionem copiae praesentium aut alias prout melius poterunt, contumaces, rebelles et excommunicatos denuntient, declarant et publicent, seu denuntiari et publicari faciant et procurent, dans et concedens idem Capitulum generale abbati commissario in illis partibus, ut quotiens iidem abbas et frater Bernardus pro perpetratis poenituerint et humiliter absolutionem requisiverint, ac debita satisfactione emendationem promiserint, ipsos et quemlibet eorum absolvat.

1492

Anno[a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo[b] ac beatissimo domino nostro domino Alexandro, divina providentia Papa sexto, necnon pro reverendissimis in Christo patribus dominis sanctae romanae Ecclesiae cardinalibus et maxime pro reverendissimo in Christo patre domino Baptista de Ursinis, vulgariter nuncupato... *(locus vacuus)* nostrique Ordinis in Curia protectore benevolo, ac etiam pro reverendis in Christo patribus dominis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, abbatissis et pro religiosis omnibus sacerdotibus, clericis ac ecclesiasticis quibuscumque, dicantur tres missae, una videlicet de Spiritu Sancto, altera de Sancta Cruce, tertia de Beata Virgine, in monasteriis Ordinis universi.

2. Praeterea pro serenissimo... etc. ut 1491.

3. Insuper pro burgensibus,... etc.

4. Ceterum pro pace... etc.

5. Demum pro felicis... etc. ut supra 1491 habetur.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster Cisterciensis, universaque et singula membra et bona, tam in communi quam in particulari, et personae specialiter et expresse, veraciter ac iuste, domino abbati et conventui monasterii Cistercii, ac ipsi monasterio Cisterciensi sit obligatus in summa 25488 francorum seu florenorum aureorum, 3 grossorum argenteorum, de antiquo debito, ut plenius constat

---

1492. *Fontes* : *Du* 1 : 15 ; *Du* 2 : 15, 16 ; *L*6 : 1-64 ; *M* : 12, 14, 15 ; *P*2 : 1, 12, 14, 15, 16, 17, 22, 38 ; *U* : 16 ; *W* : 12, 16.

[a] *Titulus aqud L*6 *tant.* [b] Sub Alexandro 6º, Baptista card. de Ursinis nuncupato, *etc.* : *P*2.

per litteras patentes desuper die 13 mensis septembris anno Domini 1399 confectas, quas praesens generale Capitulum ratificat, approbat et gratas habet; necnon in summa 7521 francorum, 3 grossorum pro resta computationum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium nulla mentione hic facta de recepta ultimorum subsidiorum, quia necdum sunt arrestata, de et pro toto tempore praeterito, et oporteat Ordinem... etc, etc. ut 1491.

7. Omnes et singulas diffinitiones anno praeterito per generale Capitulum editas, diffinitas et factas, necnon diffinitionem super taxa et impositione contributionum quae incipit *Cum sicut in singulis*, etc. anno 1490, factam et in novissimo generali Capitulo confirmatam, tamquam iustas, sanctas et rationabiles, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

8. Cum propter dierum... *etc. ut in anno praec.* n° 9.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

9. Quia propter certa sua et aliquorum fratrum negotia frater Symon Rousseau, professus monasterii de Oratorio, ad praesens generale Capitulum advenit, idem generale Capitulum, omnibus in hac parte consideratis quae consideranda sunt, mandat et praecipit priori, conventui, rectoribus et administratoribus eiusdem monasterii de Oratorio, in virtute sanctae obedientiae, quatinus ipsum fratrem sine quacumque difficultate aut punitione in eorum consortium, sicut prius erat, in choro, conventu, claustro et alibi recipiant, ac sicut uni aliorum vitae necessaria ministrent, praesentibus usque ad duodecimam instantis mensis octobris. Datum, etc.

10. Generale Capitulum singulari affectu, gratiis et favoribus, abbatem de Veteri campo, in dioecesi Coloniensi, prosequi volens, de eius fidelitate et discretione confidens, dat ei auctoritatem, facultatem et plenum posse sex personas regulares utriusque sexus sibi subiectas, propter quoscumque casus, inhabiles, ab omnibus infamiae et inhabilitatis notis et maculis relevare et rehabilitare, et cum eis dispensare, ut non obstantibus criminibus, delictis et casibus per eas et earum quamlibet commissis et perpetratis, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates possint assumi et promoveri, in plenaria Ordinis potestate.

11. Graviter ferens generale Capitulum insolentias, abusus, delicta et excessus quorumdam religiosorum prioratus Sancti Salvatoris oppidi Antwerpiensis, qui suo priori occasione cuiusdam levis mutationis et alias rebelles et inobedientes existunt; hinc est quod priori eiusdem prioratus, qui est et qui pro tempore erit, mandat et praecipit idem generale Capitulum, quatinus indissimulanter, vitia, excessus et abusus dictorum fratrum puniat, corrigat et emendet, eos ad regulariter, religiose et sancte vivendum et conversandum, prout in aliis vicinis monasteriis Ordinis faciunt, agendo et compellendo, eisdemque religiosis districtissime in virtute sanctae obedientiae inhibet idem generale Capitulum ne deinceps ad mutationem prioris eiusdem loci procedi faciant, nisi dumtaxat in casibus pro quibus abbates deponuntur.

12. Generale Capitulum prioratum Sancti Salvatoris de Antwerpia singularibus cupiens prosequi [c] favoribus et gratiis, priori et fratribus eiusdem prioratus dat licentiam et facultatem, ut annis singulis in navi ecclesiae et loco eminenti die dedicationis dictae ecclesiae, sermonem publicum ad populum facere, et omnes utriusque sexus illo die ecclesiam dicti prioratus ad divina audienda dumtaxat introducere possint et valeant [d], ita tamen quod mulieres non intrabunt loca regularia eiusdem prioratus.

13. Generale Capitulum de sufficientia, fidelitate, idoneitate ceterisque virtutibus honesti viri Symonis Lambelin de Villebichot, Rmi D. N. Cisterciensis familiaris, sufficienter informatum, intuitu et contemplatione servitiorum suorum eidem Rmo D. N. et Ordini exhibitorum, idem Capitulum generale ipsum Symonem in nuntium Ordinis cum omnibus et singulis stipendiis, emolumentis, libertatibus, franchisiis, immunitatibus et aliis gratiis eidem officio spectantibus et pertinentibus, recipit, creat et ordinat, dans sibi auctoritatem et facultatem exercendi dictum officium, etc., et litteras de huiusmodi officio recipiendi cum omnibus clausulis opportunis.

14. Abbati et conventui Caroliloci benigne per generale Capitulum conceditur, ut perpetuis futuris temporibus, annis singulis in ecclesia dicti monasterii, festum translationis sancti Guillelmi dudum eiusdem monasterii abbatis, et demum Bituricensis archiepiscopi, solemniter celebrare possint et valeant.

---

[c] honorare : *M*. [d] *deest* : M.

15. Sanctam et salubrem esse cogitationem orare pro mortuis attendens generale Capitulum, iuxta Scripturae testimonium, praesenti diffinitione ordinat, ut deinceps singulis annis die commemorationis defunctorum, in exitu missae conventualis, conventus cum cruce et aqua benedicta, praesidente abbate, vel eo qui missam celebravit, circumeat cimeteria monasteriorum in septis illorum existentia, dicendo VII psalmos et responsoria defunctorum, prout abbati vel priori opportunum videbitur, aspergendo aquam benedictam, et in reditu revertantur ante maius altare, sicut fieri solet in regressu tumulationis fratrum, iuxta Ordinis statuta et usus ; et quoniam in pluribus monasteriis maxima comperitur, non tam negligentia, quam irreverentia circa cemeteriorum honestatem, et quae inter populares nullatenus permitteretur, praecipit generale Capitulum districtius universis abbatibus, prioribus et cellerariis, quatinus cum omni diligentia saltem infra proximum Pascha diligenter extirpari faciant vepres, spinas, urticas et quaslibet arbores maxime infructuosas, dicta cimeteria occupantes, illaque decenter claudant [e], ne boves et alia animalia loca sancta polluant et contaminent.

16. Devotioni multorum de Ordine et petitioni eorum acquiescens generale Capitulum ordinat quod deinceps in letania circa finem ante *Ut omnibus fidelibus*, etc., scribatur et dicatur hic articulus *Ut fructus terrae dare et conservare digneris, Te rogamus, audi nos*.

17. Generale Capitulum sufficienter informatum de probitate et idoneitate fratris Ioannis Metheier [f], prioris de Landesio, et nihilominus multi religiosi illius monasterii refutant et differunt debitam obedientiam et reverentiam sibi exhibere, unde in eodem monasterio multae fiunt insolentiae, quas dictus prior retundere et delinquentes punire non valet, generale Capitulum his abusibus obviare cupiens, eidem priori dat auctoritatem et facultatem exercendi officium prioris huiusmodi secundum tenorem usuum et statutorum Ordinis, necnon confessiones generales audiendi, scedulas bonorum sibi concessorum declaraturas secundum Ordinis formam recipiendi, ac alia faciendi in eodem monasterio et exercendi, quae abbas exercere posset, exceptis exercitiis ad dignitatem abbatialem specialiter spectantibus, aliis personis non abbatibus minime permissis.

[e] Claudere : *MP²*. [f] Methois : *P²*.

18. Generale Capitulum paci et tranquillitati fratris Iacobi de Geldria, professi monasterii Campensis, in dioecesi Coloniensi, providere cupiens, mandat et praecipit abbati praefati monasterii Campensis, quatinus eumdem fratrem Iacobum tamquam suum et sui monasterii professum recipiat ; quod si impedimentum aliquod rationabiliter obsistat, eumdem fratrem in aliquo Ordinis monasterio provideat, abbatem seu abbates, ad quem seu quos mittetur compellendo, ipsumque ab omni sententia excommunicationis et interdicti, si quam quovismodo incurrerit, generali Capitulo reservata, salutari mediante poenitentia, absolvat, et si bonum et iustum sibi videatur, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevet et rehabilitet, cum eo misericorditer dispensando, ut non obstantibus, delictis et criminibus per eum commissis et perpetratis, dummodo de ipsis poenitentiam egerit salutarem, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti, cum inhibitionibus et prohibitionibus in talibus fieri solitis et consuetis, in plenaria Ordinis potestate. Quocirca omnes et singulos Christi fideles et maxime nostri Cisterciensis Ordinis abbates, abbatissas, officiarios et regulares personas rogat, hortatur et monet praesens generale Capitulum, quatinus eidem fratri per eorum loca transeunti viae et vitae necessariis ac ecclesiastica sacramenta, si requisierit, ministrent, cui fratri eidem generale Capitulum dat in mandatis in virtute sanctae obedientiae, quatinus se conspectibus eiusdem abbatis Campensis infra primam diem instantis mensis novembris personaliter praesentet.

19. Ad audientiam praesentis Capituli generalis pervenit, quod fratres monasterii Montis Sanctae Mariae vendicant sibi et appropriant ac partiuntur inter se certas pecuniarum summas ascendentes annuatim pro quolibet eorum ad summam sexdecim florenorum, quae pecuniae sunt et fuerunt causa ruinae et deordinationis ipsorum ; unde et contra regulam proprietarii efficiuntur, praesens generale Capitulum per praesentes diffinitionem praecipit et mandat abbati praefati monasterii moderno et qui pro tempore fuerit, quatinus praefatas pecunias undecumque proveniant communi monasterii utilitati applicet, nec permittat praefatos fratres praedictas pecunias amplius recipere, sed singulis eorum, prout unicuique necessarium viderit de vestimentis et aliis necessitatibus, iuxta praefatam regulam, provideat, praecipiendo in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis, omnibus et

singulis ipsius monasterii sacerdotibus ad praesens et qui pro tempore fuerint, ne occasione applicationis ipsarum pecuniarum ad utilitatem et commoditatem ipsius monasterii quascumque missas in dicto monasterio fundatas et ordinarias quae ad praesens dicuntur, omittant, defectuosi vero pro qualibet vice ad abbatis arbitrium regulariter puniantur ; insuper ceteros articulos per fratrem Anthonium de Berghes praefatis fratribus concessos, videns praesens generale Capitulum erroneos et damnabiles, et contra praefati Ordinis honestatem illos perpetuo revocat, annullat et condemnat. Item, quia praefati fratres contra Ordinis disciplinam et regulae tenorem consueverunt hactenus ab Exaltatione sanctae Crucis usque ad carnisprevium inclusive sicut aliis temporibus coenare, praecipit idem generale Capitulum abbati et priori iam dicti monasterii ne ipso tempore eos amplius coenare permittant, sed unam tantum refectionem post nonam, et biberes post vesperas in locis consuetis, iuxta Ordinis consuetudinem percipient.

SENTENTIAE

20. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores huius praesentis Capituli generalis, notum facimus universis et singulis praesentem diffinitionem inspecturis et audituris, quod visis et diligenter examinatis informationibus, processibus, actis et actitatis, per abbates de Balerna et de Roseriis, a Rmo D. N. Cisterciensi commissis et deputatis, super quibusdam detestabilibus et enormibus abusibus, criminibus, delictis et conspirationibus quorumdam fratrum, videlicet Roberti de Juginis, Henrici de Vepria dudum de Claravalle, Ioannis dudum de Reigniaco, Guillelmi de Salinis, Ioannis de Valle alias Cadet, Stephani de Albergamenti, et Claudio de Foncinis, religiosorum professorum in monasterio de Monte Sanctae Mariae, qui suae salutis immemores, in eorum veri pastoris et patris spiritualis destitutione, depositione et privatione conspiraverunt, multaque flagitia, gravi animadversione digna, commiserunt et perpetraverunt, et quod deterius est, in dedecus Ordinis unum priorem conventus Eremitarum Ordinis sancti Augustini in abbatem eiusdem monasterii verbo et scripto eligere praesumpserunt, et pro tanti sceleris confirmatione ac robore, armatos in monasterio deduci procuraverunt, prout de eis et aliis multis criminibus latius in dictis

informationibus patet, attentis etiam et mature consideratis et digestis omnibus et singulis ex praemissis resultantibus, auditoque ad longum in Diffinitorio dicto fratre Roberto de Juginis, qui sponte et voluntarie reatum suum in praemissis conformiter ad omnia et singula in dictis informationibus, processibus, actis et actitatis contenta confessus est, habita prius inter nos gravi et matura deliberatione, ac consideratis in hac parte considerandis, Christi nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, ut de eius vultu iudicium nostrum prodeat et oculi nostri videant aequitatem, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam pro tribunali sedentes in his scriptis ferimus, dicimus et pronuntiamus dictum fratrem Robertum de Juginis, qui fuit unus de principalioribus conspiratoribus ac praemissorum flagitiorum, conspirationum et scelerum inventoribus, prosecutoribus et perpetratoribus, conspiratorem, irregularem et maleficum esse, ipsum propterea, ut praesentibus et futuris in exemplum transeat et terrorem disciplinam regularem publice in hoc Capitulo generali coram omnibus publice recepturum, necnon propter praemissa et alia sua demerita ad perpetuos carceres, in compedibus et manicis ferreis, in pane doloris et aqua tristitiae condemnandum fore censuimus, prout ipsum condemnamus ; fratres vero Henricum de Vepria dudum de Claravalle, Ioannem dudum de Reigniaco, Guillermum de Salinis, Petrum Roberti et Petrum de Valle praefatos, qui tamquam praemissorum scelerum, maleficiorum, conspirationum et flagitiorum conscii et culpabiles principales, Ordinis disciplinam et correctionem abhorrentes et fugientes, a praefato monasterio illicentiati discesserunt, ipsos fugitivos, apostatas ac ad quoscumque Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates perpetuo inhabiles, necnon contumaces, excommunicatos ac conspiratores, criminumque ac maleficiorum et conspirationum maledictos actores et fautores declaramus, pronuntiamus et sententiamus, mandantes et districtissime in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena praecipientes omnibus et singulis abbatibus, commendatariis, abbatissis, prioribus, priorissis, officiariis, rectoribus monasteriorum et locorum Ordinis, ut ubicumque praefatos fratres sciverint, aut eos seu eorum aliquem invenire vel apprehendere poterunt, ipsos sumptibus et expensis eiusdem monasterii Montis Sanctae Mariae, quas refundi infallibiliter faciemus, capiant seu capi faciant, strictissimis carceribus in vinculis ponant et detineant, quousque

contra eos et eorum quemlibet Rmus D. N. Cisterciensis, aut generale Capitulum sententiam consimilem vel maiorem secundum eorum exigentiam demeritorum tulerint ac pronuntiaverint; fratres denique Stephanum de Salinis, Ioannem de Valle alias Cadet, Stephanum de Albergamento et Claudium de Foncinis, qui prout ex praemissis, constat malitiose per alios praefatos conspiratores abstracti et seducti fuerunt, et eorum conspirationibus ac maleficiis adhaeserunt, eos carceribus in diversis monasteriis per praesentis diffinitionis executores, usque ad eiusdem Rmi D. N. Cisterciensis voluntatem et aliam dispositionem mancipandos et detinendos, et ulterius puniendos fore sumptibus et expensis dicti monasterii Montis Sanctae Mariae iudicamus et condemnamus, salva tamen in omnibus Ordinis misericordia. Quocirca abbatibus de Balerna, de Roseriis et de Bullione et cuilibet eorum damus in mandatis, quatinus in his quae in praemissis et circa praemissa executionem requirunt, et signanter ad emittendum et incarcerandum dictos fratres in diversis monasteriis, et abbates et officiarios et alios monasteriorum rectores ad hoc faciendum et patiendum, compellendum, necnon ad puniendum per poenas et censuras Ordinis omnes et singulos religiosos, donatos, conversos, familiares et alios, quos in praemissis culpabiles, fautores, auxilium, consilium vel favorem dantes invenerint, omni excusatione semota debite exsequantur, in plenaria Ordinis potestate; invocato, etc. Omnibus etc. Pronuntiatis in Capitulo generali publice die 13 mensis septembris anno Domini 1492, in praesentia fratris Roberti de Juginis et praedictae sententiae acquiescentis, per me notarium abbatem praefati Capituli generalis ex ordinatione praefati Rmi D. N. Cisterciensis et omnium patrum Diffinitorum.

21. Visis et diligenter examinatis informationibus per abbatem de Tribus fontibus, virtute et auctoritate commissionis Rmi D. N. Cisterciensis super quodam homicidio, ut dicitur, per quemdam fratrem Guidonem Bourgoys, professum de Monasteriis in Argona, in persona quondam Ioannis Mareschault de Velleta in Barzio commisso et perpetrato, generale Capitulum non volens super huiusmodi informationibus iudicium fundere, de probitate et fidelitate praefati abbatis de Tribus fontibus ad plenum confidens, eidem committendo districte praecipit et mandat, quatinus citatis, vocatis et auditis omnibus et singulis, qui propterea citandi, vocandi et audiendi fuerint, dicta et depositiones

testium in eisdem informationibus nominatorum debite et fideliter verificet et recolat, et cuncta aliquibus iurisperitis communicet, consilia et opiniones eorum desuper in scriptis redigendo, ipsasque informationes et alia ad huiumsodi causam servientia cum consiliis et advisamentis dictorum iurisperitorum ad Rmum D.N. Cisterciensem diligenter mittat, cui idem generale Capitulum cum omni humilitate supplicat, ut dictis informationibus et aliis quae videnda erunt visis et auditis audiendis in hac materia usque ad sententiam diffinitivam inclusive procedere dignetur; mandat autem et praecipit idem generale Capitulum eidem abbati de Tribus fontibus, ut interim expensis et sumptibus dicti monasterii de Monasteriis in Argona praefatum fratrem Guydonem sub tuta et fideli custodia in carceribus detineat seu detineri faciat; invocato, etc. Omnibus, etc.

22. Visis quibusdam informationibus per abbatem Igniaci virtute commissionis Rmi D. N. Cisterciensis contra fratrem Ytherium [g], abbatem monasterii de Altofonte factis et in scriptis redactis, cum nullus accusator contra dictum abbatem se praesentaverit, nec quisquam secundum iuris formam in eis se inscripserit, aut ad debitam probationem et poenam talionis se obligaverit, propter quae et alia in hac parte considerata et allegata dictae informationes invalidae, inanes ac frivolae redduntur, praesens generale Capitulum visis et auditis videndis et audiendis, et consideratis in hac parte considerandis, dictum abbatem de Altofonte comparentem, nullo contra eum agente a vitiis, criminationibus et aliis delictis, quibus per dictas informationes onerabatur et accusabatur, iustificat et purgat eum plenarie ab impetitione huiusmodi instantiae absolvendo.

COMMISSIONES

23. Audita relatione abbatis de Bullione super aliquibus abbatibus, qui per dictum abbatem Bullionis, auctoritate commissionis Rmi D. N. Cisterciensis debite requisiti et moniti, ut asserit, pro supportatione onerum et expensarum cuiusdam processus prosecuti in curia Parlamenti comitatus Burgundiae contra dominos commissarios regios in facto admortisamentorum per cle-

[g] Ythibium: P^2.

rum Bisuntinensem et sibi adhaerentes, quasdam taxas et quottas sibi impositas solvere differunt in contemptum, spretum et vilipendium auctoritatis eiusdem Rmi D. N. Cisterciensis et Ordinis, necnon praeiudicium et damnum suorum monasteriorum ; quibus malis obviare et de remedio opportuno providere cupiens praesens generale Capitulum, et ne ob defectum solutionis huiusmodi taxarum monasteria dicti comitatus cum toto clero dictae dioecesis detrimenta incurrant, attento quod iam alia vice in isto processu contulerunt, idem generale Capitulum omnes et singulos abbates et abbatissas in dicta commissione comprehensos, qui taxas sibi impositas pro huiusmodi subventione non solverunt, aut solvere distulerunt, renuerunt vel recusaverunt, pro primo, pro secundo et pro tertio ac peremptoriis terminis et monitione canonica, hortatur et monet et nihilominus in virtute sanctae obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis latius per praesentis diffinitionis executorem taxandis et declarandis, praecipit et mandat, quatinus infra proximum festum beati Martini hyemalis, praefatas taxas et quottas occasione praemissorum sibi impositas et taxatas, eidem de Bullione, aut eius certo et legitimo nuntio cum expensis rationabilibus integraliter tradant et solvant ; alias ex nunc prout ex tunc idem Capitulum generale dictos monitos et tam de principali quam de expensis solvere differentes, recusantes et renuentes, rebelles et inobedientes, excommunicatos denuntiat et declarat ; executionem praesentis diffinitionis eidem abbati de Bullione committendo, in plenaria Ordinis potestate.

24. Abbatibus de Firmitate, de Caroliloco et de Ursicampo, et cuilibet eorum committendo praecipit et mandat generale Capitulum, quatinus habitis, visis et diligenter examinatis litteris cuiusdam tractatus initi, facti et passati, per abbatem et conventum monasterii de Bonoportu, cum venerabilibus et religiosis patribus Coelestinensibus prope Meduntam super quibusdam permutationibus et excambiis quarumdam terrarum, vinearum, salinarium, decimarum, censuum, reddituum ac cuiusdam manerii demoliti, ut eidem generali Capitulo relatum est, inter eos factis, se diligenter, debite et sufficienter super huiusmodi tractatu informent, et si debita informatione dictum tractatum ad utilitatem et commoditatem dicti monasterii de Bonoportu invenerint, illum cum omnibus suis clausulis et dependentiis approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

25. Generale Capitulum certis, iustis et rationabilibus causis motum, mandat et praecipit magistris Ioanni Convault et Ioanni de Porta, procuratoribus Ordinis in curiis Parlamenti et Castelleti Parisiensibus, et cuilibet ipsorum, quatinus se adiungant cum fratre Carolo de Monte Iornali, pro abbate de Pinu gerente, in processu moto et pendente in curia Parlamenti Parisiis, contra et adversus quemdam fratrem Merchenon nuncupatum simul super dignitate abbatiali eiusdem monasterii de Pinu contendentes, processumque huiusmodi viriliter usque ad diffinitivam sententiam inclusive prosequantur. Datum, etc.

26. Conquerendo exposuit praesenti generali Capitulo frater Symon Rousseau, professus monasterii de Oratorio, quod nuper per abbatem novissimum eiusdem monasterii quoddam stagnum cum aliquibus pratis ruinosis sibi et cuidam fratri eiusdem monasterii, ad reparandum et reaedificandum ad eorum vitam tradita fuerunt, et quae stagnum et prata praefata debite reparaverunt ; nihilominus a paucis diebus citra, R. P. D. abbas Sancti Iuliani Turonensis se pro commendatario eiusdem monasterii gerens, dictos fratres a praedictis stagno et pratis privaverat et amoverat, propter quae ipse conquerens a dicto monasterio illicentiatus discessit et ad fratrem Michaelem Buffereau ius dignitatis abbatialis eiusdem monasterii in curia Parlamenti Parisiis prosequentem advenerat, officium sacristae quod exercebat relinquens, humiliter eidem generali Capitulo supplicans ut ad dicta stagna, prata et officium sacristae restitueretur, et in possessionem reintegretur, et quia propter nimiam distantiam a dicto monasterio faciliter huiusmodi quaestionis merita cognoscere nec propter incertitudinem super praemissis providere non potest, praesens generale Capitulum et iustitiae complementum eidem fratri conquerenti denegare non volens, de sufficientia et probitate abbatum de Claromonte et de Buxeria ad plenum confidens, eisdem abbatibus et cuilibet ipsorum in solidum idem generale Capitulum committendo praecipit et mandat, quatinus quamcitius poterunt, dictum monasterium personaliter accedant, ibidemque secundum Ordinis formam visitent, reforment, corrigant, instituant et destituant, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, omnia et singula, quaecumque secundum Deum et nostrae religionis salutaria iustituta invenerint visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, denique se debite, diligenter et sufficienter de et super praemissis, ac ab eis

dependentibus informent, et si debita informatione peracta, dictum fratrem Symonem conquerentem et consodalem ac confratrem suum iniuste privatos et destitutos ab eisdem stagno, pratis et officio, ac in praemissis gravatos existere invenerint, ipsos et quemlibet ipsorum in dictis possessionibus stagni et pratorum, necnon eiusdem officii sacristae et alias citatis citandis, auditis audiendis, et consideratis considerandis, reponant, restituant, conservent et interteneant ; contradicentes et rebelles seu obedire nolentes per ecclesiasticas sententias, censuras et poenas compescendo, in plenaria Ordinis potestate ; invocato, etc., omnibus, etc. Datum.

27. Abbati de Fontemorum praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter, debite et sufficienter informet de et super contentis in litteris tractatus initi, facti et passati per abbatem et conventum monasterii de Nigrolacu cum multis personis utriusque sexus in litteris super huiusmodi tractatu confectis, nominatis et specificatis, super traditione et liberatione ad annuum censum seu firmam annuam et perpetuam cuiusdam casalis grangiae, necnon quorumdam pratorum, terrarum, lignorum et aliorum haereditagiorum, plenius et diffusius in dictis litteris praesenti diffinitioni annexis declaratorum ; et si debita informatione dictum tractatum eidem monasterio perutilem invenerit, illum cum omnibus suis clausulis et dependentiis approbet, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

28. Ut quibusdam ambitiosis et infractoribus privilegiorum Ordinis via infractionis facilius praecludatur, praesens generale Capitulum conformiter ad statuta Ordinis, abbatibus germanicae nationis, et praesertim circa Rhenum, necnon commissariis universis ab Ordine in dicta natione deputatis, in virtute sanctae obedientiae mandat et praecipit, quatinus se privilegiorum, libertatum et immunitatum Ordinis defensores benivolos ostendentes et exhibentes, viriliter contra reverendissimum in Christo patrem dominum episcopum Wormatiensem, pro recuperatione monasterii seu prioratus de Ramosa, necnon adversus impetitorem quemdam saecularem canonicum, qui voluntate propria monasterium Vallis sanctorum sibi usurpasse dicitur, ac insuper adversus quoslibet alios privilegiorum infractores viriliter insistant, ac pro defensione iurium Ordinis et sustentatione ac prosecutione processus iam contra eumdem dominum episcopum Wormatiensem, tam in Curia romana quam coram abbate Sancti

Vincentii Bisuntinensis per Ordinis procuratorem incepti et prosecuti, iuxta Ordinis statuta et diffinitiones respective iuxta provinciarum limites, manus porrigant adiutrices, inter se gratiosam summam per modum contributionis particularis, secundum diffinitionum Ordinis tenorem, ad opus huiusmodi, si opus sit, imponendo, et cum Rmo D. N. Cisterciensi ac praefato procuratore Ordinis, qui processum huiusmodi adversus dictum dominum episcopum inchoari fecerunt, et pro aliis ut bona fiat prosecutio studiose Ordinis commissariis mandaverunt, intelligentiam bonam et firmam habendo.

29. Quia graves et difficiles ac numero plures materiae supervenerunt in praesenti generali Capitulo, quae in Diffinitorio expediri non possunt, praesens generale Capitulum dictarum materiarum decisionem, diffinitionem et determinationem, apud Divionem vel alibi fiendas, Rmo D. N. Cisterciensi, dominis de Firmitate et de Pontigniaco et abbatibus aliis, quos secum vocare voluerint, secundum morem laudabilem hactenus observatum in Ordine, committit, in plenaria Ordinis potestate.

30. Abbati de Nigrolacu praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite, diligenter et sufficienter informet de et super tractatu inito, facto et passato inter abbatem et conventum monasterii de Fontemorum ex una, et nobilem virum Guidonem de Mousson scutiferum partibus ex altera, de quadam venditione facta per dictos abbatem et conventum eidem de Mousson quasi coacti, ut asserunt, cuiusdam petiae prati, prout in litteris huiusmodi tractatus praesenti diffinitioni annexis plenius continetur ; et si debita informatione dictam venditionem fuisse ex coactione dicti emptoris, in cuius feudo dicta petia prati existere dicitur factam, ac pecuniam ex huiusmodi venditione receptam in utilitatem dicti monasterii conversam fuisse invenerit, illum eumdem tractatum cum omnibus et singulis suis clausulis et dependentiis approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

31. Omnes et singulas commissiones quibuscumque abbatibus et commissariis Ordinis in favorem scolarium mittendorum ad collegium Sancti Bernardi Parisiis, tam per Rmum D. N. Cisterciensem quam per idem generale Capitulum olim datas et concessas, praesens generale Capitulum continuat et renovat, mandans et praecipiens idem generale Capitulum in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis praefatis commissariis, quatinus omni excusatione semota viriliter et exacte suos commissiones secundum

earum formam et tenorem diligenter exsequantur, per poenas, sententias et censuras Ordinis, omnes et singulos abbates et alios curam, regimen et administrationem monasteriorum et locorum regularium Ordinis habentes et obtinentes ad mittendum et intertenendum suos scolares ad dictum collegium cum debitis et sufficientibus provisionibus secundum *Benedictinae* et statutorum Ordinis tenores et formas, cogendo et compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

32. Ad idem, pro collegio Tolosano. — Ad idem, pro collegio Oxoniensi in Anglia. — Ad idem, pro collegio Heidelbergensi. — Ad idem, pro collegio Lipzensi.

33. Cum pro impetratione et defensione privilegiorum Ordinis, supportationeque diversorum onerum ipsius et expensarum Capituli generalis ab origine et progressu sacri Ordinis aliquae contributionum quottae quolibet anno singulis monasteriis, nunc plus nunc minus generali Capitulo secundum varias Ordinis necessitates expedire visum est, fuerint impositae, tandemque propter varia humanae tempestatis incommoda, dictae contributiones in tantam venerunt diminutionem, et quasi nullitatem, ut ex eis agendorum Ordinis medietas feliciter dirigi et tractari non potuerit, piissimae recordationis dominus Innocentius Papa VIII, specialis amator, fautor et promotor Ordinis, de his sufficienter informatus non immemor uberum fructuum, quos ad decorem et exaltationem militantis Ecclesiae sacer Ordo Cisterciensis producere non cessat, evidentissimis necessitatibus Ordinis providere cupiens, apostolica auctoritate expressius mandaverit Capitulo generali et patribus Ordinis, praeceperitque sub magnis et formidabilibus censuris, quatinus consideratis ipsius Ordinis necessitatibus et agendis, consideratis etiam monasteriorum et locorum Ordinis facultatibus et recto iudicio inter se comparatis, huiusmodi contributiones ad legalem et rationabilem taxam reducerent, cuilibet quoque monasterio taxam seu astallationem dictarum contributionum imponerent, et taxarent apostolica auctoritate, universis et singulis abbatibus, commendatariis, receptoribus, officiariis et rectoribus monasteriorum sub excommunicationis poena aliisque censuris praecipiendo, quatinus summas per generale Capitulum, ut praemittitur, taxandas et imponendas fideliter et integraliter sine contradictione, appellatione postposita solverent, commissariis Ordinis ad hoc deputandis ; idemque generale Capitulum anno Domini 1490, Summi

Pontificis mandatis obedire, Ordinisque necessitatibus subvenire cupiens, quamdam rationabilem taxam huiusmodi contributionum, ut praemittitur, determinaverit, tamdiu dumtaxat intentione Capituli generalis duraturam, donec instantes Ordinis necessitates et debita per Dei gratiam absolvi valeant, praecipiendo sub dictis censuris et poenis, omnibus abbatibus, commendatariis et monasteriorum officiariis, tam religiosis quam saecularibus, apostolica et Ordinis auctoritatibus, quatinus dictas contributiones sub praemissa taxatione commissariis Ordinis persolverent. Ut salutaris haec ordinatio effectum consequatur, praesens generale Capitulum felix sacrae religionis regimen et progressum desiderans, praemissa astallatione seu contributionum taxatione, tamquam iustam et rationabilem, Ordinique necessariam et nulli monasterio Ordinis gravem seu importabilem, utpote quae vix centesimam omnium cuiuslibet monasteriorum fructuum unius anni partem attingit, cum censuris et poenis omnibus appositis, praesenti diffinitione confirmat, renovat et autorisat, declarando per sententiam diffinitivam omnes et singulos abbates, qui praefato, iuxta Ordinis statuta praesenti Capitulo generali praesentes esse debuissent, commendatarios, et monasteriorum officiarios, tam religiosos quam saeculares, qui sufficienter interpellati et requisiti, non solverunt dictas quottas et summae contributionum iuxta praedictam astallationem apostolica et Ordinis auctoritate, sententiam excommunicationis incurrisse, et nihilominus eisdem auctoritatibus tenore praesentium abbati vel abbatibus et cuilibet eorum, districte in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis poena mandando et praecipiendo, quatinus infra 30 dierum spatium a receptione praesentium declarent et pronuntient, seu denuntiari et pronuntiari faciant in capitulis monasteriorum suarum commissionum, necnon in ecclesiis circumvicinis omnes et singulos abbates, commendatarios et monasteriorum officiarios, qui contributiones secundum dictam taxam non solverint, ut praemittitur, esse excommunicatos ; et insuper quod sub eisdem censuris dictos abbates, commendatarios et officiarios monasteriorum sub suarum commissionum limitibus contentarum, tam religiosos quam saeculares, ut usque ad aliam generalis Capituli dispositionem, dictas contributionum summas et quottas ipsis commissariis, aut eorum deputatis, quolibet anno integraliter persolvant contradicentes et rebelles aut solvere renuentes viriliter et exacte per censuras et poenas in dic-

tis privilegiis et statutis Ordinis contentas, cogendo et compellendo ; idemque praeceptum dat eisdem abbati vel abbatibus de N. N et cuilibet eorum super recuperatione restarum contributionum et subsidiorum a quindecim annis usque in praesens, ut de omnium istorum veritate proximum generale Capitulum informent, dat insuper generale Capitulum eisdem commissariis, et eorum cuilibet mandatum speciale impetrandi et obtinendi citationes in forma debita a dominis conservatoribus privilegiorum Ordinis, tam in civitate Parisiensi quam alibi deputatis et deputandis, per quas huiusmodi commendatarios eorumque officiarios contributionum et subsidiorum taxas solvere renuentes seu recusantes aut differentes, aut forte appellantes, coram se citari faciant, procuratori Ordinis quod iustum fuerit responsuros ; et nihilominis dat generale Capitulum eisdem abbatibus commissariis et cuilibet eorum potestatem absolvendi resipiscentes et huiusmodi sanctae ordinationi obedientes, quotiens taxam sibi impositam cum arreragiis et rationabilibus expensis devote solverint, etc. invocato, etc., omnibus, etc. Datum, etc.

34. Praesens generale Capitulum debite et sufficienter congregatum gravi cum dolore considerans ac mature digerens gravissima Ordinis debita in bancho ad usuram, et apud multos tam ad succurrendum communibus Ordinis necessitatibus, quae a certis annis propter nova persecutionum genera aggravantur, quam propter non minus necessariam quam fructuosam et utilem amplissimorum privilegiorum, exemptionum, libertatum, immunitatum et gratiarum a Sancta Sede laboribus maximis, et solerti industria Rmi D. N. Cisterciensis ad instantissimam Capituli generalis requisitionem obtentarum, impetratarum, et quod nisi quamcitius banchariis et aliis creditoribus satisfiat, ipse dominus Cisterciensis ac totus Ordo maxima damna et detrimentum, necnon dictarum censurarum ecclesiasticarum declarationem et fulminationem, cum confusione reportabunt, sicut et iam diu est, reportassent, si non opportunis mediis fuisset obviatum ; quibus omnibus mature consideratis, idem generale Capitulum praefatum Rmum D. Cisterciensem ac totum Ordinem a tantis debitis, usuris, oppressionibus, damnis et inquietationibus eripere et liberare, ac indemnes, ut tenetur et iustum est, reddere cupiens, vidensque contributiones monasteriis virorum anno 1490 iuxta expressum Summi Pontificis mandatum ad certum tempus paululum in aliquibus ad altiorem summam taxatas, praemissorum solu-

tioni debitorum minime sufficere, communi omnium Diffinitorum sententia et decreto, prout in casibus similibus hactenus fieri solitum est, subsidium gratiosum et charitativum pro hac vice dumtaxat solvendum super omnibus militiis, monasteriis, prioratibus et locis monialium Ordinis, ubicumque situatis, praesertim cum sicut religiosi Ordinis gaudeant privilegiis et annuas contributiones non solvant, imposuit, ac praesenti diffinitione imponit, conformiter ad taxas et quottas ultimi subsidii anno 1489 impositi, quod pro monasteriis eiusdem summae cum annuis contributionibus, quae ad vices quoad sanctimoniales respective omnes et singula praefatorum monasteriorum et locorum abbatissas, priorissas, cellerarias, conventus officiarias et ceteras dictorum locorum personas affectuose hortando et monendo, quatinus ad tam pium et pernecessarium opus se sponte promptas et liberales reddant et exhibeant; si nihilominus ipsis cuiuslibet status, dignitatis, conditionis existant, et earum cuilibet respective in virtute sanctae obedientiae, et tam apostolica quam Ordinis auctoritate sub excommunicationis poena, aliisque sententiis et censuris, tam in privilegiis novis et veteribus quam statutis et diffinitionibus Ordinis contentis et expressis districte mandando et praecipiendo, quatinus praefato Rmo D. N. Cisterciensi aut commissariis deputatis aut deputandis, necnon eorum subdelegatis, seu ad receptionem huiusmodi taxarum nuntiis certis in singulis provinciis, regnis et dominiis commissis et deputatis, taxas suis monasteriis et locis impositas infra terminum per dictos commissarios et deputatos praefigendum indilate et integraliter tradant et persolvant. Cuius quidem diffinitionis et ordinationis executionem super monasteriis subscriptis committit N. sibi sub poenis et censuris Ordinis districtissime praecipiendo, quatinus omni dissimulatione postposita et cessantibus impedimentis invincibilibus, se ad omnia et singula monasteria, prioratus et loca subscripta transferat, aut fideles deputatos vel commissos in sufficienti auctoritate et potestate ad praesentium executionem transmittat, qui ibidem dictum gratiosum et charitativum subsidium iuxta taxas singulis monasteriis impositas, ut inferius notantur, petant, requirant, exigant, levent, et si fieri poterit, recipiant, de receptis quittantias expediant, si tamen Ordinis commissarii viderint taxas ipsas propter nimiam a Cistercio distantiam, ac per hoc ignorantiam valori monasteriorum minus rationabiliter distributas, pro pace et quiete inter membra Ordi-

nis intertenenda, consentit et ordinat generale Capitulum, quod ipsi taxas ipsas in melius distribuant, seu assideant, iuxta valores dictorum monasteriorum, dummodo summae totales suarum commissionum non diminuantur. Contradictores vero et rebelles, aut solvere renuentes seu differentes per dictas poenas et censuras, non obstante appellatione quacumque, sed secundum formam privilegiorum a Sancta Sede, et maxime per f. r. dominos Pium II, Sixtum IV et Innocentium VIII concessorum, viriliter et exacte ad solvendum dictas summas in expensis rationabilibus, tam in vim dictorum privilegiorum apostolicorum, quam in plenaria Ordinis potestate, cogant et compellant, ita tamen ut pecuniae ipsae impositae monasteriis Galliae et partibus circumstantibus infra proximum festum Epiphaniae Domini ; summae vero monasteriis, prioratibus et locis extra regnum Franciae et loca circumvicina situatis impositae, infra proximum Pascha domino Cisterciensi ad solvendum in bancho, et ad alias Ordinis necessitates tractandas, cum debitis computationibus per scriptum, quid et quantum a quolibet monasterio et loco Ordinis receptum fuerit, infallibiliter praesententur et exhibeantur, ut futurum generale Capitulum de singulis plenam habere possit notitiam ; invocato, etc., omnibus, etc.

35. Abbatibus de Ellantio et de Longoponte, ac cuilibet eorum, praesens generale Capitulum mandat et praecipit, ut diligenter se informent, aut alter eorum se informet super certa scedula seu promissione, quam fecit abbas Bonifontis vi et metu armorum ut dicitur, ad utilitatem fratris Nicolai de la Ferrée, professi monasterii Vallisregis, prout in supplicatione huic diffinitioni annexae, plenius constat ; et si invenerint dictam scedulam seu promissionem iniuste factam fuisse, ipsam cassent, revocent et anullent, eidem fratri Nicolao molendinum dictum Estorel, quod detinet, auferendo, eumque super tanta temeritate iuxta delicti exigentiam puniendo, in plenaria Ordinis potestate.

36. Abbati de Lioncello committit praesens generale Capitulum ut moniales monasteriorum Vallis briciaci, Sancti Pauli, Sancti Iusti et de Vernorsoniis visitet, inter cetera eisdem praecipiendo in posterum deferre habitum regularem Ordinis, secundum ordinationem domini abbatis Claraevallis, et casu quo dictae moniales promiserint se ita facturas infra festum Paschae, idem Capitulum generale dat eidem abbati facultatem et potestatem absolvendi eas a sententia excommunicationis, quam non obe-

diendo reformatoribus Ordinis incurrerunt, necnon ab omnibus sententiis et censuris Capitulo generali specialiter reservatis, etiam in foro conscientiae, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM ET PROVISIONUM CONFIRMATIONES

37. Electionem, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Stephani Bursan, alias de Joux, professi et cellerarii monasterii de Reigniaco ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii de Reigniaco, prout in litteris, etc. approbat, supplendo, etc.

38. Cum difficultas verteretur super electione, installatione et confirmatione venerabilis et religiosi viri fratris Ioannis Foucaud [h], s. th. pr., nuper abbatis monasterii de Reigniaco, ad dignitatem abbatialem monasterii de Fonteneto, multis dicentibus et pro vero tenentibus, electionem ipsam fuisse et esse nullam et ob hoc Rmus D. N. Cisterciensis instanter requisitus miserit legitimum commissarium ad se informandum super huiusmodi difficultatibus, tandem pro quiete monasterii praefatus Ioannes Foucaud totius negotii summam remisit in manibus praefati Rmi D. N. Cisterciensis tamquam superioris, qui multis, iustis et rationabilibus causis et considerationibus, instantia nonnullorum honorabilium virorum praetensam electionem neque laudans neque cassans tamquam iure providendi in ipso monasterio pro hac vice ad ipsum devoluto, ipsum fratrem Ioannem Foucaud verum et indubitatum abbatem eiusdem monasterii de Fonteneto instituit, pronuntiavit et declaravit, salva parvula pensione 50 francorum, quolibet anno solvenda fratri Iacobo de Divione, monacho et cellerario Cistercii, donec de aliquo beneficio eiusdem valoris medio, praefati fratris Ioannis Foucaud regulari vel saeculari provisum fuerit, ius in eodem monasterio praetendenti et eidem iuri per ipsum in dicto monasterio praetenso, mediante dicta pensione et instantia praefati Rmi D. N. Cisterciensis renuntianti in favorem fratris Ioannis Foucaud, praesens generale Capitulum de assensu et beneplacito praefati Rmi D. N. Cisterciensis promotionem et institutionem praefati Ioannis Foucaud ad dignitatem abbatialem dicti monasterii de Fonteneto, ratificat, approbat et confirmat, supplendo, *etc.*

---

[h] Foucault : *P*[2].

39. Generale Capitulum sufficienter per fide dignos informatum de motivis, rationibus et causis, propter quas non tam expediens, sicut necessarium fuit pro bono et maxima utilitate monasterii Cariloci inire, concordare, consentire et facere tractatum, cui praesens diffinitio annectitur, ipsum tractatum cum omnibus suis partibus acceptat tenore praesentium, laudat, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

40. Promotionem, provisionem, institutionem et installationem fratris Nicolai Boudet, monasterii de Gratis Dei, Bisuntinensis dioecesis, expresse professi, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii per abbatem de Charitate, auctoritate sua paterna, tamquam rite, *etc.* supplendo, *etc.*

41. Provisionem, promotionem, creationem et ordinationem de persona fratris Anthonii de Nantone, professi et prioris monasterii Firmitatis, ad dignitatem abbatialem monasterii Vallis dulcis, post resignationem et cessionem fratris Ioannis Vincen, novissimi eiusdem monasterii, et nunc Bellaevallis abbatis, per Rmum D. N. Cisterciensem, praesente et consentiente patre abbate eiusdem monasterii Vallis dulcis, rite, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

TRACTATUUM ET PENSIONUM CONFIRMATIONES

42. Visis et diligenter examinatis et consultis litteris tractatus initi, facti et passati, inter dominum abbatem de Firmitate, Ordinis commissarium, provisorem et cellerarium collegii Sancti Bernardi Parisiis ex una, et honorabilem ac discretum virum magistrum Iacobum Fonstam, archidiaconum Trecensem partibus ex altera, de quadam portione horti eiusdem collegii ad annuum et perpetuum censum 12 denar. paris. ac similem redditum 15 libr. 12 sol. paris. annuatim solvendorum, prout in litteris tractatus super hoc confectis ac praesenti diffinitioni annexis plenius et diffusius continetur, auditisque ad plenum super contentis in dictis litteris multorum patrum ordinis relationibus et conclusionibus, ac utilitatem et commoditatem dicti collegii ex praemissis cognoscens, idem Capitulum generale dictum tractatum cum omnibus et singulis suis clausulis et dependentiis, tamquam eidem collegio perutilem approbat, ratificat et confirmat.

43. Visis, auditis et diligenter examinatis litteris pensionis 30 francorum monetae currentis in Burgundia fratri Hugoni Bou-

det, nuper abbatis monasterii de Gratia Dei, Bisuntinensis dioecesis, tamquam bono, honesto et benemerito patri per dominum de Charitate, patrem abbatem dicti monasterii, super fructibus, proventibus et emolumentis dicti monasterii de Gratia Dei assignatorum, datorum et concessorum, prout in instrumento publico praesenti diffinitioni annexo plenius constat, praesens generale Capitulum, audita relatione nonnullorum Ordinis patrum super praemissis, et cognoscens dictam pensionem rationabilem fore, de gratia speciali omnia et singula praemissa, in dicto instrumento contenta et expressa, secundum eorum formam et tenorem cum omnibus clausulis, conditionibus et dependentiis approbat, ratificat et confirmat, mandans abbati et conventui qui nunc sunt, et pro tempore erunt, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis et censuris ecclesiasticis et Ordinis eidem fratri Hugoni dictam pensionem, terminis statutis solvant, et cuncta sibi assignata et promissa integraliter adimpleant. Quocirca abbatibus de Bellavalle et de Lococrescenti, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus ad debite et integraliter eidem seniori abbati de praefata pensione satisfaciendum, terminis in dictis litteris statutis et designatis, dictos abbatem et conventum de Gratia Dei et eorum quemlibet viriliter et exacte per poenas, sententias et censuras ecclesiasticas et Ordinis astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

44. Aegre ferens generale Capitulum graves querimonias venerabilis patris, magistri Iacobi du Breuquet, generalis Ordinis procuratoris in Curia adversus abbatem et conventum monasterii de Melros, qui se ingratissimos demonstrantes et mala pro bonis, ut videtur, reddendo, dictum magistrum Iacobum in bancho pro expeditione negotiorum suorum et eiusdem monasterii in Curia, in maximis pecuniarum summis vehementi eorum insinstantia et supplicatione obligatum, relinquunt ac etiam summas eidem per eosdem abbatem et conventum iuste et legitime debitas, eidem magistro Iacobo solvere et satisfacere renuunt et recusant, in maximum eiusdem magistri Iacobi damnum, oppressionem, gravamen et detrimentum, super quibus generalis Capituli pensionem et remedium opportunum requisivit ; hinc est quod generale Capitulum de veritate praemissorum debite et

sufficienter a pluribus annis et recenter informatum, ac eumdem venerabilem magistrum Iacobum, Ordinis procuratorem in negotiis Ordinis continue insudantem, a talibus obligationibus, oppressionibus, gravaminibus et damnis eripere et liberare cupiens, abbatem et conventum eiusdem monasterii de Melros, tam coniunctim quam divisim, hortatur et monet, et nihilominus eisdem et cuilibet eorum in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, ac privationis a dignitate abbatiali, et aliis officiis, et administrationibus eorumdem, aliisque censuris Ordinis praecipit et mandat, quatinus omni excusatione semota, his visis et ad eorum notitiam quomodolibet deductis, quamcito ab onere obligationis huiusmodi summarum, sive per solutionem integram huiusmodi debitorum, sive alium fideiussorem loco eius constituendo, aut alias rationabiliter eripiant et liberent, ac indemnem reddant, eidem quoque magistro Iacobo de summis sibi per eos debitis integraliter satisfaciant. Quocirca omnibus et singulis abbatibus Ordinis super hoc requirendis, idem generale Capitulum committendo mandat et praecipit, ut omni excusatione cessante, viriliter et indissimulanter per poenas, sententiam et censuras ecclesiasticas et Ordinis, usque ad privationem a dignitate abbiatali, ceterisque administrationibus officiorum inclusive cogant et compellant, in plenaria Ordinis potestate ; invocato, etc.

45. Praesenti Capitulo generali conquestus est honorabilis vir Petrus Dasnières, mercator et civis Parisiensis, asserens abbatem modernum de Toroneto sibi in magnis pecuniarum summis legitime teneri et obligari, quam summam dictus de Toroneto eidem conquerenti solvere renuit et differt, ut dicit, iustitiae remedium implorando ; hinc est quod unicuique quod suum est reddere cupiens praesens generale Capitulum omnibus et singulis abbatibus Ordinis requirendis mandat et praecipit, quatinus citatis citandis, auditis audiendis, si dictum abbatem de Toroneto eidem mercatori conquerenti in aliquibus pecuniarum aut quarumcumque rerum summis, debite et legitime teneri et obligari invenerint, ipsum ad integre et plenarie eidem mercatori solvendum et satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

46. Ad idem, pro honorabili viro Petro Drouhet, mercatori Catalaunensi, de abbate et conventu de Charmeya in Brya, et abbatibus de Tribus fontibus et de Monasteriis in Argona, et cuilibet eorum.

47. Abbatibus de Regalimonte, de Ursicampo et de Bonoportu et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas per testes fide dignos, litteras seu cedulas obligatorias, aut alia sufficientia documenta, abbati seu conventui aut quibuscumque personis monasterii Caroliloci, in aliquibus pecuniarum, vini, bladi seu quarumcumque rerum summis invenerint teneri, ad eidem abbati et conventui et personis praefatis aut eorum legitimo procuratori debite et integre solvendum et satisfaciendum, citatis citandis, et auditis audiendis, astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

48. Ad idem, pro collegio Sancti Bernardi Parisiis, domino de Firmitate, et abbatibus praefatis et cuilibet eorum.

49. Ad idem, pro monasterio de Fontemorum, abbatibus de Nigrolacu et Pratea et de Callovio, et cuilibet eorum.

50. Ad idem, pro monasterio de Charitate, abbatibus de Caroloco et de Aceyo, et eorum cuilibet.

51. Ad idem, pro monasterio Bellaevallis, supplicando Rmo D. N. Cisterciensi, et committendo abbatibus de Charitate, de Buillione, de Locrocrescenti, et cuilibet eorum.

REHABILITATIONES

52. Ad instantiam abbatissae monasterii Sancti Iacobi prope Vitriacum, praesens generale Capitulum sororem Agnetem, eiusdem monasterii professam, ab omni infamiae et inhabilitatis maculis et notis, praesens generale Capitulum relevat et rehabilitat, cum ea misericorditer dispensando, ut non obstantibus pluribus defectibus, negligentiis et inobedientiis, quas contra abbatissam suam, statuta Ordinis et patrem visitatorem, aut eius commissarios commisit, ac contra prohibitionem sibi factam a longo tempore quemdam saecularem sacerdotem frequentaverit, et quod semel de nocte absque licentia cum aliquibus eiusdem monasterii monialibus exiverit, ad omnes Ordinis gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri possit et admitti. Omnibus, *etc.*

53. Ad idem, pro fratre Petro de Pontelaudam, Bituricensis dioecesis, de gratia speciali, ad eiusdem fratris Petri instantiam.

54. Ad instantiam abbatis de Caladia, Virdunensis dioecesis, generale Capitulum ab omnibus infamiae et inhabilitatis notis et maculis relevat et rehabilitat fratrem Leonem Chappy, cum

eo misericorditer dispensando, ut non obstante quod habitu religionis reiecto, per mundum et in curia fere per annum et ultra, vagus et profugus extiterit, et quod carnale contagium pluries, tam in dormitorio eiusdem monasterii mulieres suspectas ducendo, quam cum una vidua pluries perpetraverit, et inde prolem susceperit, super quibus, ut dicto Capitulo generali certificatum est, poenitentiam patienter egerit salutarem, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, etc. abbatiali dignitate seclusa.

55. Ad humilem supplicationem abbatis de Fontemorum, praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Adam Bondin, monasterii de Landesio expresse professo, ac in sacro sacerdotali ordine constituto, ut non obstante infamiae nota et inhabilitate, quam incurrit carnis contagio in limitibus praedicti sui monasterii de Landesio saepius perpetrato, necnon et manuum iniectione in religiosos sacerdotes, usque ad sangunis effusionem, ac ex crebro exitu tam die quam nocte a dicto monasterio, sacrae religionis habitu reiecto ac spreto, possit nihilominus ad omnes actus, voces, officia et dignitates assumi, etiam dignitate abbatiali inclusa, omnibus dicti monasterii regularibus personis inhibendo ne super huiusmodi infamiae nota et inhabilitate eidem fratri Adam quovismodo insultent aut improperent.

56. Ad idem, pro fratre Oudino Conet, professo de Ellantio, ad instantiam abbatis sui, ut non obstante quod in monasterium praefatum mulierem viduam introduxerit ex qua prolem gradientem super terram habuit, et pro quo poenitentiam agit salutarem, ad omnes Ordinis actus, etc.

57. Ad idem, ad instantiam abbatis Theoloci, pro fratre Hugone Jacuchet de Autreyo, eiusdem monasterii professo, ut non obstante carnis contagio, puerperio inde secuto, ad omnes Ordinis actus legitimos, etc.

SUFFRAGIA

58. Ad instantiam abbatis de Valloliis, s. th. pr., generale Capitulum concedit plenariam participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt et fient in toto Ordine nostro, nobili viro ac militi domino Francisco de Crequi, et dominae Margaretae eius consorti.

59. Ad idem, pro honorabili viro domino Ioanne Arbeleste, cive Belnensi, et Ioannetta eius consorte, cum eorum liberis utriusque sexus, ad instantiam prioris Cistercii.

60. Ad idem, pro Ioanne Turelot, mercatore Belnensi, et Philippa eius consorte, ad instantiam praefati prioris Cistercii.

61. Ad idem, pro Guillelmo, eiusque consorte, amatoribus benivolis monasterii de Ellantio, ad supplicationem abbatis dicti monasterii de Ellantio.

* * *

62. Quia hucusque communium contributionum Ordinis status in diversis mundi regionibus fuit et est plurimum confusus, et Ordini valde damnosus, pro eo maxime quod plures commissarii ad earum receptionem in diversis mundi partibus constituti, multas super hoc faciunt negligentias, nec mittunt ad dominum Cistercii seu ad generale Capitulum tempore opportuno sufficientes et claras computationes, declarando in particulari, quid et quantum et pro quo anno receperint, et ubi nihil receptum fuit non exprimunt causam, sed nec ipsas contributiones diligenter mittunt, ratione quorum maior pars dictarum contributionum deperditur, et residuum quod recipitur, non potest sufficere ad tractanda et conducenda gravissima Ordinis agenda, sed Ordo ipse cogitur magno subiacere usurarum incommodo, quas ob res Rmus D. Cistercii neque tantis incommodis succurrere, neque computationes dictarum contributionum quolibet anno in generali Capitulo iuxta animi sui integritatem facere potest, nec Diffinitores, uti vellent, dicta Ordinis negotia disponere et conducere, prout cupiunt et necesse esset, valent. Hinc est quod praesens generale Capitulum tantis incommodis et damnis Ordinis providere et subvenire cupiens, de prudentia, discretione, zelo et sufficientia domini Claraevallis, s. th. pr., confidens, eidem tenore praesentium Rmo D. Cistercii suadente, dat potestatem, auctoritatem et mandatum speciale per se vel per deputatos suos tam religiosos quam saeculares honestos et fideles dictas Ordinis contributiones iuxta taxam anno Domini 1490, conformiter ad mandatum apostolicum per generale Capitulum novissime factum et eidem domino Claraevallis sub sigillo Diffinitorum ad fines praedictos traditam, cum restis et arreragiis tam dictarum contributionum quam subsidiorum a quindecim annis novissime usque ad diem praesentem lapsis, petendi, levandi, exigendi et recipiendi, compellendique abbates, abbatissas, commendatarios et quoslibet monasteriorum officiarios ad ostendendum sibi vel suis deputatis

quittantias dictarum contributionum et subsidiorum tempore praedicto, necnon etiam compellendi per Ordinis censuras praefatos commissarios ad monstrandum et declarandum suae administrationis fidelitatem ab universis monasteriis, necnon abbatibus, abbatissis, commendatariis et officialibus dictorum monasteriorum utriusque sexus, cuiuscumque status, conditionis, gradus, praeeminentiae aut dignitatis existant, a mari Massiliae procedendo secundum montes Sabaudiae usque ad mare Frisiae, seu usque ad Rhenum, secundum limites inter Galliam et Allemanniam procedendo secundum latera maris, insulis Hollandiae et similibus comprehensis usque ad civitatem Burdegalensem, et deinde secundum radices montium Pyrreneorum ad praefatam Massiliam, exceptis monasteriis patriae linguae occitanae et Wasconiae, iam commissis abbatibus de Candelio et de Loco Dei Ruthenensi, et ducatu Sabaudiae, de receptis quoque bonas et sufficientes quittantias faciendi, de quibus omnibus secundum Deum et conscientiam, quolibet anno in Capitulo generali, bonas, fideles et specificatas computationes tam in recepta quam in expensa, necnon receptas ipsas domino Cisterciensi reddet, expresse declarando quid et quantum a quolibet dictorum monasteriorum, et pro quo anno fuit receptum, notando causas, si in aliquibus nihil recipiatur. De ipsis quoque contributionibus disponet iuxta domini Cisterciensis vel Capituli generalis ordinationem, sicut faciunt alii receptores ; contradictores aut solvere negligentes, seu quomodolibet solvere differentes, per censuras Ordinis et omnes alias iuris et iustitiae vias sibi possibiles ad solvendum compellendo, ut visis dictis computationibus suis eas praefato Rmo D. N. Cisterciensi includat tam in recepta quam in expensa, in generalibus computationibus Ordinis et Capituli generalis, iuxta morem solitum, in plenaria Ordinis potestate, quibuslibet, aliis commissionibus quacumque auctoritate super dictarum contributionum et subsidiorum recepta concessis omnino cassatis et revocatis. Invocato, etc., Omnibus igitur et singulis abbatibus, abbatissis, commendatariis et officialibus seu officiariis, cuiuscumque conditionis existant, monasteriorum in limitibus praefatis consistentium, firmiter in virtute salutaris obedientiae et sub censuris per eumdem dominum de Claravalle aut per suos declarandis, mandat et praecipit, quatinus in praemissis et ea tangentibus ipsis devote pareant et plenarie obediant ; praesentibus usque ad aliam Rmi D. N. Cisterciensis vel Capituli generalis

dispositionem in vigore duraturis. Datum in Diffinitorio et sub sigillo Diffinitorum, etc.

63. Quasi coeleste oraculum divi Ieronimi ore pronuntiatum : devotio et litterae pepererunt divitias Ecclesiae, considerans generale Capitulum in sanctis patribus nostris dudum eminenter fuisse adimpletum, postquam totis conaminibus circa salutaris observantiae reformationem studia convertit, ut devotionis fervor suorum fratrum mentibus infundatur, aliam particulam, videlicet litterarum splendorem, sine quo homines vix homines aut dici aut esse possunt, et sine quo impossibile est tantae religionis monarchiam in oculis divinitatis et hominum feliciter dirigi, in medium reducere satagens ad multiplicia Ordinis privilegia, diffinitiones et statuta oculos convertens et munus pacis a Domino mortalibus concessum opulentia bonorum temporalium considerans praesentis diffinitionis edicto districtius sub poena suspensionis a divinis, committendo, mandat et praecipit domino abbati de... quatinus omni dissimulatione postposita cum sibi possibili diligentia et festinatione, per se vel per deputatos mandet districtius et praecipiat tam apostolica quam totius Ordinis et Capituli generalis auctoritate abbatibus, commendatariis, ac conventibus monasteriorum subscriptorum, quatinus infra 15 vel 20 aut 30 dies tunc immediate sequentes, prout opportunum viderit, super quibus conscientia sua coram Deo oneratur, si iam non habeant studentes in numero et provisione secundum ordinationem reformationis domini Benedicti Papae XII in collegio Sancti Bernardi Parisiis, vel Sancti Bernardi Tholosae, vel... mittant scolares unum aut duos vel tres secundum monasteriorum facultatem, cum sufficientibus et debitis provisionibus pro uno anno completo, pro minori, ubi autem iudicaverit monasteria aliqua non posse per se tenere unum studentem, postposito omni favore inordinato, iungat duo aut tria monasteria ad tenendum unum studentem in dicto collegio cum provisionibus requisitis, sub poena in dicta reformatione domini Benedicti Papae XII posita, videlicet solvendi ad utilitatem dicti collegii et studentium in eodem tantum quantum in eadem *Benedictina* taxatur bursa unius studentis per annum, ita ut abbatem qui huiusmodi salutaribus praeceptionibus et ordinationibus infra tempus sibi assignatum non paruerint, elapso termino, eos coram se personaliter citari faciat, et per Ordinis censuras ac etiam per omnes iuris et iustitiae vias districta ac summarie et de plano, in plenaria Ordinis potestate,

compellat ad solvendum huiusmodi taxam per eum ad provisorem dicti collegii fideliter et festinanter cum bonis litteris ad fines praedictos transmittat. Si autem commendatarii fuerint, eos vel per iurisdictionem conservatoris privilegiorum aut Ordinis, aut Universitatis, vel per iustitiam saecularem, prout commodius viderit, expensis Ordinis ad solutionem huiusmodi taxae ad fines praedictos indissimulanter compellat ; de quibus omnibus provisorem dicti collegii, necnon proximum generale Capitulum sufficienter informabit ; omnibus et singulis dispensationibus, litteris aut gratiis per quemcumque quacumque auctoritate concessis taliter cassatis, revocatis et annullatis ; cui abbati de... praesens generale Capitulum dat auctoritatem retinendi in dicto collegio omnes et singulos studentes usque ad munus licentiae, quos ad hoc idoneos iuxta discretionem et conscientiam provisoris et consilii invenerit, compellendo per praedictas censuras abbates eorum ac commendatarios monasteriorum ad providendum ipsis sufficienter iuxta suorum graduum conditionem, absolutione huiusmodi praecepti extra mortis articulum Capitulo generali, vel Rmo D. Cistercii reservata. Invocato ad praemissa et ea tangentia auxilio, consilio et favore brachii saecularis, ac quorumlibet iudicum, consulum et dominorum. Omnibus igitur et singulis eorumdem monasteriorum abbatibus, commendatariis, officialibus et personis regularibus districtius in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, mandat et praecipit generale Capitulum, quatinus eidem abbati de... in praemissis et ea tangentibus, ac ab eis dependentibus, devote pareant humiliterque et efficaciter obediant. Datum, etc.

64. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo anno Domini 1492 apud Cistercium celebrato facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis. Cum Ordo noster pro impetratione et redemptione multorum ac amplissimorum privilegiorum a Sancta Sede sollertia, vigilantia et sollicitatione Rmi D. N. Cisterciensis impetratorum et obtentorum, necnon pro expensis legationis et viagii ipsius Rmi D. N. Cistercii ad Summum Pontificem et ad partes transalpinas pro Ordine et instantissima supplicatione patrum Ordinis factis, quibusdam notabilibus mercatoribus et banchariis in multis pecuniarum summis, etiam ad interesse mercatorum specialiter et expresse sit obligatus, sitque necesse invenire aliquos fideles boni

commodique Ordinis amatores et zelatores, qui dictas summas debitas seu partem earum sub tuta fidelique obligatione, pro huiusmodi debitorum absolutione ac totali solutione mutuo seu alias Ordini tradant et concedant, ne propter usurarum huiusmodi voraginem Ordo ipse graviora patiatur detrimenta. Hinc est quod de probitatibus, zelo, prudentia et fidelitate eiusdem Rmi D. N. Cisterciensis, necnon domini Firmitatis ad plenum in Domino confidens, eidem Rmo D. N. Cistercii cum omni humilitate supplicat, dominoque Firmitatis committit idem generale Capitulum eis et cuilibet eorum, dans plenariam auctoritatem et potestatem accipiendi et recipiendi mutuo sivè alias, non tamen ad usuram a quibuscumque abbatibus, commendatariis, rectoribus ac officiariis monasteriorum et locorum Ordinis, necnon a mercatoribus, burgensibus seu quibuscumque personis, quos et quas ad hoc inclinatas invenerint, seu alter eorum invenerit, notabiles pecuniarum summas, ac pro illarum integra et completa refusione et solutione totum dictum Ordinem, bonaque ipsius mobilia et immobilia, praesentia et futura ubicumque existentia, necnon ipsius Ordinis contributiones melioribus via, iure, modo et forma, quibus fieri poterit, obligandi et hypothecandi, ipsumque totum Ordinem ac bona praefata coercitioni, compulsioni ac expletationi auctoritatis ac iurisdictionis Sanctissimi domini nostri Papae, Ordinis et Capituli generalis ipsius, necnon omnium et singularum curiarum ecclesiasticarum et saecularium cum submissionibus, renuntiationibus et clausulis necessariis et opportunis submittendum et supponendum. De receptis quoque seu mutuo sive alias, ut praemittitur, acceptis pecuniis bonas, tutas et fideles litteras obligatorias sub eorum vel cuiuslibet ipsorum sigillis, vel alias prout melius et commodius iudicaverint conficiendas, expediendas et dandas, ac cum dictis mercatoribus et banchariis quibus Ordo tenetur, conveniendum, componendum et concordandum ; et generaliter omnia alia et singula circa praemissa et ea tangentia agendi, faciendi ac exercendi, quae totus Ordo noster ac generale Capitulum eisdem ageret, faceret et exerceret, si praesens adesset ; promittens idem Capitulum generale sub hypotheca et obligatione omnium bonorum totius Ordinis praemissorum ratum, gratum et acceptum habere quidquid in praemissis et quolibet praemissorum per praefatos dominos Cistercii et Firmitatis, seu eorum quemlibet actum, gestumve fuerit, vel quomodolibet expeditum, etc.

1493

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b]... etc. ut 1492.

2. Praeterea pro serenissimo... *(locus vacuus)*, necnon... etc. ut 1492.

3. Insuper pro burgensibus... etc. ut 1492.

4. Ceterum pro pace... etc. ut 1492.

5. Demum pro felicis... etc. ut 1492.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... etc. necnon in summa 6731 franc. 6 gross. 12 denar. pro resta computationum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium, nulla mentione hic facta de recepta ultimorum subsidiorum, quia necdum sunt arrestata, de et pro toto tempore praeterito... etc. ut 1492.

7. Omnes et singulas, *etc. ut in anno praecedenti, n°* 7.

8. Cum uniuscuiusque religionis et Ordinis personae regulares, tam in obsequiis divinis quam in exterioris habitus modestia, compositione certum sibi modum et formam indixerunt, quibus ad invicem convenientes et ab aliorum Ordinum personis distinctae ac differentes habeantur, ita ut etiam inter viros et mulieres, quos idem Ordo complectitur, de ipsius habitus exterioris forma id solum mutari deceat, quod sexus varietas pro sui qualitate mutandum expostulat, eidem in colore in utrislibet semper remanente, nihilominus tamen quia plurimae eiusdem Ordinis

---

1493. *Fontes* : L^6 : 1-74 ; *M* : 24 ; P^2 : 1, 7, 8, 9, 10, 20, 21, 24, 29 ; *U* : 24 ; *W* : 24 *(abbrev.)*

[a] *Titulus apud* L^6 *tantum.* [b] Sub Alexandro 6°, *etc. ut in anno praeced.* : P^2.

nostri abbatissae et moniales huiusmodi salubris et honestae instutionis ac generalis consuetudinis, propriaeque salutis immemores, spretaque religionis honestate et humili simplicitate ac uniformitate, nigri, rubei, viridis, sanguinei, persei, grisei et aliorum curiosorum et variorum colorum tunicas pro cuiuslibet appetitu et voluntate deferre praesumunt, in grande eiusdem Ordinis, turpiusque honoris, famae et commendationis dispendium. Huiusmodi itaque temerariae curiositati et curiosae temeritati et difformitati, praesens generale Capitulum obviare et resistere desiderans, insequendo praecedentium Ordinis patrum in diffinitionibus, statutis et ordinationibus satis apparentem super his intentionem, statuit, et sub excommunicationis poena districtius inhibet omnibus eiusdem Ordinis abbatissis et monialibus, ne de cetero tunicas alterius quam albi et scapularia quam nigri coloris deferre praesumant, aut vestire neve quascumque iuvenculas ad novitiatus habitum recipere nec receptas pro novitiis tenere et reputare, nisi tunicis albis indutae, ac iuxta Ordinis simplicitatem decenter habituatae fuerint. Confirmat autem et tenore huius diffinitionis ratificat et approbat praesens generale Capitulum quidquid super huiusmodi monialium habitus compositione, forma et colore, per abbatem Claraevallis in visitatione Hispaniarum et aliarum plurimarum terrarum, locorum et dominiorum novissimis annis per generale Capitulum sibi commissorum ordinatum extitit quomodolibet aut mandatum. Eisdem etiam omnibus Ordinis monialibus sub poenis et censuris Ordinis idem generale Capitulum inhibet, ne praetextu quarumdam litterarum papalium vel aliarum quarumcumque litterarum vel indulgentiarum cuicumque presbytero saeculari, vel etiam de Ordine Mendicantium, vel alterius cuiuscumque Ordinis, sed dumtaxat personis Ordinis nostri eisdem et Ordine deputatis praesumant confiteri.

9. Praesens generale Capitulum insequendo multas diffinitiones, statuta et privilegia Ordinis, statuit, praecipit et mandat, ut sicut religiosi fratres Ordinis habitum gerunt in colore et modo uniformem, ita quoque moniales totius Ordinis in habitus forma assimilentur, portando scilicet deinceps usque tunicas albas, scapularia et vela nigra sub cuculla vel mantello, confirmando omnia et singula quae in Hispania, regnisque et provinciis circumvicinis dominus abbas Claraevallis, s. th. pr., circa praedicta, auctoritate Capituli generalis visitando et reformando ordi-

navit et observari mandavit, sub censuris et poenis Ordinis inhibendo omnibus et singulis monialibus Ordinis, ne de cetero quibuscumque aliis quam confessoribus de Ordine eis ordinatis confiteri praesumant.

10. Generale Capitulum volens occurrere multis et variis scandalis et dissolutionibus plurium monachorum monasteriorum praecipue commendatorum Ordinis, quod commendatariis nullam super ipsos iurisdictionem habent, qui praetextu privilegiorum neque prioribus neque ipsis commendatariis debitam Ordinis obedientiam exhibere procurant, sed ad gravissima flagitia, detestandaque et enormia vitia passim declinant, declarat, statuit, quod usque ad aliam suam dispositionem dicti monachi in monasteriis sic commendatis sint ipsis monasteriorum prioribus in omnibus et singulis ita obedientes et subiecti secundum formam Ordinis, prout moris est, abbatibus obedire ; quod si dictorum monachorum de cetero excesserit quispiam, dicti priores tales excedentes puniant et corrigant, secundum Ordinis formam, invocato etiam auxilio commendatariorum, si dictis prioribus regulariter obedire noluerint, et nihilominus quamprimum fuerit possibile, super his Rmum D. Cisterciensem aut generale Capitulum informare non omittant ; ita tamen quod propter hoc generale Capitulum non intendit novam eisdem commendatariis super religiosis aut regularibus personis iurisdictionem attribuere.

DIFFINITIONES SPECIALES

11. Generale Capitulum ex speciali gratia concedit abbati Eberbacensi, quod hinc infra triennium, novitios quos aliunde ad hoc idoneos noverit et habeant annos infra ad professionem expirationem et completionem anni probationis ad professionem idoneos admittere et suscipere possit, ita dumtaxat ut ipsi novitii libere renuntient residuo temporis anni sui probationis.

12. Abbati de Montepetroso praecipit generale Capitulum sub censuris Ordinis, quod summa diligentia per omnes iuris et iustitiae vias recuperet et ad monasterium suum reducat fratrem N. monachum professum suum, qui contra Ordinis privilegia, sine licentia, Fratrum Minorum Ordinem intrare praesumpsit.

13. Quia multae et variae materiae supervenerunt in praesenti generali Capitulo, quae apud Cistercium his tribus diebus expediri non potuerunt, praesens generale Capitulum dictarum ma-

teriarum et causarum decisionem, diffinitionem et determinationem Rmo D. N. Cisterciensi, quatuor primis et aliis Diffinitoribus quos vocaverint, et qui interesse poterint, secundum laudabilem morem hactenus observatum in Ordine, apud Divionem vel alibi, committit in plenaria Ordinis potestate.

14. Capitulum generale certis et iustis ex causis inhibet abbati, priori, cellerario, sacristae, subpriori, bursario et procuratori monasterii de Maristella, sub poena excommunicationis latae sententiae, ne lacum quemdam prope monasterium situm, atque ipsi monasterio sine medio pertinentem quomodocumque alienare, vendere aut impignorare praesumant.

15. Generale Capitulum studens pacificare et terminare querelas et controversias inter abbatem modernum et seniores monasterii de Schonavia, habita matura deliberatione, cum se ambae partes ad determinationem Capituli submisissent, ita ordinat et diffinit, ut dictus senior abbas... *(nil aliud)*.

16. Abbatibus de Rupibus et de Callovio et cuilibet eorum in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas per testes fide dignos, litteras seu cedulas obligatorias, aut alia sufficientia documenta, abbati seu conventui monasterii de Fontemorum in aliquibus pecuniis obligatas invenerint, ad eidem abbati et conventui aut eorum legitimo procuratori debite et integre satisfaciendum compellant, in plenaria Ordinis potestate.

17. Idem pro Cistercio, abbatibus de Firmitate, de Regalimonte et de Maceriis.

18. Idem pro Claravalle, abbatibus de... *(nil aliud)*.

19. Abbati de Claritate praesens generale Capitulum committit quod se informet diligenter super causis eiectionis fratris Laurentii Menhart de Bellabrancha, ibidem professi, ut secundum quod invenerit, dictum fratrem ad monasterium suum de Bellabrancha reponat et inducat, aut aliunde quod iustum viderit super eodem fratre disponat, in plenaria Ordinis potestate.

20. Dignissimae sublimationi Sanctissimi domini nostri, domini Alexandri divina providentia Papae VI, sacri Ordinis nostri protectoris benivoli, ad summum exaltati apicem summe congaudens generale Capitulum, lege hucusque observata cogitur de alio speciali ac benivolo protectore cogitare, ne Ordo sacer in suprema totius christianitatis Curia defensore seu protectore favorabili careat. Quamobrem praesens generale Capitulum, post

longam et maturam super his deliberationem, iuxta novissima et usque in praesens observata Ordinis privilegia, unanimi omnium Diffinitorum consensu ad dictum protectionis officium reverendissimum in Christo patrem dominum Baptistam, cardinalem de Ursinis vulgariter nuncupatum, cum possibili reverentia et honore nominavit et elegit, sicut et praesenti diffinitione nominat et elegit, suae reverendissimae paternitati supplicando devotius, quatinus dictam electionem acceptare totumque Ordinem, sicut pater filios amantissimos, cum privilegiis, libertatibus et religiosis consuetudinibus diligere, protegere et potenti virtute defensare dignetur.

21. Genibus in terram positis, et manibus sursum levatis, supplicando Sanctissimo domino nostro, quatinus viri protectoris benevolentiam nullatenus remittendo dictam electionem ratam et gratam habere, sacratumque hunc Reginae coeli Ordinem in hoc eligendi privilegio conservare, ac speciali benedictione simul et favore commendatum habere non dedignetur.

22. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de certis diffinitionibus, statutis et ordinationibus, actis, factis anno superiori in generali Capitulo, easdem diffinitiones, statuta et ordinationes et quaslibet earum confirmat, roborat et approbat, ac si de verbo ad verbum praesenti diffinitioni insererentur.

23. Abbatibus de Alba dominorum et de Bebenhusen, et cuilibet eorum in solidum, committit generale Capitulum, quod se diligenter informet super quodam magno et notabili debito, quo monasterium de Fonte regis obligatur venerabili abbati et monasterio de Salem, et si invenerint, ac per testes, litteras, scedulas, aliaque munimenta, iuste et sufficienter probaverint, aut probari fecerint, dictum abbatem et conventum monasterii de Fonte regis praefato abbati de Salem ac monasterio eius iusto debito obligari, ipsos abbatem et conventum ac quemlibet eorum per omnes iuris et iustitiae vias, et alias Ordinis censuras plene et integraliter solvi faciant et solvi procurent.

24. Ad humilem supplicationem abbatis Mulbronnensis praesens generale Capitulum dat, concedit et indulget, ut quoniam [c] crebro hospites honesti, litterati, nobiles et magnates, qui non solum dicto monasterio Mulbronnensi, sed etiam toti Ordini

---

[c] quam : *L*[6].

sunt honori et adiumento, monasterium ipsum accedere et gratia hospitalitatis suscipi solent, possit sine conscientiae scrupulo idem abbas in mensa sua eisdem, ut praemittitur, hospititibus sic diebus in Ordine consuetis dare et impartire esum carnium, totiens quotiens eidem abbati vel in absentia eius, priori dicti monasterii, honestum et congruum visum fuerit.

25. Pro parte religiosorum in monasterio de Valle Dei in Austria praesenti generali Capitulo intimatum fuit et lacrimabiliter conquestum, quod modernus eiusdem loci de Valle Dei abbas per imperialem maiestatem, sine ullo saltem legitimo titulo aut iure, intrusus est in dictam abbatiam, et eiusdem bona tam mobilia quam immobilia vendit, impignorat, consumit et dissipat ; quibus malis et incommodis generale Capitulum obviare cupiens, abbatibus de Sancta Cruce et de Zwetla committit et mandat ut super huiusmodi facta generali Capitulo relatione, se diligenter informent,et si eam veram esse per debitam informationem invenerint, ad punitionem etiam usque ad depositionem dicti abbatis, et praemissorum delictorum emendationem secundum Ordinis instituta, privilegia, ordinationes et statuta indissimulanter procedant, in plenaria Ordinis potestate.

26. Abbati de Mulbron committit generale Capitulum ut diligenter inquirat, an utile sit monasterio de Schonavia quasdam terras, quas generali Capitulo nuntiaverunt eiusdem loci abbas et conventus, sibi fore minus utiles, vendere et alienare, et provenientes de huiusmodi venditione pecunias in comparatione et emptione aliorum reddituum magis utilium applicare ; quod si expedire et fieri debere compererit, illud fieri debere et posse decernat, et sic factum confirmet et approbat, in plenaria eiusdem Ordinis potestate.

27. Abbati de Campoprincipum praesens generale Capitulum committit ut diligenter videat et examinet decreta provisionum et institutionum modernorum abbatum de Novomonte,de Zwetla et de Cella angelorum, et ipsis visis et examinatis, si huiusmodi provisiones invenerit fuisse rite et canonice, ac secundum Ordinis statuta et diffinitiones factas fuisse, easdem confirmet, ratificet et approbet, in plenaria Ordinis auctoritate.

28. Abbatibus de Lancken et de Bildhausen committit ut diligenter inquirant, an sicut abbas et conventus de Eberaco generali Capitulo significaverunt, pro ampliori commodo ipsius monasterii de Eberaco expediat unam curiam, eis pro nunc parum

utilem, prope alteram curiam eidem usui monasterii attributam, sitam, alicui probo et honesto viro haereditario iure seu ad perpetuum censum per se et haeredes suos tenendam locent, mediante aliquo annuo censu et reparationibus per eum fiendis, et si id expediens, et dicto monasterio de Eberaco utile fore compererint idem fieri posse et deberi decernant, in plenaria Ordinis potestate.

29. Praesens generale Capitulum pie compatiens ingravescenti aetati et senectuti moderni abbatis de Hymmerot [d], eidem concedit, ut ad visitanda suae filiationis monasteria aliquem suorum monachorum transmittere possit, sintque per talem mittendum ordinata et constituta eiusdem auctoritatis et vigoris, si secundum sacri Ordinis nostri usus, consuetudines, constituta et privilegia facta fuerint, ac si dictus abbas de Hymmerot [e] eadem in propria persona ordinasset et constituisset.

30. Praesens generale Capitulum attendens certas necessitates, quibus monasterium de Albaripa pro nunc dignoscitur subiacere, gratiose dispensat cum eiusdem loci abbate, ut usque ad immediate sequens triennium non teneatur mittere scolarem ad Parisiense vel aliud generale studium, dummodo per dictum tempus iuvenem teneat Divione in grammaticalibus et primitivis scientiis imbuendum.

31. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati monasterii B. M. de Crista, in virtute salutaris obedientiae,ac sub censuris Ordinis, quatinus fratrem Ioannem Jagnart, monachum dicti monasterii de Crista, gregi suo associet et ad regularem professionem suscipiat ; huiusmodi diffinitionis executionem abbati Longivadi, in plenaria Ordinis potestate committendo.

32. Cum dudum abbas monasterii B. M. de Precibus, ex speciali mandato et ordinatione Capituli generalis, certam summam pecuniarum a diversis monasteriis Ordinis ad succurrendum monasterio B. M. de Bonarequie, et fratri Henrico eiusdem monasterii de Bonarequie moderno abbati, qui in principio suae promotionis multos habebat ad dictam abbatialem dignitatem expectatores, ad quas pecunias reddendas, quamprimum pacificam obtinuisset dictae abbatialis dignitatis assecutionem et possessionem, ipsi abbati de Precibus aut Rmo D. Cistercii, per eos aut alterum eorum refundendas respective singulis monasteriis qui huiusmodi pecunias intuitu pietatis ad insinuationem et mandatum, ut prae-

---

[d] Hylmem : *P*². [e] Hylmen : *P*².

fertur, Ordinis mutuo tradiderant, et nihilominus iam per novem annos dictam pacificam possessionem assecutus, huiusmodi pecunias dicto abbati de Precibus eas repetenti, usque in hodiernum diem reddere dissimulavit et dissimulat, praesens generale Capitulum committendo praecipit et mandat abbatibus de Villanova et de Malereyo, Nannetensis dioecesis, et eorum cuilibet in solidum, quatinus dictum abbatem de Bonarequie ad infra proximum festum DominicaeNativitatis eidem abbati de Precibus huiusmodi summas integraliter refundendum, sub excommunicationis latae sententiae poena, ac per omnes debitas iuris et iustitiae vias indissimulanter compellant, aut alter eorum compellat, in plenaria Ordinis potestate.

33. Ad supplicationem abbatis de Hymmerod praesens generale Capitulum decernit et mandat, quod de cetero in prioratu Sanctae Catharinae prope Remienberch recipiantur novitii, similiter eiusdem prioratus et loci professi, ita quod dictus abbas de Hymmerod non teneatur mittere illic proprios monachos, sed solum sicut pater abbas super dicto prioratu habeat auctoritatem.

34. Visa et intellecta per generale Capitulum protervia et contumacia sororis Aleydis de Wederstein, monialis professae prioratus B. M. de Valle rosarum, quae cum de promotione et institutione eiusdem loci modernae priorissae, ad dictum Capitulum generale appellasset et dictam priorissam, necnon abbatem de Hymmerod, eiusdem loci patrem abbatem, multipliciter in expensis gravasset, propterea quod ad respondendum dictae appellationi ad ipsum generale Capitulum, proprium nuntium destinare coacti sunt, ad quod generale Capitulum dicta appellans non accessit, nec procuratorem misit, ipsum generale Capitulum condemnat dictam monialem ad refundendum sumptus et expensas per dictos priorissam et abbatem de Hymmerod ad mittendum ad dictum generale Capitulum factos, de quorum sumptuum et expensarum summa relationi nuntii ad hoc missi generale Capitulum decernit fore standum, quod huiusmodi appellationem, sicut praemittitur, frivole factam cassat, irritat et annullat, dictae moniali sub poena incarcerationis districte praecipiendo, ut de cetero praefatam priorissam super contentis in praetensa appellationis occasione nullatenus molestare vel inquietare praesumat.

35. Generale Capitulum arduis necessitatibus Ordinis semper providere cupiens et volens, iuxta expressum mandatum S. D. N.

D. Innocentii VIII taxas contributionum anno nonagesino per generale Capitulum taxatas et astallatas, ac anno tunc sequenti confirmatas, praesens generale Capitulum extremas Ordinis considerans necessitates, easdem taxas et diffinitiones desuper expeditas, usque ad aliam ipsius dispositionem confirmat, ratificat et prorogat, omnibus et singulis commissariis Ordinis districte sub censuris Ordinis praecipiendo, quod sine defectu a singulis monasteriis in eorum commissionibus contentis, praefatas taxas ex integro exigant, levent et recipiant ; renuentes seu contradicentes aut differentes per apostolicas et Ordinis censuras viriliter ad solvendum compellendo. Si vero dicti commissarii viderint taxas aliquorum monasteriorum verum valorem bonorum, reddituum et proventuum ipsorum monasteriorum notabiliter excedere, propter quod se gravata esse iuste conqueri possent, praesens generale Capitulum dictis commissariis dat auctoritatem easdem taxas ita moderandi et inter monasteria suarum commissionum distribuendi et partiendi, quod, integra remanente summa Capituli, nullum monasterium inde gravetur, aut si in pace omnium ita fieri non possit, consilia sua ad Rmum D. N. Cisterciensem, vel ad generale Capitulum transmittent, ut super his decenter provideant.

36. Conquestiones et querimonias per abbatem de Valloliis, s. th. pr., factas et motas adversus fratrem Ioannem Loisiel, dicti monasterii de Valloliis professum, praesens generale Capitulum remittit ad Rmum D. N. Cisterciensem, ut dictum fratrem Ioannem audiat, examinet, causasque discutiat, ac iuxta merita vel demerita determinet et disponat, puniendo regulariter puniendos.

37. Conquestus est et se deplanxit coram praesenti Capitulo generali abbas monasterii de Porta coeli quod frater Ioannes Strentzlin professus suus, sicut pridem saepe attentavit tam per scripta quam aliunde personaliter accesserit Rmum D. N. Parisiis, tantumque effecerit male narrando erga D. Cistercii, ut dictus abbas conquerens coactus sit expresso mandato dicti Rmi D. N. ipsum fratrem in studio generali Friburgi tenere et sustentare, cum tamen idem frater ante duos annos, per commissarios expresse ad hoc per Rmi D. N. deputatos, etiam usque ad carceres inclusive fuerit iudicatus et punitus. Cum ergo dictus frater Ioanes Strentzlin sinistre et fallaciter a Rmo D. N. supra memoratum mandatum extorserit, generale Capitulum dictum

mandatum revocat, cassat et annullat, in virtute salutaris obedientiae et sub poena carceris dicto fratri Ioanni praecipit et mandat, ut proprio abbati suo debitam exhibeat obedientiam, nihilominus ipsi abbati iuxta formam Ordinis potestatem super proprium monachum dando.

38. Ad instantiam et voluntatem illustrissimi principis domini Alberti, ducis Bavariae, generale Capitulum dat et concedit sorori Dorotheae, professae monasterii monialium de Felici porta, ut ubicumque reperire possit aliud monasterium reformatum et regulatum Ordinis nostri, prout ipsa desiderat, in quo suscipiatur, ibidem regularem professionem emittere, seque ipsam stabilire possit et valeat, dictam sororem Dorotheam a casibus, si quos incurrit propter exitum a monasterio suo Felici porta, absolvendo, eamque ad omnes Ordinis dignitates rehabilitando.

39. Zelo animarum sacri Ordinis reformationis et sanctimoniae incrementa generale Capitulum semper desiderans, committit abbati de Campo principum, s. th. pr., ut iuxta suam discretionem auctoritate Ordinis, abbatissae et monasterio monialium de Slierpach assignet et instituat visitatorem et reformatorem abbatem de Hylaria, ut melior et dicto monasterio monialium possit regularis observantia institui et custodiri. Interea iuridictionem paternam abbatis monasterii de Valle Dei, super dicto monasterio monialium de Slierpach, suspendendo usque ad aliam Capituli generalis vel Rmi D. N. Cisterciensis dispositionem.

40. Abbatibus de Sancta Cruce et de Zwetla, et cuilibet eorum in solidum, generale Capitulum committendo mandat et praecipit, ut quamprimum fuerit possibile, se transferant vel alter se transferat ad monasterium de Valle Dei, ibidemque visitant et reforment iuxta institutiones, privilegia et statuta Ordinis nostri, in capitibus et in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, omnia et singula, quae invenerint visitanda, emendanda, corrigenda et disponenda, super vita et moribus abbatis dicti monasterii de Valle Dei se diligenter et plene informando, et si excessus et crimina exegerint, dictum abbatem deponendo, et ipsi monasterio canonice et secundum formam et privilegia Ordinis de novo pastore providendo, aliaque omnia et singula circa praemissa agendo et faciendo quae iuxta formam Ordinis fieri solita sunt et consueta; praesentibus per immediatum annum in suo robore duraturis.

41. Ad idem pro monasterio de Victoria in Carinthia, abbatibus de Runa et de Novomonte.

42. Cum Salvatoris voce dignus sit operarius mercede sua, iustissimum et rationi consonum est, quod R. D. protector et sacri Ordinis nostri ac etiam dominus procurator in Curia, ad quos spectat pro Ordine libertatumque ipsius conservatione diu noctuque militare, et causas Ordinis bene et commode gubernare, stipendia rationabilia et possibilia recipiant ; et quia Ordo nullas in communi habet pecunias seu provisiones, nisi contributiones annuas, praesens generale Capitulum, priorum patrum vestigiis inhaerendo, ordinat contributiones monasteriorum Italiae et partium circumvicinarum, iuxta declarationem sub sigillo Diffinitorum ad R. P. D. procuratorem generalem Ordinis transmissam per eumdem dominum procuratorem cum potenti auxilio et favore R. D. protectoris levari, dando eidem domino procuratori potestatem et mandatum speciale levandi per se vel per deputatos suos ipsas contributiones, iuxta quottas sub sigillo Diffinitorum sibi transmissas, et easdem petendi, exigendi et recipiendi, et de receptis bonas et sufficientes quittantias faciendi. Contradictores vero seu solvere differentes, per censuras in privilegiis Ordinis contentas, viriliter compellendo, de quibus in primis distribuet quolibet anno praefato R. D. protectori pro stipendiis summam centum ducatorum auri de camera, de residuo autem sua deinceps percipiet stipendia, residuum ad dispositionem Capituli generalis reservando, et de universis, tam receptis quam expensis, per fideles et claras computationes quolibet anno Capitulum generale certiorabit.

43. Abbati de Alna committit generale Capitulum ut se informet super traditione cuiusdam domus vulgariter appellatae ac dictae de Pontiche ad annuum censum, quam traditionem facere volunt abbatissa et conventus B. M. de Veteri vineto eodem die factam, super quo informationem remittat domino abbati Claraevallis, cui Capitulum generale dat auctoritatem dictum tractatum traditionis confirmandi vel infirmandi, ac in hoc quod iustum fuerit decernendi, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM ET TRACTATUUM CONFIRMATIONES

44. Electionem, institutionem, promotionem et installationem venerabilis fratris Michaelis ad dignitatem abbatialem monasterii

de Ozzeck, prius eiusdem monasterii cellerarii, factam per abbatem monasterii Waltsachsen, eiusdem loci de Ozzeck patrem abbatem prout in litteris... approbat *etc.* supplendo. *etc.*

45. Ad idem, pro alio fratre Michaele de abbatiali dignitate de Sancta Cruce.

46. Electionem, institutionem, promotionem et installationem religiosi fratris Erhardi, tunc cellerarii monasterii de Waltsachsen, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii, factam per abbatem monasterii de Volkolderode, patrem abbatem dicti monasterii de Waltsachsen, necnon spontaneam resignationem senioris abbatis Erhardi, prout in litteris, etc.

47. Electionem, promotionem, institutionem et installationem factam de persona fratris Petri Legrant, de dignitate abbatiali monasterii B. M. de Valle regis, per dominum abbatem de Igniaco, eiusdem loci patrem abbatem... approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

48. Abbatibus de Elantio et de Bonoportu praesens generale Capitulum committit, ut se diligenter informent super electione et promotione ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Ursicampo, factam de persona fratris Nicolai Botoin, praesentis abbatis de Valleregis, eiusdem monasterii de Ursisampo expresse professi, prout in litteris, etc., et si dictam electionem rite et canonice secundum Ordinis nostri instituta fuisse factam, eamdem in plenaria Ordinis potestate approbent et confirment ; sin autem dictam electionem et promotionem minus canonicam fuisse, crimina quoque quae dicto electo imponuntur vera fore invenerint, eamdem electionem infirment, cassent et annullent, ac circa huiusmodi negotium decernant et faciant quod secundum Deum et conscientiam invenerint faciendum, in plenaria eiusdem Ordinis potestate.

49. Electionem, institutionem, promotionem et installationem ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Bebenhusen per abbatem de Schonavia, dicti loci de Bebenhusen patrem abbatem, factam de persona fratris Ioannis de Fridingen, antedicti monasterii de Bebenhusen expresse professi, prout in litteris, *etc.* confirmat, *etc.* supplendo, *etc.*

50. Anniversarium per abbatem et conventum monasterii B. M. de Longovado indultum et concessum illustrissimo principi domino Francisco de Britannia, comiti de Vertus, baroni Duvangon, domino de Cliesson et de Champlote, prout apparet lucidius in litteris dictorum abbatis et conventus super hoc con-

fectis, quibus haec praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

51. Tractatum initum, factum et passatum inter abbatem et conventum monasterii B. M. de Longovado ex una, et Guillelmum de Ferrofrondore, Ioannem Milot seniorem, et Ioannem Milot iuniorem, partibus ex altera, tamquam utilem ipsi monasterio, *etc.*, approbat, *etc.*

52. Tractatum pacis et concordiae initum et passatum per venerabilem abbatem Claraevallis, auctoritate generalis Capituli commissum, ad visitationem omnium et singulorum locorum et personarum Ordinis in partibus Hispaniarum consistentium, eadem auctoritate Capituli generalis passatum inter abbatem reformatorem congregationis monasteriorum nonnullorum Ordinis in regnis Castellae et Legionis sub quadam societate et vulgariter de *Observantia* vocatorum, eiusque coabbates et priores et conventus, super certis differentiis inter dictos abbatem reformatorem, abbates, priores et conventus ex una, et totum Ordinem et Capitulum generale partibus ex altera, habitis et haberi formidatis, prout in quodam instrumento super hoc confecto latius continetur, cuius tenor sequitur et est talis : attento quod huiusmodi tractatum pacis et concordiae praefati abbas reformator et abbates et diffinitores sui capituli provincialis confirmaverint et ratificaverint, praesens generale Capitulum, habita super hoc matura deliberatione, dictum pacis et concordiae tractatum, prout et quemadmodum, ut praemittitur, in instrumento super hoc confecto plenius continetur, etiam laudat, approbat, ratificat et confirmat.

REGISTRUM

53. Die 13 septembris anni 1493 coram Rmo D. N. Cisterciensi et dominis Diffinitoribus personaliter constituti, prout citati fuerant, venerabiles patres Erhardus senior et Nicolaus modernus abbas de Schonavia, et super litigio et differentiis inter eos motis per praefatum Rmum D. N. apertis et eis oblatis duabus viis, amicabili scilicet compositione vel rigorosa et iudiciali, ac per sententiam dictarum litium terminatione elegerunt et se submiserunt ad irrefragabiliter tenendum quidquid praefati Rmus D. N. et Diffinitores, visis eorumdem contendentium iuribus, duxerunt ordinandum, quibus iniunctum fuit, ut infra eiusdem diei vesperas produxissent quidquid producere vel allegare voluissent.

REHABILITATIONES

54. Ad supplicationem abbatis de Vetericella, praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Matheo Stelmechet, eiusdem monasterii de Vetericella monacho expresse professo, ut non obstante infamiae nota, et inhabilitate quam incurrit per saeculum, regulari habitu dimisso, discurrendo, possit nihilominus ad omnes actus, voces, officia, et dignitates assumi, etc. dignitate abbatiali inclusa ; omnibus eiusdem monasterii de Vetericella regularibus personis inhibendo, ne super huiusmodi infamiae nota et inhabilitate eidem fratri Matheo insultent aut improperent.

55. Ad idem, pro Matheo Steinberg, fratribus Frederico Martel et Erhardo Ysenman, eiusdem monasterii de Vetericella expresse professis, pro apostasia et discursione per saeculum, religionis tamen habitu regulari minime dimisso.

56. Ad idem, pro sororibus Anna de Sensiheym, Attilia et Dorothea de Galharesen, monasterii S. M. de Novallis, de incontinentia et carnis contagio convictis.

57. Ad idem, pro fratre Anthonio Hass, de monasterio de Capella, pro apostasia et dimissione habitus regularis.

58. Ad idem, pro fratribus Paulo et Balthasar Langiren de Bildhusen, pro apostasia et dimissione habitus regularis.

59. Ad idem, pro fratre Iacobo de Langleny, monacho de Longovado, pro contagio carnis.

60. Ad idem, pro fratre Aegidio de Jumetry, monacho de Longovado, pro simili casu.

61. Ad idem, pro fratre Nicolao de Latriceyo, eiusdem monasterii et pro simili casu.

62. Ad idem, pro fratre Simone de Arcu, eiusdem monasterii, pro simili casu.

63. Ad supplicationem abbatis de Sancta Cruce in Austria, praesens generale Capitulum gratiose et misericorditer dispensat cum fratre... *(locus vacuus)*, eiusdem loci de Sancta Cruce expresse professo, ut non obstante infamiae et inhabilitatis nota, quam incurrit, vel incurrere potuit, illicentiatus discedendo a dicto monasterio de Sancta Cruce sub colore recurrendi ad dominum Cisterciensem, pro remedio iustitiae habendo, possit nihilominus, etc.

IUDICES

64. Dominis abbatibus de Claravalle, s. th. pr., et de Morimundo, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum dat plenam auctoritatem decidendi lites et querelas in praesenti Capitulo ventilatas, inter abbatem et conventum monasterii de Rigniaco et abbatem de Fonteneto, s. th. pr., necnon inter promotorem causarum Ordinis, et dictum abbatem de Fonteneto super hoc, quod dictus promotor praetendit dictum abbatem de Fonteneto graviter infregisse privilegia, statuta et auctoritatem Ordinis turbasse et impedivisse, necnon etiam querelam eidem praesenti generali Capitulo propositam pro parte Ioannis Foucaut, civis et habitatoris civitatis Cabilonensis, contra praefatos abbatem et conventum de Rigniaco, dictasque lites et querelas debito fine terminandi, in plenaria Ordinis potestate.

65. Abbatibus de Sancto Sulpitio, de Rippalta, de Mataplana et Boeriis, et cuilibet ipsorum in solidum, praesens generale Capitulum committit et mandat, ut visis informationibus et supplicatione quibus praesens diffinitio annectitur, citent partes in dictis informationibus et supplicatione nominatas, et auditis audiendis, huiusmodi litem et causam fine debito terminent, in plenaria Ordinis potestate, invocato, *etc.*

66. Praesens generale Capitulum committit domino abbati de Claravalle, s. th. pr., ut se informet de contentis in tractatu facto per abbatem et conventum de Fonteneto et alios ex altera parte, in dicto tractatu, quibus praesens diffinitio annectitur, nominatos, circa huiusmodi tractatus confirmationem vel infirmationem, et si invenerit huiusmodi tractatum ad utilitatem monasterii fore factum, ipsum approbet et confirmet, sin autem illum infirmet, casset et annullet.

67. Dominis abbatibus de Firmitate et de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, ut cognoscant et decidant de lite et quaestione mota per promotorem causarum Ordinis adversus abbatem de Chaloceyo, qui ad instantiam dicti promotoris causarum citatus fuerat ut compareret in praesenti Capitulo generali, ad quod personaliter, propter certas excusationes eidem generali Capitulo praesentatas et receptas, non comparuit, dictamque litem et causam debito fine terminent, in plenaria Ordinis potestate.

EXCUSATIO ABSENTIUM

68. Attentis viarum periculis, tam occasione armatorum per vias transeuntium, quam etiam pestis, proh dolor! ubique pene vigentis, praesens generale Capitulum excusat omnes abbates, qui non venerunt ad generale Capitulum, sub poenis et censuris Ordinis omnes et singulos Ordinis abbates ad comparendum in proximo generali Capitulo, etc.

69. Quia frater Georgius Aularge, monachus monasterii de Columna sufficienter citatus ad instantiam promotoris causarum et vocatus, in diffinitorio non comparuit, praesens generale Capitulum ipsum reputat contumacem.

70. Idem pro fratre Ioanne Perini professo monasterii de Insula... etc., et executio commissa abbati de Escureyo.

SUFFRAGIA

71. Suffragia pro illustrissimo principe domino Francisco de Britannia, domite de Vertus, baroni Davangen, domino de Clizon et de Champlote.

72. Item, pro nobili ac potenti domino Ioanni de Castrovillari, eiusque generoso filio Ioanni de Castrovillari, domino de Thil et eorum liberis utriusque sexus.

73. Domino Ioanni Perard presbytero, Nicolao Migicier, eiusque consorti.

74. Richardo Poille, nobili, cum fratre et uxoribus et liberis. Thomas Froichet. Magister Philibertus de Puys, burgensis de Surregio. Hugo Larcheti, nobilis scutifer de Vougeto. Pro nobili viro Ioanne Foucaut, cive Cabiloneuse, et Margarita eius uxore, ad instantiam abbatis de Fonteneto.

1494

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

1494. *Fontes*: *Du*[2]: 40-56; *L*[6]: 1-56; *M*: 9; *No*: 36-56; *P*[2]: 1, 8, 9, 21, 34-56; *P*[4]: 36 *(abbrev.)*, 40-56; *W*: 57. [a] *Titulus apud L*[6] *tantum.*

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... etc. ut 1493.

2. Praeterea pro serenissimo... *(locus vacuus)*, necnon pro... etc. ut 1493.

3. Insuper pro burgensibus... etc.

4. Ceterum pro pace... ut 1493.

5. Demum pro felicis... etc. ut 1493.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... etc. necnon in summa 8002 francorum, 3 grossorum, 3 denarium turon. pro resta computationum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium de et pro tempore praeterito, et oporteat Ordinem ipsum varia et gravissima onera quotidie ultra consuetudinem occasione diversarum infractionum privilegiorum Ordinis et vexationum plurium insolitarum succrescentia necessario supportare, quae absque multiplicibus et solito gravioribus expensis, solvi, tractari et supportari non possunt, praesens generale Capitulum apostolica sequendo praecepta sub gravissimis censuris, etc. etc. ut 1493.

7. Omnes et singulas... etc. *ut in ano* 1492, *n*o 7.

8. Visis, auditis et ad plenum intellectis omnibus et singulis articulis contentis in reformatione Ordinis per reverendissimum in Christo patrem dominum abbatem Cisterciensem, s. th. pr., ceterosque ipsius Ordinis patres in [c] collegio Sancti Bernardi, 17 mensis februarii huius praesentis anni confecta et suis manualibus signis ac sigillis munita, ut in ipsa plenius continetur; generale Capitulum ipsam reformationem et omnes et singulos articulos praedictos in se continentem, tamquam sanctam, necessariam et iuxta sanctae regulae, usuum, statutorum et diffinitionum tenores ordinatam, et ad ipsum Capitulum pro maiori firmitate submissam, recipit, laudat approbat et confirmat, acceptando et corroborando omnia et singula, quae tam per reverendissimum dominum Cisterciensem quam per patres visitatores et Ordinis commissarios tunc usque in praesens vigore et praetextu iam dictae reformationis et articulorum praemissorum acta,

---

[b] Sub Alexandro 6o, *etc., et in margina*: Ioanne de Cireio, huius nominis 9, abb. Cisterc. 42 : *P*2. [c] in illa sancta conventione : *P*2.

instituta et ordinata fuerunt in singulis monasteriis per ipsos et quoslibet ipsorum visitatis, districtius praecipiendo universis patribus abbatibus, visitatoribus et commissariis imposterum ordinandis, quatinus articulos ipsos in se et suos recipientes indissimulanter ab omnibus regularibus personis utriusque sexus, tam propriorum monasteriorum, quam sibi commissorum et per eos visitandorum, praecipiant et faciant observari, facultate et qualitate praefatorum monasteriorum inspectis ac malis voluntatibus omnino reiectis et correctis, et ad sanctimoniae ac regularis disciplinae normam redactis. Ubi tamen necessariam impossibilitatem in praedictis articulis aut aliquibus eorum invenerint, super quibus eorum conscientias oneramus, dispensare aut intermittere poterunt usque ad immediate sequens Capitulum generale, ubi fideles de omnibus verbo et scripto reddere habebunt rationem, ne tam arduum et pernecessarium opus a Deo, quod non diffidimus inceptum executorum defectu vel inertia pereat et ad ultimum nostrae disgressionis, quod absit, deveniamus; ut autem tenacius in cordibus omnium imprimantur, nec ad alias superstitiosas declinemus novitates, praesens generale Capitulum iam dictos articulos praesenti diffinitioni praecipit et mandat annecti, et ad singula Ordinis monasteria per praesentes huic Capitulo, aut per praedictos patres abbates seu commissarios aut alios quoscumque portari et per ipsos aut proprios abbates exponi et ordinari; quorum scilicet articulorum tenor habetur in sequentibus ordinate.

9. Quia propter temporum indispositionem periculaque evidentia pestis, Diffinitores non possint, nec audeant diuturniorem hic in Cistercio trahere moram, praesens generale Capitulum remittit alias materias dicti Capituli Belnae terminandas, per dominum Cistercii, ceterosque Diffinitores per eum vocandos, omnino et in eadem forma ac vigore, sicut in praesenti diffinitorio terminarentur et terminari possent et deberent.

[DIFFINITIONES SPECIALES]

10. Super supplicatione pro parte abbatissae et monialium monasterii de Parco dominarum prope Lovanium, Leodiensis dioecesis, generali Capitulo praesentata, cui praesens diffinitio annectitur, ipsum generale Capitulum committit et mandat abbatibus de Cambrone et de Nisella, et cuilibet eorum in solidum,

quod se diligenter informent super omnibus in dicta supplicatione contentis ; et partibus hinc inde auditis, et rebus digestis rationem faciant, et iustitiam ministrent, cogentes per censuras Ordinis ea quae noverint facienda per partes inviolabiliter observanda, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

11. Cartam visitationis factam per Rmum D. N. Cisterciensem in monasterio monialium de Loco Nostrae Dominae eidem domino immediate subiecto, tamquam sanctam et necessariam praesens generale Capitulum approbat et ratificat cum omnibus punctis et articulis, poenis et aliis in ipsa contentis.

12. Insequendo tenorem diffinitionis factae anno praeterito ad abbatem de Montepetroso, quod recuperet et ad monasterium suum revocet sub censuris Ordinis fratrem N. monachum suum, qui contra Ordinis privilegia sine licentia Ordinem Fratrum Minorum intrare praesumpsit ; ideo praesens generale Capitulum iterum praefato abbati de Montepetroso sub eisdem Ordinis censuris praecipit et mandat, ut omnibus iuris et iustitiae viis praefatum fratrem ad praedictum suum monasterium reducat, committendo abbati de Septem fontibus, quod per easdem Ordinis censuras ipsum ad hoc faciendum compellat ; et si talia privilegia invenerit, per quae rite hoc fecisse potuerit, nec revocari posse iudicaverit, idipsum et quidquid inde fuerit necessarium sequenti Capitulo denuntiet, ac scripto et verbo referat.

13. Praesens generale Capitulum cupiens et desiderans regulares Ordinis alterius sexus personas non per saeculum vagari, sed ad propria monasteria regulariter conversari ; et graviter suscipiens sororem Beatricem Vandewale, professam monasterii de Blandecq, iam a certo tempore extra monasterium apud parentes degere, et quasi saeculariter vivere, iniungit abbatissae praefati monasterii de Blandecq, quatinus praefatam sororem Beatricem ad monasterium suum praemissum suscipiat, et illi iuxta Ordinis modum, sicut hactenus factum fuit, provideat, committendo abbati de Dunis, quod per se aut suum expressum praeceptum dictam abbatissam ad praemissa cogat per censuras Ordinis ac iuris et iustitiae vias, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate. Datum, etc.

14. Generale Capitulum praecipit et mandat abbati de Moroliis, quod insequendo praeceptum quod hucusque habet, contra et adversus abbatem de Ré diligenter et acriter usque in finem dicti processus prosequatur. Datum, etc.

15. Praesens generale cupiens et desiderans regulares Ordinis utriusque sexus personas non per saeculum vagari, ut superius positum est, etc.

16. Capitulum generale scribet et mandabit prioribus... *(locus vacuus)* super contentis in articulis per ipsos missis, quod in prima sua congregatione notent per articulos sigillatim ea omnia quae intendunt rationabiliter sibi per praefatum generale Capitulum indulgeri et concedi, et proximo generali Capitulo mittant, super his quod iustum fuerit facturum, praesente abbate Campensi.

17. Praesens generale Capitulum auditis et visis informationibus et litteris domini abbatis de Pontigniaco super homicidio perpetrato in monasterio de Callovio sibi immediate subiecto, in fratrem Ioannem Jufrenaul, et aliis scandalis et malis tam ex pessimo regimine monachorum quam abbatis negligentia et inertia, remittit praefatas informationes eidem domino de Pontigniaco, patri abbati praefati monasterii, committendo et mandando, ut quam celerius et commodius poterit se personaliter transferat ad praedictum monasterium, ac se super omnibus in dicta informatione contentis et aliis diligenter informet ; et rebus cognitis puniat modo et forma Ordinis eos quos compererit puniendos; et si abbatem praedicti monasterii negligentem et inutilem aut eorum, quae praemissa sunt fuisse et esse in causa invenerit, contra ipsum omnibus iuris et iustitiae viis procedat, omnia quae invenerit reformanda, destituenda et instituenda, tam in capite quam in membris, reformando, destituendo, instituendo, in plenaria Ordinis et dicti Capituli generalis potestate.

18. Praesenti generali Capitulo exposuit dominus abbas Morimundi, quod cum hactenus bonae memoriae frater Ioannes Vivien, novissimus abbas in Morimundo, monasterio de Bellavalle praefuerit, cuius monasterii paucos fructus et fere nullos recepit, pro cuius tamen promotione Romae, tam pro annata, processu, bullis et aliis, magnam pecuniae summam exposuit, et se suumque monasterium de Bellavalle apud banchavios obligatum et innodatum dereliquit ; postea pauco lapso tempore, assumptus fuit praefatus Ioannes a suo praefato Bellaevallis monasterio in abbatem Morimundi, et loco eius suffultus et ordinatus praefatus dominus abbas Morimundi modernus, qui, ut moris est, tam pro sua nova provisione quam pro praemissa pecuniae summa tamquam in monasterio successor extitit, et fuit tunc obligatus, verum et parvo temporis intervallo, praefato fratre Ioanne Vivien

abbate tunc Morimundi defuncto, praedictus dominus Morimundi modernus in ipsius Morimundi abbatialem dignitatem assumptus fuit, monasterium Bellaevallis praemissum cum praemissis debitis, quemadmodum a praedecessore susceperat successori relinquens, cui monasterio Bellaevallis praemisso successit in abbatem frater Anthonius de Nantone modernus abbas ; qui licet monasterium et dignitatem ipsius abbatialem admiserit, debueritque ac debeat activa et passiva debita ipsius monasterii accipere et solvere, nihilominus tamen praefatam pecuniae summam usque ad praesens renuit ac distulit omnino solvere ; verum cum ipsae pecuniae ad banchariоs usuris adducerentur et augmentantur, praefatus dominus Morimundi periculis et damnis ac graviminibus multis imminentibus impune subiacet, supplicans praefatum Anthonium fratrem abbatem Bellaevallis modernum, causis et rationibus praemissis ac sub Ordinis censuris ad praedictae pecuniae summam solvendam, et supplicantem exonerandum cogi et compelli. Quibus auditis et satis graviter acceptis, generale Capitulum, considerata ipsius fratris Anthonii abbatis praefati absentia, committit et mandat abbatibus de Balerna et de Charitate coniunctim, quatinus ad locum quem aptiorem noverint suis citationibus conveniant dominum Morimundi et abbatem de Bellavalle praefatos et illis auditis et diligenter intellectis unicuique bonam iustitiam ministrent ; et si praefatum fratrem Anthonium Bellaevallis abbatem invenerint praedictam pecuniae summam solvere debere, et ad illam teneri, cogant ipsum per censuras Ordinis ac per omnes iuris et iustitiae vias ad praedictam pecuniae summam solvendum et ad exonerandum et contentandum praefatum dominum Morimundi, invocato ad praemissa et ea tangentia quorumcumque potentum, communitatum, brachii saecularis auxilio, consilio et favore, praecipiendo in virtute salutaris obedientiae omnibus Ordinis regularibus personis, ut in omnibus his et ab his dependentibus, praefatis abbatibus de Balerna et Charitate tamquam Capitulo generali pareant et devote obediant.

19. Praesens generale Capitulum ad plenum informatum quod Rmus D. Cisterciensis licentiavit fratrem Petrum de Curba, professum monasterii de Rivosicco, quod posset studere in collegio Tholosano, aut in alia notabili Universitate, praecipiendo abbati praefati monasterii ut de necessariis ad studium illi provideat, et idipsum fecit dominus Claraevallis, visitator Hispaniae ; verum

his non obstantibus et contra praefatum licentiatum et ordinatum abbas monasterii ipsius de Rivosicco ipsum fratrem Petrum a praemissa licentia et facultate studendi privare conatur per censuras ac litteras domini regis Hispaniae. Quamobrem idem generale Capitulum ad Ordinis decorem et solamen respiciens praecipit et mandat praefato abbati de Rivosicco, sub Ordinis praemissis censuris, quod iam dictum fratrem Petrum iuxta primam licentiam et facultatem sibi, ut praemittitur, concessam sufficienter munitum, ad studendum remittat, usque ad triennium sine difficultate dando eidem licentiam quod in absentia fratrum Ordinis, aliis aut saecularibus confiteri possit et valeat, missasque confessione praemissa, dum opus habuerit, celebrare, committendo abbatibus et Buxeto et de Gomell, quod constito de praemissis licentiis per Ordinis censuras, ac omnibus iuris et iustitiae viis compellant praefatum abbatem ad praemissa, cassando, annullando et revocando censuras per ipsum abbatem in praedictum fratrem his occasionibus inflictas.

20. Inclinatum generale Capitulum precibus priorum in Hollandis ipsis ordinat, quatinus super contentis in articulis, *etc. ut supra n*° 16.

21. Devotioni ac petitioni christianissimi domini nostri regis obtemperans et acquiescens, praesens generale Capitulum diffinit et ordinat dici hymnum *Veni Creator Spiritus*, cum versiculis contentis in litteris praefati domini nostri regis et collectis, deinceps dici et cantari ad notam in singulis monasteriis Ordinis utriusque sexus, tum missam, necnon processiones fieri quolibet mense prima dominica per claustrum, secundum morem Ordinis cum aliis in eisdem litteris contentis.

22. Nobis nuper pro parte reverendissimi in Christo patris et domini, domini Ioannis Cistercii, s. th. pr., ac fratris Iacobi, similiter s. th. pr., olim Cariloci, nunc vero Morimundi, Cabilonensis, Bisuntinensis et Lingonensis dioecesium, monasteriorum abbatum, extitit expositum, quod licet iuxta et secundum dicti Ordinis instituta, regulata ac privilegia eidem Ordini auctoritate apostolica concessa, sint exempti a iurisdictione cuiuscumque iudicis ordinarii, ipsique eisdem privilegiis renuntiare non possint, et propterea nullatenus debuerint seu potuerint se in contrarium obligare, neque se iurisdictioni cuiuscumque iudicis, saltem qui non sit de eorum Ordine, submittere ad constitui, reservari et assignari faciendum auctoritate apostolica, tam tunc viventi

et nunc defuncto fratri Drouheto Henrion, tunc abbatis de regimine dicti monasterii Cariloci per dictum reverendum patrem sententialiter et cum cognitione causae destituto, quam Ioanni Charone asserto electo, cui nullum ius in dicto monasterio Cariloci unquam competiit, neque competit, aliquas annuas pensiones super fructibus, redditibus et proventibus eiusdem monasterii, et munus ad solvendum nobili viro Symoni de Charone, domicello Bisuntinensis dioecesis, eiusdem Ioannis patri ; qui nullum unquam in et super dicto monasterio habuit actionem summam quingentorum francorum monetae Burgundiae ; nihilominus quia praelibatus quondam frater Drouhetus postquam ipse tam propter dilapidationem dicti monasterii, quam aliis exigentibus demeritis finaliter privatus extitit, quoddam mandatum casus novitatis ab illustrissimo ac serenissimo Francorum rege contra praelibatum fratrem Iacobum in abbatem dicti monasterii Cariloci de et super possessorio eiusdem monasterii per dictum Symonem, ut aliqui dicebant impetrari procuraverat, et illius vigore eumdem fratrem Iacobum in curia Parlamenti, tunc in oppido de Dola sedenti, cui nobilis ac spectabilis et egregius dominus dominus Guido de Rupeforti, eiusdem Symonis nepos, saltem consanguineus praesidebat, de et super possessorio saepedicti monasterii traxerat in causam praelibati domini exponentis, tunc propter causas satis evidentes formidantes iustitiam ipsis denegari, et eidem quondam Drouheto ad prosecutionem dicti Symonis tunc aspirantis praedictum monasterium per resignationem quamdam dicti fratris Drouheti praedicto Ioanni eius filio conferri favores illicitos medio dicti domini praesidentis presbiteri, tunc coacti extiterunt se obligare ac iurisdictioni domini officialis curiae Bisuntinensis, etiam cum iuramento per eos et eorum quemlibet ad sancta Dei evangelia tunc praestito se submittere ac eidem Ioanni de Charone constitui, reservari et assignari auctoritate apostolica super fructibus dicti monasterii, licet in et super eo nullum ius unquam habuit, pensionem annuam ducentorum francorum monetae Burgundiae, litterasque desuper necessarias expediri faciendum, necnon ad solvendum, non tamen eidem quondam fratri Drouheto tunc impetranti dicti mandati casus novitatis ; quinimo eidem Symoni summam quigentorum francorum monetae praedictae. Et quamvis huiusmodi obligationes et submissiones factae extiterint contra sacrae dicti Ordinis instituta aut privilegia, eidem Ordini dicta auctoritate apostolica concessa, ac illis contrave-

nientibus, quod quidem praetensum instrumentum electionis et concordiae causis praedictis et multis aliis tempore et loco declarandis viribus non subsistat, nec effectum habere possit vel debeat, et intendant dicti reverendissimus pater et frater Iacobus instrumentum praedictum de nullitate redarguere, saltem quod illud veniat per iudicem competentem scindendum, cassandum et annullandum, verisimiliter tamen formidant, quod si nullitatem vel rescisionem praedictas per viam appellationis, vel aliter de iure prosequerentur, obsistat eis iusiurandum, quo dicti de Charone praetendunt praetensum instrumentum fore vallatum, nisi per nos super iuramento praedicto cum eisdem reverendissimo patre et fratre Iacobo auctoritate apostolica, qua fungimur et uti in talibus consueti sumus misericorditer dispensetur ; nihilominus quia praedicti domini exponentes formidant auctoritatem praedicti domini officialis curiae Bisuntinensis, cuius iurisdictioni se submittere coacti extiterunt, ut praefertur, ob non observationem praemissorum, saltem de facto innodari, nobis supplicaverunt sibi de et super praemissis de opportuno iuris remedio provideri, ac secum super relaxatione iuramenti per eos praestiti, ut praefertur, dispensari. Nos igitur, Capitulum et Diffinitores praefati attendentes praemissa, volentesque praemissis sic per dictos exponentes, ut praefertur, in praeiudicium dicti nostri Ordinis et ipsorum R. patris ac fratris Iacobi enormem laesionem et praeiudicium non modicum gestis, quantum cum Deo possumus obviare, dominis abbatibus de Firmitate et de Maceriis, Cabilonensis dioecesis, et cuilibet eorum in solidum, auctoritate nostra, imo verius apostolica, qua fungimur in hac parte, committimus et mandamus, quatinus cum praenominatis exponentibus, et quolibet ipsorum si hoc humiliter et devote petierint, super praedicto iuramento per eos praemissorum occasione praestito ad effectum, ut sine nota periurii instrumentum praedictum nullitatem vel rescisionem et cassationem, ubi et quando ipsis videbitur expedire prosequi possint et valeant misericorditer dispensando. Datum, etc.

[ELECTIONUM ET TRACTATUUM CONFIRMATIONES]

23. Electionem, promotionem et institutionem fratris Ioannis de Burco, ad dignitatem abbatialem monasterii de Faesia, necnon confirmationem patris abbatis immediati, ut patet per ins-

trumenta desuper confecta, quibus praesens diffinito annectitur, generale Capitulum ratificat et approbat et confirmat, supplendo defectus, si qui intervenerint, etc.

24. Electionem, promotionem et institutionem fratris Iacobi, s. th. pr., ad dignitatem abbatialem monasterii Morimundi, per R. in Christo P. D. abbatem Cisterciensem factam... *etc.* confirmat.

25. Tractatum seu permutationem et excambium initum et passatum inter abbatem et conventum de Lococrescenti, et dominum comitem Montisbelvardi, prout in litteris desuper confectis continetur, quibus praesens diffinitio annectitur, generale Capitulum recipiens committit et mandat abbatibus de Charitate et de Bitania, et cuilibet eorum in solidum, quod super ipso excambio seu permutatione et aliis in dicto tractatu contentis diligenter se informent per bonos et fideles viros, et alias secundum quod invenerint, ipsum et omnia in ipso contenta confirment, aut infirment, in plenaria Ordinis potestate.

26. Super tractatu arrendationis et admodiationis ad vitam, inito et facto inter abbatem et conventum de Quinciaco ex una, et magistrum Anthonium de Vital, advocatum civitatis Trecensis, partibus ex altera, de quibusdam terris, pratis et haereditagiis, prout in litteris desuper confectis, cui praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, praesens generale Capitulum committit domino abbati de Claravalle, quatinus super ipso tractatu et in eo contentis se diligenter informet; et si dignum confirmatione aut infirmatione invenerit, confirmet aut infirmet, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

27. Tractatum cui praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum certis ex causis et pro utilitate et quiete monasterii de Schallariis, usque ad aliam dispositionem Capituli generalis vel Rmi D. Cisterciensis tolerat.

28. Super tractatu, arrendatione et traditione facta inter abbatissam et conventum monasterii de Maloduno monialium, prout in litteris cui praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, praesens generale Capitulum committit et mandat domino de Firmitate et abbati de Regalimonte, quatinus se diligenter informent super omnibus ipsis, et praefatum tractatum, si viderit confirmandum, confirment, aut infirmandum infirment, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

29. Pensionem per R. D. abbatem Claraevallis antiquo abbati de Fusniaco post resignationem sui monasterii, super ipsum mo-

nasterium assignatam, prout in litteris, cui praesens diffinitio annectitur plenius continetur, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, quamdiu se honeste, virtuose, caste et religiose rexerit.

30. Committitur abbatibus de Charitate et de Roseriis, et cuilibet eorum in solidum, quod se informent super supplicatione praesentata pro parte Roberti Melle, contra et adversus abbatem de Bullione, et si ea quae in praefata supplicatione continentur, iusta et rationi consona ac praefato supplicanti debita, compellant praefatum abbatem Bullione ad solvendum summam, quam iuste et rationabiliter eidem cognoverint debitam, in plenaria Ordinis potestate.

31. Visa supplicatione nobilis viri, domini de Monte Betone, de dioecesi Montisalbani, contra et adversus abbatem de Bellapertica, prout in dicta supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum iustitiam unicuique, quantum in se est, et ad ipsum spectat, ministrare volens, committit et mandat abbatibus de Loco Dei et de Candelio, et cuilibet eorum in solidum, quatinus dictum abbatem de Bellapertica coram se convenire per suas citationes faciant, et si cognoverint ipsum iuste et rationabiliter esse obligatum, et teneri ad summam in dicta supplicatione contentam, omnibus iustitiae et rationis viis ac per Ordinis censuras, ipsum compellant ad praedictam summam, aut eam quam iustam invenerint solvendam, in plenaria Ordinis et Capituli potestate.

IUDICES

32. Pro collegio Sancti Bernardi Parisiis committitur domino de Firmitate, de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, et cuiibet ipsorum in solidum, praesens generale Capitulum committit ut omnes et singulares personas, quas per litteras, monumenta, instrumenta vel alia sufficientia testimonia debite invenerint venerabili collegio Sancti Bernardi Parisiis, Rmo D. Cistercii eiusque monasterio, in quacumque vel quibuscumque pecuniarum summa vel summis iusto debito teneri et obligari, quatinus easdem personas praedictas et earum quamlibet, sub poenis et censuris Ordinis, ac per omnes iuris et iustitiae vias ad reddendum, satisfaciendum et ad integre solvendum compellant et compelli faciant ac procurent, in plenaria Ordinis potestate,

invocato ad praemissa, si opus fuerit, brachii saecularis consilio, auxilio et favore. Datum, etc.

[ALIAE DIFFINITIONES]

33. Ad requestam domini Claraevallis pro abbatibus de Fusniaco et de Signiaco, de Boheriis, de Cambrone, de Villari, de Loco Sancti Bernardi, de Alna, de Valle Sancti Lamberti, de Grandiprato, de Molinis, de Iardineto, de Boneffia, de Dunis, de Bodelo, de Capella Thosan, de Claromarisco, de Nizella, de Longoponte, de Igniaco, de Ellantio, de Tribus fontibus cum sua filiatione, de Pietate, de Bullencuria, de Belloprato Belvacensi, de Moris, de Ripatorio, de Valleclara, de Vaucellis, de Chiminione, de Heysterbach, de Loco Sanctae Mariae, ut excusentur a praesenti Capitulo generali, et licentiam habeant absolvi et absolvendi suos auctoritate Capituli generalis pro semel, praesens generale Capitulum annuit et concedit.

34. Ad requestam domini Firmitatis pro priore, cantore [d] et fratribus ac sororibus de confrateria Septem Gaudiorum Beatae Virginis Mariae de Castronovo, et subventione, generale Capitulum desiderans et cupiens eorum rectas intentiones sua charitate muniri, et precibus ac Ordinis suffragiis augmentari, concedit eisdem et omnibus et singulis suis et dictae confrateriae benefactoribus usque ad quinquennium tantum a data praesentium computandum, plenam participationem omnium suffragiorum, orationum et aliorum bonorum spiritualium, modo et forma, quibus hactenus consuetum est et ordinatum.

35. Praesens generale Capitulum totis visceribus desiderans sacri Ordinis nostri reparationem simul et reformationem, articulos super dicta reformatione subscriptos, et per maiores patres Ordinis, matura deliberatione praevia, concordi animo, sub eorum sigillis et signaturis manualibus confectos, tamquam diffinitionibus, statutis et salutaribus ordinationibus sanctorum patrum conformes, et dicto Ordini summe necessarios, acceptat, laudat, renovat, confirmat et approbat, universis abbatibus, commendatariis, abbatissis, prioribus, cellerariis, ceterisque regularibus personis Ordinis, conversis, donatis seu oblatis, quantum cuius-

---

[d] cariore : *P*[2].

libet eorum statum tangit comprehensis, districtius mandans et praecipiens, etiam sub censuris in eisdem articulis contentis, quatinus diligenter et pro omni possibilitate sua, quantum eorum quemlibet concernit, dictos observent, observarique faciant, super quo abbatum, commandatariorum, abbatissarum, ac quorumcumque officiariorum, necnon visitatorum coram Summo Deo conscientias onerat, excepto articulo qui incipit : *Item, etsi omnino Benedictinae et diffinitionum praeceptis*, quem pro praesenti nec recipit nec reiicit, sed ad ulteriorem et maturiorem Capituli generalis dispositionem, Domino concedente, imposterum celebrandi, propter difficultates quae in diversis locis et monasteriis aliae et aliae super hoc contingere possunt, remittit. Sequitur tenor dictorum articulorum.

CONFIRMATIO CARTAE REFORMATIONIS ORDINIS

36. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Nos, frater Ioannes de Cistercio, s. th. pr., Claudius de Firmitate, Petrus de Pontigniaco, Petrus de Claravalle, s. th. pr., Ioannes de Prulliaco, Nicolaus de Savigniaco, Ioannes de Caroliloco, s. th. pr., Ioannes de Fonteneto, s. th. pr., Ioannes de Bonoportu, s. th. pr., Ioannes de Valloliis, s. th. pr., Michael de Laude, s. th. pr., Yvo de Claromonte, Gilbertus [e] de Curia Dei, Ioannes de Vallibus Sernay, Ogerinus de Igniaco, Petrus de Mortuomari, Ioannes de Fontemorum, Guillelmus de Longovado, Ioannes de Caricampo, Ioannes de Regalimonte, Mathias de Sancto Andrea in Goufferno, Ioannes de Lanneyo, Georgius de Gardo, Isidorus de Belloprato Belvacensi, Ioannes de Bellabrancha, Guillelmus de Begario, Ludovicus de Frigidomonte, Ioannes de Vallelucenti, Ogerius de Pietate, Ioannes de Longovillari, Ioannes de Ponte Ultrani, Ioannes de Voto, Henricus de Bonarequie, Ioannes de Villanova, Rolandus de Persenia, Petrus de Maceriis, Guillemus de Ré, Bernardinus de Alneto, Dyonisius de Ioyaco, Nicolaus [f] de Ursicampo, Ioannes de Vaucellis, Nicolaus de Signiaco, Ioannes de Sacracella, Bernardus [g] de Rippatorio, Ioannes de Nigrolacu, Symon de Pietate Beatae Mariae, Petrus de Bellobecco, Iacobus de Fus-

[e] Gulielmus : *NoP*2. [f] Nicolaus... Ioannes... Nicolaus : ***desunt in** No.*
[g] Bernardinus : *No.*

niaco, s. th. pr., monasteriorum abbates, notum facimus universis Christi fidelibus, praesentes litteras inspecturis, quod cum nos praefati fratres Ioannes Cistercii et Ioannes Boniportus monasteriorum abbates, per litteras christianissimi domini nostri, domini Caroli regis, huius nominis octavi, fuissemus convocati in civitate Turonensi ad diem duodecimam mensis novembris novissime lapsi, cum nonnullis reverendis patribus dominis episcopis, abbatibus, egregiisque et doctissimis viris, doctoribus ac magnificis iurisconsultis super modo reformationis status monastici atque regularis per totum regnum Franciae, ibidemque in speciali consilio ordinatione serenissimi domini nostri regis, iterum atque iterum super hoc celebrato, opiniones nostras secundum Deum et conscientiae aequitatem diffuse annuntiassemus, et tandem ordinatione magnifici domini de Rupibus, ex parte domini nostri regis in dictis consiliis praesidentis, etiam [h] per scriptum consilia nostra super his tradidissemus. In regressu nostro Parisiis, praemissa omnia pluribus venerabilibus patribus Ordinis nostri, quos ibidem invenimus, ad longum exposuimus. Tandem communis auctoritaris dicentis *quae de novo emergunt novo indigent consilio, et quod omnes tangit ab omnibus approbari debet*, rationem attendentes post multas providas et maturas deliberationes pro sacri Ordinis utroque statu feliciori decrevimus, tam nostro quam dictorum patrum nomine, plures nostrae religionis abbates in diversis huius christianissimi regni provinciis constitutos mandare et convocare ad diem quindecimam huius mensis februarii, gratia eis praemissa omnia communicandi, habendique eorum voluntates atque resolutiones super huiusmodi sancta reformatione, tam in personis suis, quam in monasteriis et personis sibi subditis. Nos quoque omnes et singuli abbates superius nominati, dicta quindecima februarii, post receptionem litterarum superius mentionatarum, in collegio nostro Sancti Bernardi Parisiis simul congregati, audita ampliori clariorique recitatione omnium actitorum in huiusmodi materia reformationis ex ore Rmi in Christo patris D. Cistercii s. th. pr., superius nominati, post maturam et authenticam deliberationem super praemissis inter nos habitam, concorditer simul una voce convenientibus nobiscum praefatis

[h] **iterum:** *No.*

dominis Cisterciensi et Boniportus patribus, finaliter ad infrascriptas devenimus conclusiones simul et resolutiones.

37. In primis, genibus in terram simul flexis, oculisque ac manibus in coelum erectis, tota mentis intentione possibili omnium bonorum largitori gratias egimus, qui aetate nostra sanctum et laudabile aeternaque memoria dignum menti devotissimi domini nostri regis infudit hoc propositum, ut pace terris reddita, exemplo David et Salomonis, de divinis attentius cogitaret ; quod quidem opus non minori gloria et merito fulgebit, si ad effectum usque rationabiliter et per eos ad quos spectat deductum fuerit, quam inclytissimae recordationis eius progenitorum simul et praedecessorum, in priorum huiusmodi fundatione locorum simul et dotatione refulsit. Confidentes simul et orantes illum ipsum, qui coepit, ut in effectum deducat.

38. Item, cum religiosa humilitate christianissimum dominum nostrum regem rogamus et obsecramus, quatinus in hoc sancto proposito perseverans, potenti et valida manu nostro et praedecessorum nostrorum summo integerrimoque desiderio super huiusmodi sancta reformatione assistere dignetur propitius, conformiter ad articulos per nos praefatos Cisterciensem et Boniportus abbates Turonis, ut dictum est, traditos, liberaque ac publica et adeo alta voce, ut etiam ipsius orbis [i] cacumina pulset, profitentes nos totis animorum desideriis sanctam et salubrem desiderare, semperque desiderasse reformationem, per quam solam novimus Ordinis nostri spirituales et temporales ruinas ad pristinum sanctimoniae decus reformari, et sancti Benedicti regulae puritatem in medium reduci posse ; ad quam profecto cum ceteris Ordinis patribus aspirantes, iam dudum multa desuper Sanctae Sedis rescripta amplissima, praesertim illud piae recordationis domini Innocentii Papae VIII quod incipit : *Meditatio cordis nostri*, cum consensu christianissimi domini nostri regis impetravimus ; scientes reformationem non novarum quidem adinventionum introductionem, sed potius ad sanctorum patrum vitam, caerimonias pariter et instituta reductionem respicere ; reformationem enim procul dubio fieri credimus, cum a priscorum traditionibus deviatum est, et denuo ad eorum vestigia sequenda reditur ; nam si nova introducitur forma, non plane reformatio seu ad pristinam formam reductio, sed novae religionis creatio

---

[i] coeli : L^6.

dici debet. Tantae autem sanctitatis et eminentiae in vitae puritate, in miraculorum crebra et evidenti ostensione, ac in doctrinae coelestis illustratione fuerunt primi sacrae huius religionis fundatores et patroni, ut sufficere videatur, si hodiernis temporibus eorum vestigia per sanctae religionis nostrae observantiam imitari valeamus.

39. Item, supposita hac firma animi [j] nostri circa sanctae reformationis amplexum deliberatione, nos praefati abbates, etsi credamus sacrum hunc Ordinem a Deo protectum, ut divinum cum sancto Helya accessisse videatur responsum : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curaverunt genu ante Baal* ; sintque plura monasteria huius sacri Ordinis, in quibus prima religionis observantia usque in praesens perseverasse creditur ; alia quoque, etsi pro humanae fragilitatis conditione in aliquo quandoque se deformaverint, divino tamen favente auxilio, ad pristinam religionis puritatem redierunt, et talia quidem pro nunc reformatione opus habere non videantur ; nihilominus tamen, quae ad alia coenobia, quae aut guerrarum vastitate, aut pestilentiarum acerbitate, aut processuum gravitate, aut mali abbatum seu monachorum regiminis enormitate, aut certe alias quomodolibet tam apud monachos quam apud moniales opus habent reformatione, sive in toto sive in parte, sive in membris sive in capite, sive in spiritualibus sive in temporalibus, nos praefati abbates proximi nostri Capituli generalis celebritatem, sacramque ipsius Ordinis reformationem expetentes, et ad ipsius examen pariter et iudicium cuncta, ut dignum est, ad integrum remittentes, consentimus et apostolica freti auctoritate, ordinamus et mandamus concorditer articulos sequentes ex sancta regula, statutisque Ordinis assumptos, ex nunc pro huiusmodi sanctae reformationis initio seu exordio, ubi opus est, inviolabiliter observari.

40. *De divino officio, ecclesiis Ordinis et locis regularibus* [k]. Et primo quidem ad ea quae divinum concernunt officium mentis nostrae oculos convertentes, ordinamus illud in singulis Ordinis nostri ecclesiis reverenter horis debitis, tam de die quam de nocte, morose cum debitis pausis, caerimoniis et inclinationibus, iuxta beatissimi patris nostri Bernardi monitionem et diffinitionum Ordinis tenorem celebrari, illudque tam ab abbatibus prae-

---

[j] Ordinis : *No.* [k] *Hic titulus et sequentes apud P⁴.*

sertim in vigiliis [l], quam ab aliis universis frequentari. Nullus praesumat sine cuculla chorum ad divina officia celebranda intrare ; missaeque omnes tam Ordinis quam fundatae infallibiliter celebrentur, et ecclesiarum atria [m], ceteraque Ordinis loca honesta et religiosa venustate decorentur, et ad religionis observantiam aptentur, et quod a frequentatione divini servitii nulli excusentur, nisi quos abbas iuxta conscientiae suae arbitrium quandoque pro monasterii utilitate vel honestate seu infirmitate duxerit excusandos.

41. *De abbatibus, eorum statu et vestitu.* Item, ut sancta haec reformatio a capite incipiat, universos Ordinis patres per suae fidei et religionis sacramenta, in oculis sanctissimae Divinitatis obtestamur, rogamus et interpellamus, quatinus iuxta apostoli decretum forma facti gregis, studeant digne verbo et exemplo discipulis praeesse sine pompa, omnem superfluitatem et excessum in statu, vestitu et aliis devitando [n], et religiosam honestatem per omnia ostendendo, saepiusque celebrando ; nec omnia ad nutum sed cum consilio saltem seniorum disponant ; non ferentes gibesserias ad corrigias seu cornetas saeculares, nec unus duo deinceps teneat monasteria saltem Ordinis, et sine Capituli generalis licentia et beneplacito.

42. *De capitulo quotidiano et correctione culparum.* Item, quod infallibiliter conventus diebus singulis intret capitulum hora ordinata, cum cucullis, ad peragendum quod Ordinis instituta iubent ; ubi praesidens circa culparum emendationem et observantiae regularis reductionem debitum faciat, nisi pro suis et aliorum delictis a visitatoribus singulis annis gravissime puniri velit.

43. *De refectorio, pitantia monachorum et residuis pauperibus erogandis.* Item, quod conventus diebus per Ordinem assignatis quibus non utimur carnibus, videlicet feriis secundis, quartis, sextis, sabbato, diebus sermonum, in Adventu, in Septuagesima, in Quadragesima, in Rogationibus, diebus ieiuniorum Ecclesiae et Ordinis, in refectionibus ordinariis comedat in cucullis in refectorio regulariter, benedictionem, lectionem et gratias Ordinis reverenter decantando, ieiuniaque Ecclesiae integraliter ac Ordinis, iuxta abbatis conscientiam, servando ; ubi autem refectoria minus ad hoc sunt apta, infra proximum generale Capitulum sub

---

[l] *deest* : L^6P^2. [m] altaria : *No.* [n] devitantes : *No.*

gravissima poena per Capitulum vel per visitatores infligenda, abbatis sollicitudine disponantur. Quo autem ad usum carnium omnes Ordinis filii sanctam regulam, necnon domini Benedicti Papae XII edicta et Ordinis diffinitiones cum timore Dei aspicientes, ab eis abstineant diebus praedictis, et non nisi in locis per dominum Benedictum XII deputatis, eis uti praesumant; praecipientes panem, vinum, pitantias et similia non in particulari cuilibet fratri, sed in communi ad refectiones ordinarias conventus distribui, reliquiasque in unum locum fideliter et honeste servari, ut inde in porta fiant eleemosinae secundum laudabiles Ordinis consuetudines, hospitalitatem honestam semper abbatibus et officiariis recommittentes.

44. *De disciplina minorum fratrum.* Item, praecipitur abbatibus universis, quatinus ubi non consueverunt instituere iuvenes monachos in divino servitio, in scientiis et bonis moribus, hoc ipsum deinceps facere studeant, et ad repellendam multarum personarum Ordinis ignorantiam, postquam servitium sciverint, procurentur eis magistri, qui in grammaticalibus et aliis primitivis scientiis eos erudiant, ut tandem eorum capaciores ad generalis Ordinis studia mittantur.

45. *De dormitorio et prohibitione tunicarum linearum.* Item, quod conventus regulariter dormiat in dormitorio, exceptis illis, quos abbas pro iusta consideratione aliter disponendos duxerit; et sub poena in *Benedictina* et aliis Ordinis statutis super hoc contenta, omnes camini existentes in dormitorio Ordinis infra dictum Capitulum omnino tollantur, et ad dispositionem in reformatione domini Benedicti Papae XII expressam reducantur, seras omnes lectorum seu camerularum penitus auferendo; ubi omnino infra dictum tempus sub dicta poena commutent lectos plumeos in materalia, linteamina linea vel cannabea in lanea, camisias lineas in laneas, sive sit pannus, sive sergea seu stamen et similia; et nullas habeant tunicas ante vel retro fissas, nullusque ullo tempore sine caligis celebrare seu ad officia divina se vestire praesumat.

46. *De infirmitorio.* Item, infra dictum generale Capitulum in quolibet monasterio disponatur et competenter muniatur infirmitorium, ad tractandum fratres infirmos cum charitate et ratione, iuxta sanctae regulae praeceptum.

47. *De visitationibus faciendis.* Item, provideant patres abbates et commissarii, quod annis singulis monasteria sibi subiecta

infallibiliter visitentur, et districte reformentur, sine tamen gravi expensa, tam in excessivo numero personarum et evectionum, quam alias ; sed omnia fiant in charitate et iuxta *Benedictinae* ordinationem, et ut de istis plenius Ordini constet, mandamus praecepta et edicta a sanctis patribus super frequentatione annua Capituli generalis edita, indissimulanter ab abbatibus observari.

48. *De silentio.* Item, abbates, priores et subpriores servent et ab aliis servari faciant omni tempore in locis regularibus et ubique, hora lectionis et post Completorium, religionis clavem, scilicet silentium ; et cum contigerit aliquos venerabiles viros ad monasterium declinare, portarius eos ad ecclesiam, et deinde ad hospitium seu commodum locum ducere teneatur. Nullusque in locis regularibus loqui praesumat sive cum intraneo sive cum extraneo, nisi forte abbas aut prior et omnis super hoc habens licentiam. Praevia salutatione, dicat supervenienti benevenisse et nihil plus ibidem loqui possit ; et ubique tam in monasterio quam extra, iuxta suae vocationis dignitatem, servent religionis gravitatem simul et honestatem.

49. *De paupertate.* Item, ex nunc sub declaratione poenae contra proprietarios in diffinitionibus Ordinis taxatae parare nolentibus, mandatur et praecipitur, quod quilibet abbas, infra quindecim dies post notitiam praesentium et applicationem suam ad monasterium suum, tollat Ordinis auctoritate ab universis religiosis quaecumque peculiaria[o] sive in animalibus, sive in vineis, terris, hortis, grangiis, aut quibuscumque aliis similibus, sive ad firmam sive ad vitam, et cunctos proventus bursae communi applicet, ut proprietatis vitium, ceu anathema iuxta sanctae regulae edictum penitus eradicetur, et per omnia iuxta regulae praeceptum vivant in communi ; cassando omnes et singulas litteras in contrarium, quacumque auctoritate editas, mandando tamen abbatibus, quatinus taliter per se aut per officiarios religiosis de victu et vestitu et aliis necessitatibus iuxta monasterii facultatem, et necessitatis exigentiam provideant, quod nullam notabilem inde sustineant penuriam seu egestatem, iuxta sanctae regulae dispositionem ; nullusque absque speciali abbatis licentia litteras seu eulogia mittere seu recipere praesumat ; nullus aliquid suum dicat ; se domnos aut fratres nominent ; bibentes

---

[o] peculia : *No.*

utramque manum apponant, ut in omnibus glorificetur Deus.

50. *De clausura locorum regularium, de ingressu mulierum et famulis monasterii.* Item, quod cum omni diligentia mandato abbatis, per priorem et subpriorem horis debitis, tam prandii et coenae, quam post Completorium, respective ostia claustri, refectorii, dormitorii et alia cum clave firmentur, praecipiendo abbatibus, prioribus et cellerariis et cuilibet eorum in monasterio suo, quatinus primas portas monasteriorum taliter claudi faciant, quod nulli contra sanctae regulae edictum exeant aut intrent, et maxime mulieres, nisi forte pro lacticiniis animalium, quae in primis curiis nunnunquam nutriri solent, abbas iudicaverit esse necessarium propter carentiam fratrum laicorum seu conversorum, habere aliquas vetulas [p] honestas et bonae famae, quae tamen sicut nec ceterae mulieres, exceptis magnis dominabus, nunquam loca regularia ingrediantur ; sed si opus sit, diebus dominicis cum residuo familiae missam audiant in capella portae. Nullique religiosi, excepto cellerario, aut quos abbas dispensaverit, ad curias ipsas, etiam infra septa monasterii, sine expressa licentia abbatis vel prioris transire praesumant ; super quibus visitator se noverit erga generale Capitulum vel patrem Cisterciensem rationem redditurum, quemadmodum salutaria haec instituta observari fecerit.

51. *De bursariis et subducendis rationibus.* Item, etsi omnino *Benedictinae* et diffinitionum praeceptis consonum esset providum bursarium vel bursarios per abbatem et conventum in quolibet Ordinis monasterio institui, qui universam monasterii substantiam [q] tam ordinariam quam extraordinariam recipiant, et iuxta abbatis ordinationem disponant, et de omnibus fidelem, valdeque expressam quolibet anno quater reddant rationem· Quia tamen aliqua monasteria necdum ad hoc disposita satis videntur, et ob hoc clausula ipsa pro ipsis monasteriis ad generalis Capituli decisionem pro nunc remittitur. Omnino tamen sub poena abstinentiae a vino per mensem praecipitur abbatibus et illis, qui huiusmodi onus sub eis habent, quatinus infra generale Capitulum faciant, aut fieri procurent bonas, specificas et integras computationes de omnibus receptis et expensis, tam pecuniarum quam granorum et aliorum, quas conventus vel sanior pars audire

---

[p] *Cf. ann.* 1157, *n°* 58, *t. I, p.* 67, *ubi in lege simili legitur* « velatas », *perperam, ut videtur in fontibus* $D^3L^1MP^4$. [q] summam : L^6P^2.

ad longum, videre, examinare, et pater abbas seu visitator approbare vel reprobare debebit, ne patrimonium Crucifixi contra religionis formam dissipetur, et deinceps quolibet anno huiusmodi computationes continuentur.

52. *De fratribus in via directis*. Item, quia deinceps monachi non vadant celebratum ad loca saecularia et vicina, nisi esset pro tam nobilibus [r] personis, quod sine reprehensione denegari non posset. Cum autem contigerit eos hac de causa vel quacumque alia egredi monasterium hoc nonnisi de abbatis, vel eo absente, prioris licentia, et non aliter fiat, idque non nisi in summa necessitate, aut evidenti monasterii utilitate fiat ; et tunc incedant regulariter et morate cum mantello seu cappa cum regulari caputio, deincepsque tam pedester quam equester nullus sit in via nisi cum huiusmodi cappa seu mantello et caputio regulari desuper. In civitatibus autem et locis honestis, sub poena carceris, nullus transeat nisi cum cuculla aut honesto mantello seu cloqua [s] nigra et caputio nigro, ut vel sic ab aliis distinguatur, et famulus Dei discerni possit. Nullus insuper sub gravi interminatione deinceps vadat ad festa locorum seu nuptias seu spectacula, seu huiusmodi saecularitates, aut ad tabernas, seu ibidem dormire praesumat, cum [t] memoria capitulorum regulae *de fratribus in via directis*, et similibus. Nullus quoque per viam portare praesumat venabulum, ensem, braquinart [u], aut huiusmodi gladios invasivos ; sed si contra canes aliquid portandum sit, illud ubique religiosam redoleat gravitatem. Nullus praesumat levare pueros de fonte, aut compatres seu commatres habere seu nominare, quomodolibet iurare, seu turpia quaelibet verba proferre.

53. *De abbatissis et monialibus*. Item, quidquid in praemissis de abbatibus et religiosis dicitur, hoc idem de abbatissis et monialibus, conversisque utriusque sexus respective intelligitur, cum adiectione quod visitatores, quibuslibet affectionibus seu sinistris excusationibus reiectis, ad praemissa necnon reformatas iuxta Bonifacianam quae incipit *Periculoso*, aliaque Ordinis statuta in communi vivere et laborare faciant, monasteria ipsa claudendo, ut neque deinceps exeant, neque viri aliqui, exceptis casibus a iure permissis, clausuram earum ingrediantur, eas ad vivendum per omnia laborandum in communi iuxta morem aliarum soro-

---

[r] notabilibus : *No*. [s] cappa : *No*. [t] cum... similibus : *deest No*.
[u] brachmarum : *No*.

rum Ordinis reformatarum, nihil habentes proprium. Per fenestram bene ferratam, panno et tela coopertam, confiteantur, et per fenestram duplici ostio ab intra et extra claudentes communicent. Per turnum dentur et recipiantur, quae danda et recipienda erunt, nec unquam religiosae aliquibus extraneis, nisi per fenestram valde spisse ferratam, et panno vel tela coopertam, et in praesentia alterius religiosae virtuosae, ad hoc specialiter deputatae, loquantur; omniaque murentur et obstruantur ostia de latere conventus ad magnum altare existentia; et fiant fenestrae optime ferratae ad videndum pretiosissimum sanctae eucharistiae [v] sacramentum ex magno altari, quae statim post elevationem sanctissimi sacramenti diligenter ad intus claudantur.

54. Item, districtius sub poena suspensionis a divinis praecipitur abbatibus Ordinis universi, quatinus infra proximum generale Capitulum faciant fieri et reparari bonos et fortes carceres in monasteriis suis ad acriter puniendum transgressores, et huic sanctae reformationi obedire renuentes, aliosque graviter contra Ordinis statuta delinquentes; inhibendo ne amodo sic leviter suos ad incerta loca transmittant, sed cum aliqui iuxta Ordinis diffinitiones de consilio seniorum emittendi erunt, statutorum forma servetur.

55. *De observatione praedictorum statutorum*. Ut autem praemissa omnia et alia in hoc Ordine reformanda clarius cognosci et ad effectum deduci veleant, apostolica et Ordinis auctoritate mandamus, quatinus infra proximum Sanctae Trinitatis festum, abbates et conventus simul horis et locis competentibus studiose et attente ultra consuetudinem legendi quolibet die in capitulo capitulum regulae, legant sanctam regulam, ususque et diffinitiones Ordinis, non quidem cantando, sed potius conferendo, et per scriptum notando ea omnia in quibus se aut aliquos suorum deviasse seu deviare cognoverint; satagantque ut boni sanctae religionis discipuli cuncta haec cognoscere, et ad effectum prout quemlibet concernunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, pro suarum animarum salute reducere.

56. *Epilogus*. Porro haec omnia, quae profecto sunt potius quaedam brevis statutorum Ordinis recapitulatio, quam nova ordinatio, cum toto residuo ad consummationem sanctae reformationis pertinente, debita cum reverentia ad proximi generalis

---

[v] hostiae: *No*.

Capituli discretionem remittimus. Praemissa omnia acta et ordinata fuerunt per nos abbates superius nominatos, in praefato venerabili collegio nostro Sancti Bernardi Parisiis, in magna aula. Cistercii [w] die septima decima mensis februarii, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, more gallicano [x]. In quarum omnium robur et testimonium, signeta nostra manualia cum sigillis duodecim nostrum praesentibus animo apposuimus.

Sic signatum per praemissos patres et abbates Ordinis praescriptos.

* * *

57. Capitulum generale committit abbati Michaeli de Sancta Cruce reformationem monasterii de Pelis, in capite et in membris.

1495

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, in generali Capitulo apud Cistercium statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc. ut in anno* 1492.

2. Praeterea pro serenissimo... *(locus vacuus)*... necnon, *etc. ut in anno* 1493.

3. Insuper pro burgensibus... etc. ut 1494.

4. Ceterum pro pace... etc. ut 1494.

5. Demum pro felicis... etc. ut 1490.

[DIFFITINIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... necnon in summa 8002 francorum, 3 grossorum, 3 denar. turon. pro resta computationum Capituli

---

[w] *deest No.* [x] gallico : *No.*

1495. *Fontes* : L^6 : 1-65 ; P^2 : 1, 7, 10, 15, 29 *(abbrev.)*, 60 ; *Bel* : 66.

[a] *Titulus apud* L^6 *tantum.* [b] Sub Alexandro 6⁰, *etc. ut in ann. praeced.* : P^2.

generalis anni immediate praecedentis et praecedentium de et pro toto tempore praeterito, et oporteat, etc. ut 1494.

7. Omnes et singulas... *etc. ut in anno* 1492, *n*o 7.

8. Et ad obviandum variis et multiplicibus discriminibus dietim de novo emergentibus, damnis et inquietationibus Ordinis generale Capitulum ordinare permittit, ut in omnibus et diversis regnis et provinciis orbis universi laudentur et passentur certae procurationes, et deputentur iudices sive procuratores ad succurrendum et defendendum iura, libertates et privilegia Ordinis, ordinandi secundum reverendissimi domini nostri beneplacitum et dispositionem.

9. Et quia praesens generale Capitulum propter multiplices et varias Ordinis materias, ipsas omnes in hoc loco non potuit diffinire et terminare materias, et omnia quae a praesenti Capitulo non sunt diffinita et terminata, Divionem remittit per Rmum D. N. Cisterciensem, ceterosque quos secum assumpserit Diffinitores, diffiniendas et terminandas, diffinienda et terminanda, eisdem vigore et auctoritate, quibus ad praesens terminarentur et diffinirentur.

10. Frater Ioannes, etc. generale Capitulum non sine maxima animi perturbatione gravissime ferens nonnulos Ordinis religiosos seu eorum abbates contra ipsius Ordinis statuta et privilegia, quae ipsi tamquam ipsius Ordinis veri filii usque ad mortem non solum conservare, verum etiam viriliter defendere et pro ipsis certare deberent in electionibus, provisionibus et confirmationibus procedere, ac hucusque in multis nostri Ordinis monasteriis processisse, suos instituere processus, quod deterius est, tam in ecclesiasticis quam saecularibus iudiciis iniuste maximis monasteriorum expensis, in ipsius Ordinis statutorum et privilegiorum vilipendium et detrimentum defendere satagant, ita ut propter prolixos et damnabiles processus monasteria ipsa finalem ruinam minentur, nisi de remedio provideatur opportuno. Hinc est quod generale Capitulum omnes et singulas diffinitiones annis retroactis super huiusmodi forma et modo providendi dictis monasteriis utriusque sexus Ordinis nostri, iuxta statutum Basileensis Concilii super hoc specialiter et laudabiliter confectum, tam in electionibus seu aliis promotionibus, tam in confirmationibus quam infirmationibus electionum irrefragabiliter procedatur, diffinit et declarat omnes provisiones quarumcumque personarum in ipso Ordine aliter factas, irritas et inanes, et insuper omnes tam pro-

moventes quam promotos, seu tales confirmantes et eorum fautores denuntiat incurrere et incurrisse censuras et poenas in ipsis diffinitionibus et privilegiis contentas ipso facto. Et insuper quia in multis diffinitionibus, quod quicumque electus in aliquo Ordinis nostri monasterio, seu confirmatus, nisi decretum suae promotionis in propria persona eodem anno quo fuerit promotus, ad Capitulum generale dicti Ordinis nostri, nisi inevitabili excusatione praepeditus fuerit, qui eam tamen per nuntium certum mittere tenebitur, attulerit, ipsa electio, confirmatio seu promotio redditur cassa et nulla, ipsas diffinitiones vigore praesentis diffinitionis renovando, approbando et confirmando, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

11. Generale Capitulum excusat abbatem et monasterium de Bellavalle propter certas causas a mittendo scolari ad Parisiense studium hinc ad decennium, non obstante diffinitione in contrarium de mittendis scolaribus facta.

12. Idem generale Capitulum remittit dicto abbati et monasterio medietatem contributionum ; itaque per decennium non solvat nisi dimidium contributionum ; facta sunt anno Domini 1495, teste signo abbatis pro tunc notarii Capituli.

13. Super requesta et supplicatione Perenetae, relictae quondam Ioannis Richarderii defuncti, contra et adversus abbatem de Chassenia super quadam pensione per praedictam Perenetam praetensa super monasterium ipsum de Chassenia, prout in ipsa supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur, plenius continetur; generale Capitulum singulis iustum iudicium facere volens, committit et mandat abbati de Miratorio, quatinus quam brevius et commodius poterit, partibus et quos noverit vocandos, vocatis et auditis, ipsis iustitiam ministret, praedictum abbatem, si ad eamdem pensionem affectum et obligatum invenerit, compellendo ad dictae relictae solvendum, aut si liberari debuerit et exonerari, ipsum liberandum, in plenaria Ordinis potestate.

14. Ad praesentis generalis Capituli notitiam devenit, fratrem Ioannem Periny super promotione sua ad monasterium de Altofonte longis temporibus et in diversis iudiciis, ac monasterium ipsum de Altofonte multipliciter gravasse et abbatem modernum molestasse et inquietasse, adeo quod suis exigentibus deme-

ritis, in monasterio Claraevallis per annum vel citra carceribus mancipatus nunc usque permansit, qui sua supplicatione ab ipsis liberari et sibi pensionem gratiosam super praedicto monasterio assignari possit et humiliter requirit. Idem generale Capitulum misericordiam rigori iustitiae anteferre volens, committit abbatibus de Tribus fontibus et de Chyminione, quatinus ipsum fratrem Ioannem Periny ad reddendum omnes libros, iocalia et alia quaecumque quae abstulit aut a praedicto monasterio auferri fecit, sub censuris Ordinis, et antequam ipsos carceres exeat, in primis compellendo, et postea eidem quamdam pensionem, non ipsi monasterio nimis onerosam, iuxta id quod invenerint assignent, in plenaria Ordinis et praedicti Capituli generalis potestate.

15. Generale Capitulum gravissime ferens fratrem Symphorianum de Belvaco[c], monasterii de Belloprato expresse professum, exigentibus demeritis, per Rmum D. Cisterciensem ad monasterium de Salem pro tempore emissum, qui ad ipsum monasterium licet iverit, nihilominus tamen in eo nullo tempore manere curavit, sed nunc usque vagabundus per saeculum discurrit, et in suo regressu quosdam suos complices in sua malitia solidavit et firmavit, in suae animae periculum et Ordinis detrimentum non modicum [d]. Quibus finem imponere volens idem generale Capitulum in praedicti fratris Symphoriani et suorum complicum punitionem et aliorum exemplum, praecipit et mandat abbatibus, Reverendissimo domino, de Firmitate, de Ursicampo, de Caroliloco et de Regalimonte, et cuilibet eorum in solidum, quatinus praedictum fratrem Symphorianum comprehendant quambrevius, et in altero monasteriorum de Caroliloco, de Regalimonte, aut de Valle B. M. strictis carceribus mancipent, quantum temporis noverint esse mancipandum, in panis et aquae poenitentia, qua expleta, ad ipsum monasterium de Salem iuxta Rmi D. Cisterciensis decretum remittant ; ceterosque suos complices iuxta sua demerita sic puniant, quod ceteris cedat in exemplum, etiam [expellendo], si expediens fuerit, prius tamen de locis congruis eis providendo, in plenaria Ordinis et praedicti Capituli generalis potestate.

16. Pestiferum virus quorumdam pseudoreligiosorum per orbem apud saeculares principes et alibi in animae suae periculum et Ordinis denigrationem damnabiliter vagantium, quam

---

[c] Bibuaco : P^2. [d] *hic desin.* P^2.

graviter et moleste ferens generale Capitulum, et super fratris Kiliani, monasterii de Eberbaco expresse professi, dissolutionem et inhonestam conversationem admodum, et quantum satis est, informatum, ut in eius emendationem et ceterorum in terrorem puniatur et emendetur, expressius praecipit et mandat abbati praefati monasterii de Eberbaco, et abbatibus de Benken [Lankheim ?] et de Fonte salutis, et aliis quibuscumque, quatinus praedictum fratrem Kilianum comprehendere satagant, et a saecularitate ad proprias caulas reducant, eumdem strictis carceribus ibidem, et expensis dicti monasterii mancipando, et iuxta demerita puniendo, ipsumque in posterum quietum, obedientem, morosum, et in praedicto monasterio de Eberbaco religiose conversari faciant et omnibus iustitiae viis compellant, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

17. Cum retroactis diebus per fratris Iacobi de Fonte resignationem a dignitate abbatiali monasterii de Barzella, in personam fratris Ioannis Praeponti, nunc ipsius monasterii abbatis, sit ipse frater Iacobus ab ipso destitutus, praesentique Capitulo praedictus frater Iohannes supplicet gratiosam pensionem ad Capitulo generalis beneplacitum eidem assignari ; idem generale Capitulum ceteris in posterum exemplum bonitatis praebere volens, committit abbatibus de Fontemorum et de Oliveto, ut super praedictae pensionis assignatione se diligenter informent, praedictoque fratri Iacobo de Fonte pensionem gratiosam, et non monasterio minium onerosam assignent, praecipiantque fratribus Adam Bodin et Ioanni Naul, monasterii de Landesio professis, ne contra iuris rationem praedictum abbatem de Barzella amplius molestent, sub Ordinis censuris et in plenaria eiusdem Ordinis et Capituli generalis potestate.

18. Capitulum generale multis certis et rationabilibus ex causis ad hoc inductum, dat et concedit abbati de Aceyo plenariam facultatem, auctoritatem et potestatem omnia et singula dicti monasterii de Aceyo bona mobilia et immobilia obligandi in banchis, sive ubi commodum fuerit, ad summam 163 scuta regia pro redimendis bullis ex parte dicti monasterii in Curia romana exponendam, ita dumtaxat, ut ea quae obligaverit in dicti monasterii bonis diligenter et quamprimum poterit, redimat et exoneret.

19. Ad Capitulum generale pervenit, quod nulla habita occasione, sicut iam ad plenum informatum est, admodiatores saeculares monasterii de Alpibus, fratrem Matheum de Byslesio,

priorem institutum in dicto monasterio per bonae memoriae dominum Hymbertum, quondam Cisterciensem abbatem, deposuerunt, et quemdam fratrem Ioannem de Marigniaco instituerunt ; qui et ipsis admodiatoribus dicti monasterii et conventus in detrimentum Ordinis per dicti monasterii... *(locus vacuus)*. Ideo praesens generale Capitulum tales abusus ferre nolens ; eo maxime quod neque commendatarii neque saeculares aut alii ab Ordine potestatem habent super religiosos monasteriorum sibi commendatorum aut admodiatorum, mandat et expresse praecipit sub poena excommunicationis latae sententiae, omnibus monitionibus necessariis praemissis et habitis, praedicto fratri Ioanni de Marigniaco officium prioratus dicti monasterii occupanti, ne ultra de praedicto officio se intromittat, sed infra novem dies ab exhibitione praesentis diffinitionis omnino desistat et ab ipso officio abstineat ; alias dicto termino eidem fratri Ioanni pro omni monitione elapso, si, quod absit, rebellis aut inobediens fuerit, praesens generale Capitulum ipsum excommunicatum de facto declarat et pronuntiat ; praesentis diffinitionis executionem abbatibus de Balerna, de Tela et de Altaripa, et cuilibet eorum, in plenaria Ordinis et praedicti Capituli generalis potestate committendo.

20. Ad audientiam praesentis generalis Capituli pervenit quod abbates monasterii B. M. de Bullione defuncti a 12 annis, absque licentia Capituli generalis, bona mobilia et immobilia in notabili numero ac etiam census vendiderunt et alienaverunt, in ipsum monasterii damnum et gravamen non modicum ; super quibus remedium apponere volens, praedictum generale Capitulum ipsas venditiones et alienationes a 12 annis factas tamquam damnosas et inutiles cassat, annullat et penitus revocat, declarando ipsos super his tractatus factos, initos et passatos, nullius roboris et efficaciae fuisse et esse, praemissis attentis mandans abbati moderno, ut per omnes iuris et iustitiae vias, omnia quae per huiusmodi abbates sic vendita et alienata fuerunt, recuperet et ad proprietatem dicti monasterii reducat.

21. Ad supplicationem abbatis de Theoloco rogantis, ut certa pensio per ipsum super ipsos fructus et proventus monasterii praedicti de Theoloco, fratri Vincentio de Vario, quondam abbati de Aceyo, assignata, per generale Capitulum confirmetur, prout in litteris desuper confectis, quibus praesens diffinitio annectitur plenius continetur ; idem generale Capitulum committit et ordi-

nat domino de Morimundo et abbati de Bellavalle, et eorum cuilibet in solidum, ut super ipsa assignanda et consignanda pensione, vel cassanda et revocanda, se diligenter informent, et iuxta id quod invenerint faciendum, faciant, habita consideratione ad facultatem et onere praedicti monasterii, in plenaria Ordinis et dicti Capituli generalis potestate.

22. Serenissime et illustrissime rex, humillima devotarum orationum virorum commendatione praemissa. Serenissime et inclytissime rex, non dubitamus vestram regiam maiestatem minime latere, quoniam monasterium de Plaz in inclytissimo regno vestro situm, sit immediate monasterio et abbati de... (*locus vacuus*), Ordinis Cisterciensis, Herbipolensis dioecesis, paterno iure subiectum, quam ob causam quilibet dicti monasterii de... *(locus vacuus)* abbas plenam iurisdictionem, dispositionemque et hactenus habuit et imposterum habere debet. Sed cum proximus abbas dicti monasterii de Plaz vita fuisset functus, aliusque in loco eius more solito instituendus esset, quaedam supervenerunt impedimenta, propter quae minime dicto monasterio potuit provideri, perinde atque ipse abbas de... per se vel per suum certum nuntium exponet. Quamobrem, serenissime rex, vestram inclytam excellentiam humilibus votis rogamus et petimus, dignemini excelso animo vestro et regia maiestate dignissimo dicto abbati, aut eius commissario, in causa praedicti monasterii assistere, eumque potenti manu adiuvare, ut iam quasi perditum monasterium, sub umbra ac defensione regii nominis vestri restituatur, quod quamquam de vestrae celsitudinis ingenita benignitate confidimus ; nihilominus tamen petimus, ut ad effectum maturius deducatur in hoc etsi non dubitamus Omnipotenti Deo vos gratum servitium facturos ; nos tamen vestra regia maiestas ad perpetuas gratiarum actiones apud Deum Omnipotentem nuncupandas obligabit. Et nos cum toto Ordine nostro pro perpetua pace et incolumitate... semper orabimus.

23. Cum pro honestate sacri Ordinis, et monasteriorum ipsius honore ac profectu, generale Capitulum semper desideret, ut docti et eruditi viri in Ordine nutriantur, qui et ipsum Ordinem decorent, et pro tempore necessitatis doctrina et consilio adiuvent ; quamobrem generale Capitulum religioso fratri Ioanni Maurret, monasterii de Bellobecco professo, honesto scolari venerabilis collegii Sancti Bernardi, et pro anno instanti sententiarum lectori, favere cupiens, non ignorans dictum monasterium

expensas, quas idem scolaris pro theologicis actibus necessario est facturus sufficere sine magno detrimento non posse, praecipit et mandat abbatibus monasteriorum de Alneto, de Fulcardimonte et de Lanneio, ut quoniam nullos scolares in dicto collegio Sancti Bernardi mittunt, quilibet eorum det et realiter persolvat praefato fratri Ioanni Maurret decem libr. turon., quamprimum requisitus fuerit, ut tali pecuniarum summa praefatus frater Ioannes adiutus, suos actus pro honore Ordinis decentius principiari et prosequi possit ; praesentis diffinitionis executionem committens cuilibet abbati desuper per fratrem Ioannem praedictum requirendo,dando eidem sic requisito abbati plenariam Ordinis auctoritatem praefatos abbates, si summam praefatam solvere nollent, sub omnibus Ordinis censuris compellendi et compelli faciendi.

24. Generale Capitulum graviter ferens multorum monachorum suae professionis oblitorum insolentias et suorum abbatum super faciliori licentia indiscretiones, super quibus licet iam multae diffinitiones ediderit, nihilominus ab his tam active quam passive minime abstinent. Inde quidam frater Anthonius, professus monasterii B. M. de Chassania, satis abbati suo infestus obtinuit licentiam extra proprium monasterium in Ordine per sex annos manere ; et inde plurima Ordinis monasteria circumiens nullum invenit benevolum receptorem ; quapropter veniens ad dictum Capitulum ad monasterium suae professionis de Chassenia remitti petiit, ad eius supplicationem idem generale Capitulum inclinatum nolens animas fratrum sic girovagando deperdi, Ordinemque propter fratrum discursus inordinatos denigrari, committit, praecipit et mandat sub censuris Ordinis eiusdem praedicto abbati de Chassania ut, omni excusatione cessante, recipiat praedictum fratrem Anthonium, et suum et dicti monasterii religiosum professum, sicut ceteris suis filiis necessaria ministrando, et si quae digna correctione commisit, corrigenda, nec illi amplius nec ceteris licentiam tribuat evagandi, mandando abbati de Miratorio, quatinus omnibus iuris et iustitiae viis praedictum abbatem de Chassania ad ea et singula observanda compellat, in plenaria Ordinis et praedicti Capituli generalis potestate.

25. Generale Capitulum in tantum excrevisse hominum malitiam non mediocriter admirans, quod non solum extranei, verum etiam intranei Ordinis... *(locus vacuus)* et honoribus elati contra suae professionis vota, viscera materna rodentes, et ipsius membra lacerantes personas et causas Ordinis ad tam ecclesiastica

quam saecularia iudicia trahant, immensis molestationibus tam caput quam membra... Idcirco generale Capitulum omnes diffinitiones retroactis temporibus contra huiusmodi inconcussa matris fundamenta molientes, renovat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate, declarando omnes tales poenas et censuras in dictis diffinitionibus et privilegiis contentas incurrere et incurrisse. Datum, etc.

26. Generale Capitulum gravi cum animi iactura quasdam informationes a quibusdam regiis officiariis virtute quorumdam mandatorum secundum formam iuris factas audiens, venerabilibus dominis abbatibus de Igniaco, de Valle regis et de Bonofonte, Remensis dioecesis, expresse mandat et praecipit, quatinus diligentes et exactas informationes faciant tam in monasterio de Elantio quam extra, super quibusdam minis illatis per fratrem Ioannem de la Haye et suos complices contra Rmum D. N. Cisterciensem et suam concomitivam, fratrem Ogerium de Divione, abbatem eiusdem monasterii de Elantio, et morte domini Ioannis de Montiny, ultimi et pacifici abbatis et possessoris eiusdem monasterii de Elantio, praedictas informationes eidem Rmo D. N. Cisterciensi fideliter clausas, aut suo deputato, quamcito poterunt transmittendo. Datum, etc.

27. Ad generale Capitulum per abbatem de... *(locus vacuus)* deductum est quod ipsum monasterium de... *(locus vacuus)* quaedam bona immobilia hactenus habuerit et possiderit, quae minus ipsi monasterio utilia videntur, quamobrem supplicabat idem praefatus abbas licentiam sibi impertiri dicta bona vendendi et alienandi pro maiori fructu dicto monasterio, ex tali venditione proventuro. Ideo generale Capitulum committit iuxta *Benedictinam* abbatibus de Ebraco et de Bildhusen, et cuilibet eorum in solidum, ut se diligenter super praemissis informent, habitoque respectu ad sacri Ordinis statuta, licentiam, si ita expedire viderint, dicto abbati de... praefata bona vendendi et perpetuo alienandi dent et concedant, in plenaria Ordinis potestate, ita dumtaxat ut pecunia ex dicta venditione collecta ad alia ipsius monasterii bona vel redimenda vel de novo emenda convertatur.

28. Non sine magna displicentia ad generalis Capituli notitiam est deductum, quod quidam frater Anthonius Combabessosa, professus monasterii de Valeta, se multis variis gravibus et enormibus excessibus implicaverit, prout in informationibus desuper factis ad plenum continetur ; nihilominus tamen, idem frater

Combabessosa ab Ordinis commissariis ad curias regias appellaverit, eoque modo, ne de suis excessibus puniri possit, hactenus subterfugerit, in non modicum scandalum ipsius Ordinis, ac animae suae grave discrimen et periculum. Quamobrem generale Capitulum ad petitionem abbatis de Valeta volens tot enormibus insolentiis pro sua possibilitate finem imponere, et quia dictus frater Anthonius Combabessosa aliter non potest neque comprehendi nec corrigi, dat et concedit praedicto abbati de Valeta praesentis diffinitionis vigore plenariam auctoritatem et potestatem processum seu processus quoscumque contra dictum fratrem Anthonium in curiis et parlamentis regiis quibuscumque prosequendi, per se vel per suos procuratores, ipsumque fratrem Anthonium comprehendendi, seu comprehendi faciendi, puniendi, corrigendi, incarcerandi, aliaque omnia et singula contra praedictum fratrem faciendi, agendi, tractandi et terminandi, quae iuxta excessuum gravitatem et enormitatem criminum secundum diffinitiones et statuta Ordinis cognoverit punienda et corrigenda ; omnes et singulas appellationes per dictum fratrem Anthonium factas aut fiendas, pro nunc et ex tunc in plenaria Ordinis potestate, cassando et tamquam frivolas annullando ; invocato ad praemissa et ea quomodolibet tangentia quorumcumque iudicum ecclesiasticorum seu saecularium potentum auxilio, consilio et favore in omnibus et singulis praedictis, libertatibus et privilegiis Ordinis semper salvis.

29. Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die decima tertia mensis septembris anno Domini 1495 apud Cistercium celebrato facta est quaedam diffinito cuius tenor sequitur et est talis : Abbatibus monasteriorum de Balerna, de Bellavalle et de Charitate, et cuilibet eorum in solidum, salutem et in commissis fidelem diligentiam adhibere. Gravem Rmi D. abbatis monasterii Cistercii religiosorumque fratrum eiusdem conventus monasterii querimoniam generale Capitulum accepit continentem, quod licet monasterium de Caroloco praedicti Ordinis, Bisuntinae dioecesis, certis, iustis, legitimis et probabilibus causis in litteris apostolicis desuper confectis insertis, et consensu eiusdem Capituli generalis fuerit et sit Ordinis auctoritate, iuxta ipsius Ordinis privilegia, ac demum apostolica auctoritate praedicto monasterio Cistercii unitum, annexum et incorporatum, non obstante quod a monasterio Claraevallis eiusdem Ordinis immediate dependeat, seu

illi quovismodo subesse noscatur ac cum aliis non ob... *(locus vacuus)* et clausulis necessariis et opportunis, fuerintque dicti dominus Cisterciensis eiusdemque loci conventus praedictae unionis vigore possessionem assecuti, illoque et eius fructibus etiam ultra annum usi pacifice et gavisi. Nihilominus quidam frater Matheus, praedicti monasterii Claraevallis assertus religiosus, nescitur quo spiritu ductus vel quo titulo munitus, a duobus mensibus citra, praedictum monasterium ab eisdem conquerentibus pacifice, uti praemittitur, possessum de facto, nullo sibi saltem canonico suffragente titulo, ingressus est praetendens contra veritatem illud sibi competere, talem qualem licet nullam eiusdem monasterii possessionis formam apprehendendo, obedientiasque monachorum cum certis fructibus et emolumentis perperam usurpando ; et ob id praefatos reverendissimum et venerabiles conquerentes indebite praeter omnem iuris formam et contra saluberrima dicti sacri Ordinis privilegia et instituta, et alias indebite inquietando, et in sua iusta possessione dicti monasterii Cariloci molestando in grave eorumdem conventuum praeiudicium, vilipendium et contemptum ; et propterea petierunt a dicto generali Capitulo praedicti monasterii Cariloci detentionem sic iniuste occupatum sibi ante omnem principalem negotii cognitionem restitui, ac in integram possessionem reintegrari, sibique bonam et brevem de praemissis iustitiam ministrari. Hinc est quod idem generale Capitulum tam praefatis conquerentibus quam ceteris Ordinis personis unicuique secundum iustitiae et aequitatis viam debitum reddere volens, cupiensque, quantum ex alto concessum fuerit, tales insolentias reprimi, et unicuique reddere et restitui facere quod suum est, ac quemlibet sua iusta gaudere possessione ; attendens etiam materiam reintegrandi, necnon quaestionem spoliationis usque adeo privilegiatam, ut ante omnia terminari debeat ut praedo spoliatus, etc. sit et veniat restituendus. Vobis praefatis abbatibus et cuilibet vestrum in solidum, praesentium tenore, committimus et iniungimus et districte praecipiendo mandamus, quatinus si vobis aut alteri vestrum, quem ad hoc vocari contigerit, summarie, simpliciter et de plano constiterit praedictum monasterium de Caroloco fuisse et esse sacro Cistercii monasterio, totius nostri Ordinis matri, auctoritate apostolica annexum, ut praemittitur, unitum et incorporatum, etiam de consensu eiusdem Capituli generalis, illudque fuisse a praelibatis dominis conquerentibus praedictae unionis vigore, seu alio iusto

et canonico, vel saltem colorato titulo ultra annum et diem pacifice possessum, et exinde dictos conquerentes fuisse et esse a praefato fratre Matheo molestatos indebite aut spoliatos de facto et eiectos, vos aut quilibet vestrum... praefatos conquerentes ad praetacti monasterii integram possessionem de Caroloco per sententias et censuras ecclesiasticas, aliisque viis iuris remediis opportunis primitus et ante omnia restituatis seu restitui faciatis, saepefatum praetensum intrusum et alios quoslibet spoliatores, seu illicitos detentores, etiam per suarum personarum, si opus sit, et personae regulares dicti Ordinis et professionis extiterint captionem, incarcerationem, et brachii saecularis invocationem, a praedicto monasterio amovendo, et exinde in negotio et materia principali auditis ad plenum partibus, vocatisque omnibus quorum interest canonice et iuridice, servatis tamen praedicti Ordinis ordinationibus et statutis cum auctoritate procedatis usque ad diffinitivam sententiam, illiusque debitam executionem de et super quibus omnibus ac dependentiis ac accessoriis quibuscumque vobis et cuilibet vestrum plenariam dicti Capituli generalis potestatem et auctoritatem committimus expresse et demandamus. Datum in diffinitorio nostro sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, die, mense, anno et loco praedictis.

30. Capitulum generale benigne favens devotioni abbatis et religiosorum monasterii de Fontibus in Anglia, quam habent ad sanctum et gloriosum martyrem Oswaldum, regem quondam Angliae, dat et concedit dicto abbati et conventui, eorumque successoribus auctoritatem, ut in primis vesperis et ad laudes habeatur commemoratio una et in missa collecta, sicut de uno martyre fieri consuetum est, maxime attento quod sacra pignora seu reliquiae eius in ecclesia dicti monasterii venerabiliter conserventur.

31. Ieronimo in quadam epistola dicente, « devotio et litterae pepererunt divitias Ecclesiae », praesens generale Capitulum attendens singularem affectionem et diligentiam abbatis de Fontibus ad solemne collegium Ordinis Oxoniense, ut illud non solum in aedificiis, sed etiam in libris pro bibliotheca conficienda, in ornamentis ecclesiae, in clenodiis et aliis utensilibus instauretur, adornetur et compleatur. Ideo praesens generale Capitulum dicto abbati de Fontibus dat plenariam auctoritatem et potestatem requirendi ab omnibus et singulis abbatibus in partibus regni Angliae et partium Walliae, ut unusquisque pro sua facultate

conferat et donet pro bibliotheca octo vel decem libros bonos et honestos, qui digne possint in armario reponi, et insuper pro reliquiariis et aliis ornamentis componendis et disponendis aliquod gratiosum subsidium conferant ; ita tamen ut unusquisque abbas, quid et quantum contulerit aut tribuerit sub sigillo suo diligenter scribi et annotari faciat, ipse quoque abbas de Fontibus aut eius commissarii teneantur de receptis sufficientia documenta dare, et de his omnibus etiam in particulari proximum generale Capitulum per scriptum conveniens informare, ad rerum veritatem fideliter declarandum.

32. Praesens generale Capitulum suae considerationis oculos ad multa circumferens et monasteriis Ordinis in inclytissimo Angliae regno, de sufficientibus et idoneis commissariis providere semper cupiens, commissiones anno immediate superiori abbatibus de Fontibus, de Gratiis et de Stratfordia deputatis et transmissas ad venerabiles patres dominos Marmaducum, modernum praelibati monasterii de Fontibus, Ioannem de Stratfordia, et Willermum de Gratiis monasteriorum abbates secundum dictarum commissionum tenores continuat, renovat et confirmat, dando ipsis et cuilibet eorum plenariam potestatem dictae commissionis pro tempore in ipsis... exsequendi in plenaria Ordinis potestate ; ita tamen ut debitum in omnibus iuxta Ordinis diffinitiones et statuta in sibi commissis, facere, exorbitationes a forma sacrae religionis nostrae pro viribus expugnare, Ordinis privilegia pro viribus defendere, collegium apud... in spiritualibus et temporalibus iuxta Ordinis intentionem instaurare, possibiles reformationes secundum expressum S. D. N. Papae mandatum ac christianissimorum principum salutare desiderium facere, contributionesque omnes Ordinis fideliter levare, et ad generale Capitulum pro eorum et totius Ordinis... annis singulis, cum restis seu arreragiis, sub censuris apostolicis et Ordinis transmittere, et de veritate praemissorum Capitulum proximum fideliter et diligenter sub dictis censuris informare.

33. Committitur abbatibus de Tela et de Sancto Sulpitio, ut se debite informent super vita et moribus fratris Mathei de Byslesio, quondam instituti prioris monasterii de Alpibus per bonae memoriae dominum Hymbertum, quondam abbatem Cisterciensem, et si ipsum invenerint utilem et idoneum dimittant eum ; sin autem eum deponant et alium instituant.

34. Discordiis et contentionibus, quae iam dudum inter abba-

tem modernum monasterii de Victoria et alterum qui resignaverat, multipliciter vertuntur, non sine magno Ordinis et monasterii gravamine, informent... legendo et examinando litteras et monimenta, quae cum praesentibus eisdem Capitulum generale transmittit, committendo et mandando, ut finem tandem tam longis discordiis imponant, partibus utrisque praecipiendo ut sententiis et decisionibus dictorum abbatum acquiescant, silentium perpetuum partibus imponendo, in plenaria Ordinis potestate.

35. Generale Capitulum abbatibus de Vallibus in Ornesio et de Crista committit, ut se diligenter et debite informent super id quod frater Claudius Ponthin, monachus et professus monasterii de Sancto Benedicto exposuit, videlicet quod ab octo annis, vel eo circa expulsus est a monasterio suo per suum abbatem... unde cogitur ipse religiosus per saeculum discurrere et Ordinis disciplinam infringere, coniunctim committit quod debita super praemissis informatione per eos facta, decidant et terminent partibus coram eis, si expedierit, iuridice vocatis ; et si invenerint dictum fratrem Claudium reum aut culpabilem, ipsum secundum sua demerita puniant, et in suum proprium monasterium remitti et recipi praecipiant.

36. Cum Rmus D. Cisterciensis post electionem et promotionem liberam piae memoriae Ioannis Vivien ad dignitatem abbatialem monasterii Morimundi, paterna benignitate ad praefati monasterii restaurationem motus et inclinatus responderit seu fideiussisset in bancho pro pecuniis ad expeditionem bullarum necessariis tandem ventum fuit, ut bonis viris intervenientibus, modernus abbas praefati monasterii Morimundi cum banchario qui dicitur Remordey composuerit ad summam 1200 scutorum diversis terminis solvendorum, de quibus iterum dictus Rmus D. Cisterciensis respondit et fideiussit, dignum est, ipsum et ecclesiam suam aliquam desuper habere securitatem. Quamobrem generale Capitulum ad instantiam procuratoris Cistercii praefatum dominum Morimundi attentius hortatur, et nihilominus districtius in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae ac emissionis perpetuae poena a dicto monasterio, priori, cellerario, procuratori et tribus aliis de senioribus monachis dicti monasterii Morimundi mandat et praecipit, quatinus bonam, competentem et sufficientem... securitatem sub sigillis abbatis et conventus infra proximum festum

Omnium Sanctorum praefato Rmo D. N. expensis eorum transmittant et realiter tradant, ne pro tanta gratitudine pio patri abominabilem reddant ingratitudinem, monasterioque Cistercii pro beneficio damnum referat, quod siquidem Deus avertat! religiosi ipsi salutarem aequissimamque hanc ordinationem non impleverint, generale Capitulum primo abbati vel priori ac monacho Ordinis in sacerdotali instituto executionem praesentis diffinitionis committit et iniungit, in plenaria Ordinis potestate.

37. Generale Capitulum ex relatione abbatis de Bellavalle intelligens dictum monasterium Bellaevallis, propter solutionem annatae, aliaque gravamina, mutuo accipiendi pecunias a quibuscumque personis ecclesiasticis aut mercatoribus usque ad summam libr. turon. sexcentum, multis debitis esse innodatum, nec posse se et monasterium redimere, nisi certam pecuniarum summam super redditus antiquos ipsius monasterii recipiat; idcirco generale Capitulum dat et concedit praefato abbati de Bellavalle auctoritatem et potestatem, donec interim summam sic acceptam solvere valeat et quittare, et pro securamento eorum, qui pecunias sic commodaverunt, dat idem generale Capitulum licentiam et auctoritatem praefato abbati de Bellavalle posse assignare huiusmodi persolvendos de sexcentum libr. turon. annuos redditus super redditus quos dictum monasterium apud Bisuntium habet et possidet.

38. Ad aures praesentis Capituli generalis non sine gravi displicentia deductum est, quod nonnulli religiosi monasterii Sancti Andreae in Gouferno, qui iam ab aliquo tempore multas insolentias, nequitias, disturbationes in eodem monasterio faciunt, sintque simul omnes in nequitia colligati, quod abbas eorum nequaquam eos corrigere possit et emendare. Quamobrem generale Capitulum huiusmodi insolentiis et controversiis finem imponere volens et cupiens, committit abbatibus de Savigniaco, de Barbereyo, s. th. pr., et de Claromonte, et cuilibet eorum in solidum, districte sub poenis et censuris Ordinis praecipiendo et mandando, ut se ad dictum monasterium, vel si tutus non patuerit accessus, ad locum propter hoc per alterum ipsorum propius eligendum et nominandum, accedant seu accedat eorum alter, citatisque citandis et auditis audiendis, dictos fratres si eos conspiratores et rebelles eorum abbati et Ordini, ut praefertur, invenerint, corrigant ac severe carcerali poena vel dispersione, seu perpetua expulsione a dicto monasterio eiiciant, castigent et corrigant, prout iux-

ta excessuum qualitatem et dicti monasterii pacem et tranquillitatem viderint expediendum ; diligenter tamen omnia perquirendo et investigando, si dicti fratres informationem virtute commissionis Rmi D. N. Cisterciensis contra dictos fratres factam per se vel per suos complices, dum per dictum abbatem Sancti Andreae et dictum abbatem de Claromonte per proprium nuntium transmitteretur, et cuidam monacho nigro, ius in dicto monasterio praetendenti favorabiles, in ipsa via interceperint et sustulerint ; et si ita invenerint, gravissima punitione castigentur, et ne magnum laborem in informationibus faciendis necesse sit impendere, Capitulum generale mittit cum praesenti diffinitione informationes super praedictis insolentiis factas, cuilibet praedictorum commissariorum praecipiendo, ut diligenter sine excusatione hanc diffinitionem exsequantur, finem tot nequitiis, ut praefertur, et insolentiis imponendo, in plenaria Ordinis potestate ; invocato, etc. Datum, etc.

39. Praesens generale Capitulum debite et sufficienter informatum super illicitis et a iure reprobatis obligationibus et promissionibus per nonnullos abbates et abbatissas in ducatu Normanniae existentes, et potissime per seniorem abbatem et conventum monasterii nostri de Barbereyo, eorumdem sigillis munitis et roboratis, de et super beneficiorum seu parochialium ecclesiarum in sua praesentatione, dispositione et provisione existentium nonnullis personis presbyteris et clericis factis et poena vallatis ; quae quidem promissiones seu obligationes, non solum statutis, privilegiis et diffinitionibus nostri proprii Capituli generalis, imo etiam contra omnem iuris dispositionem contraveniunt. Huic morbo et consuetudini ac periculosae viae in providendo de ipsis beneficiis a longo tempore et in eodem monasterio introductae obviare et securitati conscientiae eorumdem consulere, et male per eos acta et facta reformare et retractare, prout et nostro incumbit officio, cupientes et desiderantes, modernum et pro tempore existentem abbatem et eiusdem loci de Barbereyo conventum, singularesque personas ipsius praesentes et futuras a praedictis obligationibus et promissionibus tamquam iniuste et invalide factis et relevatis ab eorum iuramento, in eisdem et virtute eorumdem de non contraveniendo praestito et vallato absolventes et cum ipsis et quolibet eorum, si et in quantum opus est, dispensantes, prout praesentium tenore ipsos, et quemlibet ipsorum absolvimus, tergimus et relevamus ; praemissas et sin-

gulas obligationes seu promissiones, etiam sub quibusvis verborum expressionibus et cum efficacissimis et insolitis clausulis, in eisdem apponi solitis factas, passatas et concessas, cassat, revocat et nullas fore et esse declarat, districtius moderno et pro tempore existenti abbati, et dilectis filiis ac eiusdem loci de Barbereyo conventus, in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena praecipiendo et mandando, ne a cetero similes obligationes aut promissiones, quibusvis personis et ad quorumvis instinctum facere aut expedire praesumant ; et nihilominus per eos factas, ut praemittitur, non observent, seu personis in dictis obligationibus nominatis virtute et efficacia dictarum obligationum seu promissionum de primis vacantibus beneficiis provideant. Executionem praesentis diffinitionis abbati monasterii de... *(locus vacuus)*, ac cuilibet abbati Ordinis super hoc requirendo, mandando, et si necesse fuerit, committendo, quatinus praemissa omnia moderno abbati de Barbereyo s. th. pr., et eiusdem loci conventui intiment et insinuent, inhibeantque et faciant, quae in praesenti diffinitione continentur, in plenaria nostra et dicti Capituli generalis auctoritate ; invocato, etc. Datum, etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

40. Resignationem et cessionem a dignitate sua abbatiali fratris Iacobi de Fonte, quondam abbatis monasterii de Barzella, electionemque, substitutionem, promotionem, nominationem et installationem fratris Ioannis Praeponti, praefati monasterii de Barzella ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, prout ad longum in decreto cui, etc.

41. Electionem, promotionem et installationem in abbatialem dignitatem monasterii de Sancto Sulpitio de persona fratris Ludovici Regis, factam ac per R. D. abbatem de Pontigniaco, ipsius monasterii patrem immediatum, acceptatam et approbatam, generale Capitulum recipit, acceptat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate, supplendo, etc.

42. Electionem, promotionem, nominationem et installationem religiosi fratris Ioannis... monasterii de Salem, professi in eodem monasterio de Salem, ad dignitatem abbatialem, prout plenius... *etc.*, confirmat, *etc.*, supplendo, *etc.*

43. Resignationem, provisionem et installationem sororis An-

nae Petit, abbatissae monasterii monialium de Loco Dei, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii, prout in decreto... confirmat, supplendo, *etc.*

44. Praesens generale Capitulum mature considerans quod propter bonum, commodumque monasterii de Eberaco, frater Nicolaus Angeli, quondam dicti monasterii abbas, agente praesentialiter R. D. Morimundi, s. th. pr., patre immediato dicti monasterii, ac totius Germaniae tunc generali visitatore, dignitatem suam abbatialem resignaverit, atque electionem pro altero pastore fiendam admiserit, in adiuncto generale Capitulum resignationem praefati Nicolai, electionemque, nominationem et promotionem venerabilis fratris Viti... *(locus vacuus)* tunc dicti monasterii Eberacensis prioris, prout plenius in decreto, etc.

45. Institutionem seu promotionem fratris Ogerii de Divione dicti de Grangia, in theol. bacc. formati Parisiis, factam par dominum abbatem de Curia Dei, Aurelianensis dioecesis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Elantio, tamquam iustam, *etc.*

46. Ad praesens generale Capitulum pervenit quod fratre Petro de... nuper abbate monasterii de Sancto Sulpitio defuncto, conventus illius monasterii rite et canonice, iuxta Ordinis decreta, ad electionem novi pastoris processerunt, et via Spiritus Sancti vota sua in personam fratris Ludovici Regis, eiusdem monasterii religiosi professi, unanimiter direxerunt, ipsamque suam electionem per patrem immediatum dicti monasterii, videlicet dominum abbatem monasterii B. M. de Pontigniaco, confirmari fecerunt, prout in copiis a veris originalibus, et per notarios publicos signatis cum lineis, quod ut ipsa electio maioris efficaciae et roboris quemadmodum dicitur, habeatur, praedicto Capitulo illam gratam et ratam haberi velle, approbari et confirmari humillime proposuerunt, ad quorum iustas requestas et preces tamquam rationabiles idem Capitulum inclinatum, dictam electionem, vocationem, promotionem et installationem acceptat, ratificat et confirmat, suppletque, etc.

47. Ad praesentis Capituli notitiam pervenit, et dolenter accepit, quod contra apostolica indulta, diffinitiones et statuta dicti generalis Capituli et Ordinis, quidam frater Hugo dictus... dudum monasterii B. M. de Gondonio abbas, in manus Summi Pontificis ad utilitatem et favorem magistri Iacobi de... presbyteri saecularis, non obstante praecepto sub poena excommunicationis latae sententiae eidem abbati per abbatem de Caduino commissarium

Ordinis facto, resignavit, absque voluntate et consensu conventus dicti monasterii et religiosorum ibidem existentium ; qui ob hoc nullam eidem Iacobo presbytero professionem facere noluerunt, sicut nec debuerunt, sed ad praedictum abbatem de Caduino, ipsum monasterii patrem et Ordinis commissarium mittentes, eiusdem licentia, assensu et auctoritate, praesente religioso viro fratre Roberto de la Cousture, eiusdem abbatis de Caduino commissario praesidente in monasterio iam dicto, prius per eumdem commissarium vacatione declarata, observatis observandis ad electionem novi pastoris processerunt, et via Spiritus Sancti elegerunt in suum patrem et dicti monasterii abbatem fratrem Petrum Brassat, religiosum dicti Ordinis, professumque ac sacristam dicti monasterii de Caduino, cui omnibus rite perfectis, professionem fecerunt fratres conventus ipsius monasterii, factumque fuit praedictae electionis decretum, quod postea una cum electione iam dicta praedictus abbas de Caduino, pater abbas dicti monasterii de Gondonio et commissarius Ordinis, acceptavit, ratificavit et approbavit, quemadmodum omnia in praedicto decreto et iam dicta confirmatione, quibus praesens diffinitio annectitur ad plenum continetur. Quibus visis et mature consideratis, idem generale Capitulum iuxta praedicta apostolica privilegia et Ordinis diffinitiones et statuta, primitus dictam resignationem per praedictum fratrem Hugonem Pensa tunc abbatem, et ipso facto excommunicatum et inhabilem ad praemissa, tamquam frivolam, irritam, cassat, annullat et revocat, ac nullius fuisse et esse roboris, vigoris et efficaciae pronuntiat et declarat ; praedictamque electionem et confirmationem eius per patrem abbatem recipit, acceptat, ratificat et confirmat, suppletque de gratia speciali omnes et quoscumque defectus, si qui quomodolibet in dicta electione intervenerint, in plenaria Ordinis potestate.

48. Ad idem, pro abbate de Lanckeim.

49. Ad idem, pro abbate de Campo liliorum.

REHABILITATIONES

50. Generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Stephano sacerdote et monacho in monasterio de Bildhusen professo, et ab omnibus et singulis infamiae et irregularitatis nota eximit et sublevat, ut non obstante, quod publico periurio se

maculaverit et coram R. P. D. Morimundi, s. th. pr., ac tunc in praefato monasterio de Bildhusen visitante, de huiusmodi convictus fuerit ; ad petitionem tamen proprii abbatis sui generale Capitulum, attenta eius poenitentia, quam devote implevit, secum dispensat, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, officia et dignitates, abbatiali seclusa dignitate, admitti possit et valeat ; omnibus et singulis personis districte praecipiendo, ne dicto fratri super praemissis quidquam improperare aut imponere praesumant, alioquin se noverint talionis eos poena fore plectendos. Datum etc.

51. Generale Capitulum ad plenum informatum et dolenter accipiens fratres Petrum Coquille et Ludovicum... monasterii B. M. de Callovio expresse professos, cuidam homicidio, dum perpetraretur, interfuisse, et inde carceribus mancipatos et a perceptione divini corporis prohibitos fuisse usque ad elargitionem a R. D. de Pontigniaco ; qui quidem fratres ab ipso Capitulo rehabilitari et divinis mancipari humillime poscunt ; idem generale Capitulum factum ipsum multipliciter detestans, ceterisque volens in exemplum correctionis trahi, mandat et praecipit praedictos fratres ultra ea quae iam in poenitentia gesserunt per tres menses in levi culpa detineri, quartis scilicet et sextis feriis, in quibus quidem feriis in capitulo vapulabunt, panis et aquae poenitentiam nihilominus facientes ; executionem praesentis diffinitionis abbati dicti monasterii committendo in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate ; quos quidem fratres idem Capitulum praedictis tribus mensibus cum poenitentia tali peractis rehabilitat, et ad omnia officia divina et temporalia, gradus et dignitates assumit, abbatiali tantum dignitate non comprehensa.

52. Generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Roberto Obichard, professo monasterii de Gardo, quod non obstante quod apostataverit et per aliquot dies habitum religionis dimiserit, et quamdam mulierem dissolutam in dormitorio dicti monasterii aliquo tempore tenuerit, habita relatione abbatis de Regalimonte super sua emendatione et correctione delictorum, bonoque proposito vivendi deinceps religiose et caste, possit assumi ad omnes gradus et officia Ordinis, abbatiali dignitate non comprehensa, cum ipso charitative dispensat ; et ne per saeculum vagus contra Ordinis stabilitatem discurrat, idem generale Capitulum remittit ipsum ad dictum monasterium de Gardo, deinceps commorandum, et ut bonum fratrem decet conversandum, man-

dando praedicto abbati de Gardo sub Ordinis censuris in ipsum ex nunc pro tunc nisi fecerit quod mandatur, inflictis, monitione praemissa, omni appellatione remota, ut ipsum in suum religiosum recipiat, nec amplius per saeculum vagari permittat, et iuxta demerita, si defecerit, emendet et puniat.

53. Generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Petro de Barteto, professo monasterii de Bardonis, ad supplicationem tam proprii sui abbatis, quam abbatis de Candelio, attento etiam quod una cum poenitentia peracta, mores etiam mutavit, misericorditer dispensat, ut non obstante carnali petulantia qua una vice incestum commisit, prole etiam inde secuta, ad omnes et singulos Ordinis actus, voces, gradus et dignitates, abbatiali dignitate non comprehensa, admitti possit et valeat, omnibus et singulis personis Ordinis inhibendo, ne super praemissis eidem fratri quidquam improperent aut imponant.

54. Generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Anthonio Larux, monasterii B. M. de Nigrolacu professo, ad supplicationem abbatis dicti monasterii et abbatis de Fontemorum, attento quod poenitentiam egit patienter et a longo tempore et nunc usque bono testimonio a commissis pridem abstinuit, ut non obstante quod mulieres in dictum monasterium saepius et reiteratis vicibus introduxerit, ibidem tenuerit, et inde proles fuerit secuta, exieritque multiplicibus et iteratis vicibus ab ipso monasterio, die et nocte, illicentiatus, deprehensus etiam fuerit in furto alienando bona monasterii, ad omnes gradus, dignitates et voces, dignitate abbatiali non comprehensa, admitti possit et valeat ; omnibus et singulis Ordinis personis sub poena talionis inhibendo ne quidquam de praemissis eidem improperent.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

55. Super tractatu facto, inito et passato inter abbatem et conventum de Pratea ex una, et fratrem Ioannem Nepotem, professum praedicti monasterii ex altera, super retentione ad vitam quarumdam grangiae et vinearum, committit et mandat praesens generale Capitulum domino de Fontemorum, ut quamcitius poterit, super ipso tractatu et aliis in ipso contentis, se diligenter informet ; et si ipsum iustum, nec contra Ordinis statuta factum invenerit, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate con-

firmet, aut si infringendum et reiiciendum noverit, infringat et reiiciat.

56. Tractatum factum, initum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Monte Sanctae Mariae ex una, et Iacobum Maestre, Iehan de Poulet partibus ex altera, super traditione ad perpetuum censum quarumdam et diversarum terrarum, prout in litteris desuper confectis, et quibus praesens diffinitio annectitur, plenius habetur, generale Capitulum committit abbatibus de Balerna et de Miratorio et cuilibet eorum, ad terras et ipsarum traditionem mature et deliberate videndum, ac praedictum tractatum, si dignum et iustum viderint, confirmandum, aut si damnosum, cassandum, et in plenaria Ordinis potestate revocandum.

57. Generale Capitulum accipiens supplicationem abbatis monasterii B. M. de Charitate, super solvendo summam sexcentum francorum pro comparatione, emptione et acquisitione perpetua duorum stagnorum, quae stagna in magnam utilitatem praedicti monasterii acquisita sunt, et nunc usque pacifice possessa, pro quorum solutione conveniens medium non invenit dictus abbas nisi ex aliqua ex membris et proprietatibus ipsius monasterii, impignorentur, et desuper praedicta summa accipiatur, sive una vice sive diversis ; et quia idem generale Capitulum super his informari vult, ante omnia committit et mandat domino de Morimundo et abbati de Bellavalle coniunctim, ut super contentis in requesta ipsa se diligenter informent, quam requestam praesenti diffinitioni sub affixione sigilli Diffinitorum voluit annecti et claudi ; et si invenerint ipsa stagna iusto pretio et ad ipsius monasterii utilitatem et commodum comparata, tractatum desuper factum confirment, et dent praedicto abbati auctoritatem, facultatem, et plenum posse, quod possit accipere ab una aut a diversis personis summam praedictam sexcentum franc. aut quam necessario invenerit pro praemissis accipiendam, pro quibus obligare et in pignus dare valeat et possit aliqua ex membris ipsius iuxta eorum discretiones, et desuper suas litteras expediant bona forma, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate. Datum, etc.

IUDICES

58. Abbatibus de Bonoportu, de Mortuomari et de Trappa et cuilibet ipsorum in solidum, mandat generale Capitulum, ut

abbatem monasterii de Barbereyo, si per litteras obligatorias seu scedulas, testes fideles, dignos, aut alia sufficientia documenta, iuste teneri et obligari venerabili viro magistro Pedro Reynardi, ecclesiae capellae divitum de Divione canonico praebendato, in aliquibus pecuniarum summis, aut quibuscumque rebus aliis invenerint et pervestigaverint ipsum abbatem teneri, ipsum abbatem ad plenarie, integraliter solvendum et satisfaciendum eidem magistro Petro, sub censuris eiusdem Ordinis compellant et compelli faciant, in plenaria Ordinis auctoritate.

59. Ad idem, pro abbate de Balerna, ad abbates de Monte Sanctae Mariae et de Roseriis.

60. Frater Ioannes, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Ordinis cisterciensis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die 14 mensis septembris anno Domini 1496 (*sic*) apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis : Licet in computationibus Ordinis pro certis annis praecedentibus in expensis computati fuerint redditus debiti per Ordinem monasteriis Firmitatis et Claraevallis ; verumtamen quia Ordo neque illos redditus, neque alia plura debita solvit adhuc domino Cistercii, praesens generale Capitulum veritati intendens declarat Rmum D. et monasterium Cistercii nullatenus obligari seu teneri, aut quomodolibet posse compelli ad solutionem huiusmodi reddituum iam lapsorum et non solutorum, sed nec futurorum, donec, ut iustum est, Ordo solverit domino Cistercii restam computationum Ordinis pro anno novissime lapso, scilicet nonagesimo quinto, quae est 14006 librarum turonensium seu francorum, 1 den. turon., in qua dicti redditus iam debiti comprehenduntur; similiter declarat idem generale Capitulum nulla bona sive mobilia sive immobilia praefatorum domini et monasterii Cistercii teneri seu obligari aut quomodolibet hypothecari vel expletari posse aut potuisse pro debitis Ordinis ; non obstante quod dictus praefatus Rmus pater ex innato amore paterno ad sacrum Ordinem nostrum quandoque aliquas pecuniarum Ordinis summas recipiat aut distribuat, de quibus generale Capitulum et patres Ordinis fideliter certificat. Datum in diffinitorio nostro Cisterciensi, sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, anno, die mense et loco praedictis. Sic signatum : fr. Symon, abbas, Balernae ; fr. Iohannes de Fontemorum.

61. *Iudices pro Cistercio.* Abbatibus de Firmitate, de Caroliloco

et de Regalimonte pro regno Franciae; similiter abbatibus de Maceriis de Balerna et de Aceyo pro Burgundia.

EXCUSATIONES ABBATUM

62. Generale Capitulum attendens quod propter varietatem et turbationem temporum, tam in guerris quam aliis, multi abbates Ordinis a praedicto Capitulo remanserunt, quorum aliqui se nominatim excusaverunt, alii autem non excusati manserunt; idem generale Capitulum rationibus et causis praemissis praedictos abbates ab ipso Capitulo sic vel sic remanentes de speciali gratia pro anno praesenti excusatos et supportatos habet; his autem qui excusationes suas nominatim miserunt, dat facultatem, quod possint ab omnibus casibus ipsi Capitulo reservatis semel absolvi, suosque eadem auctoritate absolvere; et nihilominus per praesentem diffinitionem citat omnes ad proximum personaliter comparituros, nisi legitimis causis et rationibus iustis ac nominatim excusentur.

63. Nomina abbatum qui a via Capituli hoc anno 95 excusationes suas miserunt. Dominus abbas de Igniaco, qui propter gravedinem senectutis et armatos de novo in patria introductos, insuper et inimicos patriae vicinis limitibus eorum, humillime requirit excusari. Item, ad idem, abbas de Valle regis, Remensis dioecesis. Item, ad idem, abbas de Fusniaco. Ad idem, abbas de Laude. Ad idem, de Scalariis. Ad idem, dominus de Charmeya. Ad idem, dominus de Recluso. Ad idem, abbas de Vallibus Sernay. Ad idem, dominus de Pratea. Ad idem, dominus de Nigrolacu. Ad idem, dominus de Callovio. Ad idem, abbas de Oliveto. Ad idem, abbas de Clarofonte. Ad idem, abbas de Bithania. Ad idem, abbas de Belloloco Lingonensi. Ad idem, dominus abbas de Bebenhusen. Ad idem, dominus de Mulbrona per fratrem Conradum.

CONTUMACES

64. Abbatem de Bellabrancha, ad instantiam promotoris causarum praesentis generalis Capituli peremptorie et personaliter ad ipsum Capitulum generale citatum et compariturum debite vocatum, non comparentem, aut alium pro ipso, idem generale Capitulum inobedientem et contumacem reputat et decla-

BIBLIOTHECA DOMUS GENERALITIAE S. ORDINIS CISTERCIENSIS

rat, ac poenas et sententias in citatione ac relatione contentas, quibus praesens diffinitio annectitur, renuntiat.

65. Ad idem, contra abbatem de Chalocheyo, ad eiusdem promotoris instantiam, sufficienter citatum, nec comparentem per se vel alium, contumacem ac defectum declarat et pronuntiat.

DIFFINITIO SPECIALIS

66. Frater Ioannes, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque coetus seu conventus omnium et singulorum abbatum Capituli generalis, universum Ordinem nostrum Cisterciensem representantes, universis Christi fidelibus cuiuscumque dignitatis, excellentiae, gradus, vel sexus fuerint, praesentes litteras visuris et audituris, salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Lacrimabiliter nobis exposuerunt abbas et conventus monasterii nostri B. M. de Bellavalle, Bisuntinensis dioecesis, quod occasione multarum et variarum commendarum ex multis annis consequentibus guerrarumque, necnon litium, processuum, et controversiarum super dignitate abbatiali eiusdem loci, ac plurium adversitatum tam humanarum quam naturalium, monasterium nostrum libris, calicibus, clenodiis, ornamentisque ecclesiasticis, ceterisque bonis temporalibus privatum seu spoliatum et pene ad extremam paupertatem, etiam usque ad miserabilem aedificiorum tam regularium quam aliorum ruinam deductum sit, non in modicam divini servitii diminutionem, et quasi totalem observantiae regularis enervationem, nec est vis devotum illud coenobium reparandi, nisi per gloriosissimi Dei confessoris et amici beati Petri, primo in sacra religione nostra professi, deinde Tarentasiensis ecclesiae archiepiscopi, in eodem monasterio honorifice quiescentis, reliquiarum in diversis locis delationem et publicationem, sicut de multis Summi Dei famulis in sancta militanti Ecclesia fieri videmus, cuius precibus omnipotentis Dei bonitas evidentia crebro miracula, tam circa febrium quam innumerabilium aliorum morborum extinctionem operatur in maximam totius populi christiani aedificationem simul et consolationem, humilius rogant ipsis licentiam dictas reliquias, seu amici Dei pignora per diversas mundi regiones, ut praemittitur, exportandi concedere dignaremur. Hinc est quod religiosi eiusdem monasterii miseriae et desolationi ex corde compatientes et propter miserabilem aetatis nostrae tempestatem aliter providere non

valeamus, eorumdem abbatis et conventus, et praesertim venerabilis coabbatis nostri Morimundi, s. th. pr., religiosis supplicationibus benigne inclinati, eisdem tenore praesentium damus et concedimus licentiam et facultatem pretiosissimas omnique veneratione dignissimas Dei confessoris beati Petri reliquias ad quaeque fidelium loca, per omnes et singulas provincias et praesertim cisalpinas, per se vel per suos certos fideles securos, honestos, et veraces nuntios et deputatos, honorifice secundum iuris dispositionem et Ordinis nostri formam, deportandi, deportarique faciendi, ac fidelibus populis ostendendi et publicandi. Ut autem dictae reliquiae in locis ad quae eas deferri contigerit, a Christi fidelibus devotius visitentur et honorificentius ad omnium Conditoris laudem et gloriam, debitamque sanctorum suorum venerationem frequententur, fidelesque populi maiorem accipiant occasionem iuvandi relevationem dicti monasterii, omnibus et singulis ipsas reliquias devote visitantibus et pro restauratione praefati monasterii de suis facultatibus pias eleemosinas contulerint, de Omnipotentis Dei misericordia confisi, auctoritate Ordinis et Capituli generalis, tenore praesentium confraternitatem Ordinis et plenariam omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, horarum canonicarum, vigiliarum, penitentiarum, ieiuniorum, eleemosinarum, hospitalitatum, laborum, ceterorumque divini cultus obsequiorum, plenariam conferimus participationem. Praesentibus per immediatum sequens decennium in suo vigore duraturis. Datum in diffinitorio nostro, sub appensione sigilli Diffinitorum, die 14 mensis septembris, anno Domini 1495.

1496

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

1496. *Fontes* : *He* : 48, *cuius variae lectiones infra citantur non ex perg. auth. sed ex eius edit. in* CIST.-CHRONIK. 1901, *p.* 58 ; L^6 : 1-70 ; P^2 : 1, 9, 11, 12 *(abbrev.)*, 13, 14 ; *W* : 22 *(abbrev.)*.

[a] *Titulus apud* L^6.

A) ORDINATIO [b] CAPITULI GENERALIS

DIFFINITORES. De **Cistercio**, s. th. pr., de Prulliaco, de Stratfordia, de Longovado, de Miratorio, monasteriorum abbates. — De **Firmitate**, de Frigidomonte, s. th. pr. de Maceriis, de Lococrescenti, de Moris, monasteriorum abbates. — De **Pontigniaco**, de Quinciaco, de Bonavalle Pictaviensi, de Chassenia, de Strata Marcella, monasteriorum abbates. — De Fonteneto, s. th. pr., loco domini **Claraevallis**, de Valleclara, de Aceyo, de Boneffia, de Fontanis albis, monasteriorum abbates. — De Valloliis, s. th. pr., loco domini **Morimundi** de Bellavalle, de Vallelucenti, de Lutzella, de Bredelar, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM CAPITULI: Baccalarius de Bellobecco.

IANITOR DIFFINITORII : de Theoloco monasterii abbas.

RECEPTOR EXCUSATIONUM: de Perigniaco monasterii abbas.

RECEPTORES CONTRIBUTIONUM : de Charitate, de Marcilliaco, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Oliveto, de Reigniaco, de Bullione, de Iardineto, monasteriorum abbates.

NOTARII CAPITULI : de Balerna, de Fontemorum, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : fr. Ioannes de Sancto Medardo et fr. Ioannes de Iuncivilla.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [c] etc. ut 1495.

2. Praeterea pro serenissimo ac invictissimo domino nostro, domino Maximiliano, Dei gratia imperii romani imperatore, etc. ut 1495.

3. Insuper pro burgensibus... etc. ut 1495.

4. Ceterum pro pace... etc. ut 1495.

5. Demum pro felicis... etc. ut 1495.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... necnon in summa 14056 franc. 1 gross.

---

[b] *Haec ordinatio apud L^6 tantum.*

[c] Sub Alexandro 6°, *etc. ut in ann. praec.* : P^2.

1 denar. turon. pro resta computationum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium, de et pro toto tempore praeterito, et oporteat, etc. ut 1495.

7. Omnes et singulas... *etc. ut in anno* 1492, *n*^o^ 7.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

8. Frater Ioannes, abbas Cistercii... resta computationum quae est 14056 libr. turon. seu francorum, 1 denar. turon... *etc. ut in anno praecedenti n*^o^ 60.

9. Frater Ioannes, etc. ut supra. Cum sacri huius monasterii Cisterciensis, totius Ordinis piissimae matris, devotus conventus audientiae praesentis Capituli humiliter exposuerit, praedictum monasterium in multis debitis et oneribus pro ipso Ordine gravatum et innodatum, ac Ordinem ipsum tam ex antiquo quam novo debito, teneri et obligari, prout in articulis sequentibus praesenti diffinitioni annexis et incorporatis, quorum tenor qui talis est, continet, idem conventus a praemissis requisivit contentari sub protestationibus se ad interesse huiusmodi defectu solutionis teneri et affici ; quibus idem generale Capitulum, prout de iure debet, compatiens, se quantum brevius et commodius posset ad praedictorum et iuste debitorum solutionem procedere velle, iuxta responsionem alio in simili causa per generale Capitulum dictis Cisterciensibus factam, de quibus et singulis utrinque propositis et responsis per notarios praesentis generalis Capituli instrumentum vel instrumenta unum vel plura eisdem in hanc formam concessit et dari iussit una cum attestationibus duorum notariorum apostolicorum praesentium.

10. *Instrumenta requisitionis quam faciunt Cistercienses dominis Diffinitoribus pro solutione debitorum, quae Ordo debet eis, cum protestationibus, etc.*

Universis praesentes litteras inspecturis, nos fratres Symon de Balerna et Ioannes de Fontemorum monasteriorum abbates Cisterciensis Ordinis, Bisuntinensis et Nivernensis dioecesium, notarii Capituli generalis praedicti Ordinis Cisterciensis, die 12 mensis septembris anno Domini 1496 apud Cistercium celebrati, iuxta antiquam dicti Ordinis observantiam, electi, iurati et instituti, notum facimus, quod die 13 eiusdem mensis septembris anno praedicto, apud venerabile et religiosum Cistercii monasterium, in diffinitorio praefati Capituli generalis in nostri ac notariorum

publicorum subscriptorum praesentis assistentibus, et personaliter praesentibus R. in Christo patre domino Ioanne, abbate dicti monasterii Cistercii, s. th. pr., necnon R. in Christo patribus dominis abbatibus Claudio de Firmitate, Petro de Pontigniaco, Ioanne de Fonteneto, loco domini Claraevallis, Ioanne de Valloliis loco domini Morimundi, Antonio de Frigidomonte, s. th. pr., Ioanne de Prulliaco, Guillelmo de Stratfordia, Guillelmo de Longovado, Claudio de Miratorio, Petro de Maceriis, *(locus vacuus)* de Lococrescenti, Ioanne de Moris, Iacobo de Quinciaco, Ioanne de Bonavalle Pictaviensi,... de Chassenia, David de Stratmarcella, Petro de Valleclara, Iacobo de Aceyo,... de Boneffia, Thoma de Fontanis albis, Antonio de Bellavalle, Ioanne de Vallelucenti, Theobaldo de Lutzella, et ... de Bredelar Diffinitoribus, et dictum generale Capitulum celebrantibus, personaliter constituti venerabiles et religiosi viri Petrus de Divione, prior, Guido de Villabichot, Garnerius de Divione, Iacobus de Duaco, Odo de Divione, subprior, Stephanus de Villamauri et Marcus de Illyes procurator, religiosi professi dicti monasterii Cistercii, saniorem partem conventus dicti monasterii representantes, qui quidem per organum dicti fratris Marci de Illyes procuratoris dominorum abbatis et conventus Cistercii, praefatis dominis Diffinitoribus supplicantes proposuerunt et remonstrarunt verba seu in effectu similia in forma, quae sequitur : Reverendissime pater, reverendique patres et domini colendissimi, domnus prior, ceterique patres huius monasterii hic praesentes, et ego tamquam procurator, et procurator nomine Rmi D. N. Cistercii, totiusque ipsius loci conventus venimus coram paternitatibus vestris ad exponendum et remonstrandum vobis debita cum humilitate, qualiter pro redemptione illius gravis et intolerabilis oneris quingentarum librarum turonensium monasterio Sancti Germani de Pratis prope Parisiis, per nos et monasterium nostrum singulis annis debitarum, fuimus pluries necessitate compulsi mutuo accipere a pluribus bonis mercatoribus, et aliis vicinis nostris magnas pecuniarum summas, adhuc tamen sibi debitas. Quare diebus singulis mirabiliter nos sollicitant et infestant dicti creditores, quatinus sibi solvere et satisfacere debeamus, quod libenter faceremus, si possemus, et adesset facultas ; sed propter magnas penurias et paupertates plurimum nos prementes, hoc facere non possumus. Quapropter, reverendi patres, cum vos et totus Ordo tam in communi quam in particulari teneamini et sitis obligati nobis et

monasterio nostro in multis et magnis pecuniarum summis, videlicet in 25588 florenis boni auri et iusti ponderis, ac 3 grossis argenteis, ex veteri et antiquo debito, necnon in 14056 libris, 21 denariis turonen. ex novo debito, a paucis annis per vos et Ordinem contracto, sicut constare potest per litteras authenticas et computationes ipsius Ordinis desuper confectas, signatas et approbatas, cum humilitate et reverentia possibilibus vos interpellamus et requirimus, quatinus pro sublevatione nostra a tantis debitis et paupertatibus nostris, ut satisfacere possimus praefatis creditoribus nostris, providere ac ordinare velitis, quod super praedictis summis per vos et Ordinem, ut dictum est, nobis debitis, solutionem integram, quamcitius habere et consequi valeamus ; hoc si feceritis, permaximum commodum praefato Rmo D. N. et nobis omnibus facietis, et in oppositum gravissimum interesse nobis et incommodum afferetis, de quibus nihilominus adversum vos et Ordinem expressissime protestamur, praeterea patres colendissimi, quia revendus in Christo pater dominus Claraevallis, s. th. pr., anteacto tempore voluit et tentavit ac etiam in dies permittitur facere arrestari, occupari ac detineri bona nostra ac monasterii nostri praefati, tam mobilia quam immobilia, imo quod nobis gravius est, noviter fecit in causam trahi praefatum Rmum D. N. apud Parlamentum Parisiense, ratione et occasione certorum arreragiorum cuiusdam redditus annui per ipsum de Claravalle super vos et Ordinem praetensi, et quibusdam aliis rebus in suo mandato regio declaratis. Idcirco vobis reverendis patribus totum dictum Ordinem representantibus, nominibus quibus supra humiliter declaramus et insinuamus, nunquam fuisse aut esse intentionis nostrae quod quaecumque bona nostra aut monasterii nostri praedicti, tam mobilia quam immobilia, praesentia et futura, ubicumque existentia, sint quomodolibet obligata, affectata vel hypothecata, seu arrestanda aut occupanda pro communibus aut particularibus debitis, negotiis aut quibuslibet aliis rebus vestris et Ordinis. Quinimo suppliciter vos postulamus et requirimus, quatinus velitis manucapere et garantiam intrare in huiusmodi processu pro Rmo D. N. praedicto, alioquin protestamur ut prius adversum vos et totum Ordinem de universis interesse, damnis et incommodis, quae possent imposterum evenire nobis et ecclesiae nostrae ratione et occasione praedicti processus vel aliquorum dependentium ab ipso. De quibus quidem expositione, requisitione, protestatione, declaratione et ceteris supra-

dictis, ego procurator antedictus, et eo nomine cum patribus meis hic praesentibus, humiliter requirimus a reverendis patribus et dominis notariis vestris hic praesentibus, necnon a vobis venerabilibus dominis, qui estis notarii apostolici, litteras authenticas sive instrumentum publicum unum vel plura inde confici et nobis tradi imposterum nobis et praefato monasterio nostro valiturum seu valitura, quod iustum fuerit et rationis. Quibus quidem propositionibus, remonstrationibus et supplicationibus iidem domini Diffinitores per organum praedicti domini Claudii, abbatis de Firmitate, declaraverunt et responderunt in verbis sequentibus seu in effectu similibus : Venerabiles domini, nos omnes Diffinitores hic existentes, nostris et Ordinis nominibus cognoscimus et fatemur debita, quae requiritis et superius enumerata sunt, iuste et rationabiliter per nos et Ordinem nostrum vobis et monasterio vestro Cistercii deberi, ac omnia bona ipsius, mobilia et immobilia iuste et legitime in his summis iuste et legitime erga vos et praefatum monasterium vestrum teneri et obligari, sicut plenius in alio instrumento patenti super hoc die 19 mensis septembris anno Domini 1490 facto et nobis exhibito, signetis manualibus ac sigillis notariorum Capituli generalis illius anni continetur, et idem instrumentum iterum renovamus et debita ipsa libenter vobis et matri nostrae Cistercii solveremus, si facultas adesset ; attamen quantum brevius et commodius poterimus, et Ordo poterit ad praedictorum debitorum solutionem procedemus et providebimus, sicut et nunc super hoc laboramus, rogantes ut adhuc patientiam pro modico tempore habere velitis, de quibus et singulis utrinque propositis et responsis dictus frater Marcus procurator, et nomine procuratorio requisivit et petiit a nobis notariis abbatibus, et notariis publicis subscriptis, instrumentum seu instrumenta, unum vel plura, quod et concessimus et annuimus, in quorum robur et testimonium hiis praesentibus nostris signetis manualibus ac dictorum notariorum subscriptionibus signatis, una cum appensione sigilli praedictorum dominorum Diffinitorum, sigilla nostra consueta apposuimus. Datum apud dictum monasterium Cistercii anno et die supradictis. Sic signatum : fr. Symon, abbas Balernae. Ioannes abbas de Fontemorum.

— Et ego, Eustacius Desmares, clericus Ebroicensis dioecesis, apostolica auctoritate notarius publicus, quia huic praesenti propositioni, declarationi, remonstrationi, supplicationi, responsioni, ceterisque dum ita proponerentur, dicerentur, agerentur

et fierent, una cum R. P. abbatibus, notariis supradictis dicti Capituli generalis, et venerabili et discreto viro collega meo notario publico mecum subscripto, praesens interfui, ac ea sic fieri vidi, scivi et audivi, ideo his praesentibus, seu huic praesenti instrumento publico manu aliena fideliter scripto signum meum consuetum apposui in fidem, robur et testimonium praemissorum vocatus specialiter et rogatus. Sic signatum: Eustacius Desmares.

— Et ego Petrus Reynardi, in artibus magister, Lingonensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius iuratus, quia praemissis omnibus et singulis supradictis, una cum praedictis reverendis patribus dominis abbatibus, notariis Capituli generalis Ordinis praedicti Cisterciensis, et praelibato venerabili et discreto viro magistro Eustacio Desmares, etiam notario publico et collega meo, praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi, scivi et audivi, ac ea in notam sumpsi ea quae hoc praesens publicum instrumentum manu aliena me una cum praedicto concollega nostro pluribus aliis arduis negotiis legitime praepedito, fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi et publicavi, signoque publico et authentico ac nominibus meis solitis et consuetis, una cum praedictorum R. P. notariorum praedictorum et sigillorum oblongorum, et praedictorum dominorum Diffinitorum sigilli rotundi appensione, signavi in fidem, robur et testimonium omnium et singulorum praemissorum requisitus et rogatus. Sic signatum : P. Reynardi.

11. *Ratificatio diffinitionis Capituli generalis, quod monasterium Cariloci uniatur monasterio Cistercii, et duo vel tria Ordinis similiter uniantur Cistercio.*

Nos frater Ioannes, etc. Recogitans generale Capitulum varias et graves expensas quas venerabile monasterium Cistercii, religionis nostrae mater, singulis non diebus tantum sed etiam horis et momentis portat et sustinet pro sacrae religionis nostrae negotiis et agendis, nunc in adventu variorum abbatum et electorum pro suorum conservatione, nunc in concursu innumerabilium monachorum tam fugitivorum multis diebus ibidem residentium, quam nuntiorum principum dominorum, ac monialium Ordinis, non solum in dicto monasterio Cistercii concurrentium, verum etiam apud dominum Cistercii quocumque fuerit, qui indesinenter cum duobus aut tribus notariis et scriptoribus rebus Ordinis expensis propriis inservit ; quibus ultra victualia, saepius vestimenta, necnon medicamenta et alias necessitates suas re-

quirentium, ac etiam in sustentatione maximorum aedificiorum, tam pro hominibus quam pro evecturis solis usibus Capituli generalis servientium, et alias multipliciter, pro quibus pia Ordinis mater nullam inde recompensationem reportat ; et cum ex communi substantia Ordinis nulla suppetat facultas super hoc, ut iustum est, providendi, aut aliqualem recompensationem Cistercio faciendi, praesens generalē Capitulum non tam indemnitati praefati monasterii Cistercii, quam aequitati per Ordinem servandae, matura deliberatione praehabita, Capituli generalis diffinitionem, cuius tenor sequitur et est talis : Frater Ioannes, abbas Cistercii, etc., Intimo cordis affectu generale Capitulum inenarrabilibus expensis, quibus sacrum Cistercii monasterium, Ordinis mater et origo, multifarie, multisque modis diebus atque momentis per anni circulum, tam pro Ordine in communi quam pro particularibus personis, et nogotiis gravatur, absque eoquod obstante communi paupertate Ordinis, quamcumque recompensam inde recipiat, compatiens et condolens, maxime cum horum occasione dicti monasterii domus, vineae, agri, aliaeque pertinentiae quasi in finalem deducantur ruinam, adeo ut nisi de remedio provideatur opportuno, dicta domus nec sua nec Ordinis agenda deinceps sufferre valebit, in magnum et irreparabile totius Ordinis detrimentum. Super quibus dictum generale Capitulum saepius recogitans et providere cupiens, aliud congruentius non invenit medium, nisi quod instar aliarum religionum, nonnulla satis opulenta Ordinis monasteria eidem Cistercio iuxta Ordinis privilegia, tamquam membra manualia perpetuo uniantur, ita quod providentia domini Cisterciensis expensae conventus ad divina officia celebranda, cultumque religionis observandum, et alia iuxta Ordinis formam interteneantur, residuum vero usui Cistercii et sustentationi monasteriorum applicetur. Quamobrem praedictum generale Capitulum non tam Cistercio, venerandae matri et dignissimo capiti Ordinis, quam toti sacrae religioni Cisterciensi, cuius stabilimentum in Cistercii sustentamento et prosperitate consistit, consulere cupiens, post maturam deliberationem, tenore praesentis et irrevocabilis diffinitionis consentit, quamprimum fieri poterit, et opportunitas se obtulerit, iuxta dicta Ordinis privilegia et melioribus modis quibus fieri poterit, uniantur eidem monasterio Cistercii tria vel quatuor ipsius Ordinis monasteria in forma praedicta, cuiuscumque generationis aut filiationis existant et ubicumque sint situata, Sanctitati domini

nostri humillime supplicando, quatinus quotiens requisitus fuerit huiusmodi trium vel quatuor monasteriorum Ordinis uniones monasterio Cistercii aut confirmare aut de novo facere, in tutiori forma expedire dignetur. Universos dominos reges, principes et dominos, etiam si se pro dictorum monasteriorum fundatoribus gerant, humiliter pro reverentia benedictissimae matris Domini, patronae Ordinis obsecrando, quatinus dictis unionibus pacifice acquiescant, et ut effectum sortiantur modis possibilibus adiuvent, districtius universis Ordinis personis, cuiuscumque status aut conditionis existant, ac procuratoribus eorum sub censuris Ordinis inhibendo, ne sub quocumque colore per se vel per alium praesenti diffinitioni quodcumque praestent impedimentum, seu in aliquo contradicere praesumant, cuius quidem sacrae ac iustissimae diffinitionis executionem praesens generale Capitulum abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Prulliaco, de Caroliloco, de Balerna, de Bellavalle, de Bonoportu, et cuilibet eorum per se et in solidum committit in plenaria Ordinis potestate, promittens ratum, gratum et acceptum se habiturum in perpetuum quidquid per dictos abbates et quemlibet eorum actum, factum, gestumve fuerit in praemissis aut altero praemissorum, invocato ad praemissa et ea tangentia, ac ab eis quomodolibet dependentia, si opus fuerit, quorumcumque dominorum, potentum, iudicum ecclesiasticorum vel saecularium auxilio, consilio et favore. Datum in eodem nostro diffinitorio sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, etc. anno 1492. Sic signatum : fr. Ioannes abbas Bellaevallis tenore praesentium approbat, renovat, ratificat et confirmat unionem monasterii de Charoloco iam Cistercio factam, approbando et ratificando, humillime supplicando Sanctitati domini nostri Papae, tam moderno, quam futuris, quatinus pro firmissimis sacri huius Ordinis fundamentis et basibus firmis stabiliendis, praesentis diffinitionis tenorem de plenitudine potestatis apostolicae ad effectum deducere dignetur. Datum in eodem nostro diffinitorio sub appensione sigilli Diffinitorum 1496, etc. Sic signatum : fr. Symon abbas Balernae.

12. Frater Ioannes, etc. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis pariter et audituris, salutem in Domino. Cum alias reverendissimum in Christo patrem et dominum, dominum Baptistam, cardinalem de Ursinis nuncupatum, unanimiter in Capitulo nostro generali protectorem nostri Cisterciensis Ordinis in

romana Curia elegissemus et ordinassemus, nihilominus post huius modi electionem et ordinationem, nonnullae magnae querelae et divisiones in partibus illis supervenerunt, et in praesentiarum existunt et vigent, quarum occasione praefatus R. D. cardinalis ut nobis per multos fide dignos relatum fuit, a dicta romana Curia certis ex causis eum moventibus se absentavit in maximum dicti Ordinis nostri praeiudicium, et quia absque protectore in romana Curia residente, sine magno eiusdem nostri Ordinis incommodo esse non possumus, nec esse debemus, nos unanimiter, matura deliberatione inter nos habita in Capitulo nostro generali hodie, datae praesentium apud Cistercium Cabilonensis dioecesis, celebrato, reverendissimum in Christo patrem et dominum, dominum Ioannem Cardinalem Perusinum, in praedicta romana Curia residentem, benevolum protectorem nostrum ac totius Ordinis, tam in communi quam in particulari, ea intentione ut potenter iura, libertates, et privilegia nostra ac totius dicti Ordinis nostri tam adversus commendas, ne amplius fiant in isto Ordine, quam alias prout necessitas emergens postulaverit, defendat, et negotiis nostris in eadem Curia romana veri protectoris officium faciat, elegimus, constituimus et ordinavimus, ac tenore praesentium eligimus, constituimus et ordinamus ; praesentibus litteris usque ad beneplacitum nostrum dumtaxat duraturis, in cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum in diffinitorio nostro die 14 mensis septembris anno 1496.

13. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, visuris pariter et audituris, frater Ioannes abbas Cistercii, ceterique Diffinitores, etc. salutem in Domino. Cum hodie reverendissimus in Christo pater ac dominus, dominus Iacobus, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Nucerinus, nostris contemplatione et intuitu, monasterium de Ursicampo nostri Cisterciensis Ordinis, Noviomensis dioecesis, ac omni iuri sibi in eodem seu ad illud quomodolibet competenti, in manus generalis Capituli in favorem fratrem fratris Nicolai ... cesserit et renuntiaverit ; nosque eidem domino episcopo, quia multis annis citra in romana Curia procurator generalis extitit, ac magnos et graves labores in dicto procuratoris officio sustinuit, prout in dies sustinet, ne ex cessione huiusmodi et renuntiatione nimium dispendium patiatur, de alicuius subventionis auxilio subvenire volentes, assensum et facultatem acceptandi aliquod monasterium vacaturum in partibus ultramontanis, et de illo sibi provideri per Sedem Apos-

tolicam faciendi tenore praesentium concedimus, ac nostrum specialem consensum damus et praestamus, non obstantibus privilegiis apostolicis et consuetudinibus dicti nostri Ordinis in contrarium editis. Datum, etc. anno 1496.

14. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis, visuris pariter et audituris, fr. Ioannes abbas Cistercii, ceterique Diffinitores, etc. salutem in Domino. Dudum cessante commenda monasterii de Ursicampo, nostri Cisterciensis Ordinis, Noviomensis dioecesis, per obitum bonae memoriae R. D. cardinalis Agriensis in romana Curia defuncti, f. r. Innocentius Papa VIII, R. in Christo P. D. Iacobo, Dei et apostolicae Sedis gratia episcopo Nuceriensi, tunc in minoribus constituto, in suo secreto consistorio, ut moris est, monasterium huiusmodi per eum quoad viveret tenendum, regendum et gubernandum per suas litteras commendavit prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur. Postmodum orta lite seu causa in partibus coram certis iudicibus ecclesiasticis, a Sede Apostolica delegatis, de et super dicto monasterio inter praefatum dominum Iacobum episcopum ex una, et quemdam fratrem Nicolaum Dabenton, eiusdem nostri Ordinis religiosum, in dicto monasterio tunc se portantem abbatem, rebusque aliis in actis causae huiusmodi deductis partibus ex altera, idem frater Nicolaus, sicut Altissimo placuit, lite seu causa huiusmodi indecisa pendente, diem suum clausit extremum, in cuius iure Sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Alexander divina providentia Pape VI, in suo secreto consistorio, et per supplicationis signaturam eumdem dominum Iacobum episcopum, ut ipsemet asseruit, surrogavit. Nihilominus idem dominus Iacobus episcopus, nostris contemplatione et intuitu, certisque aliis de causis ad id animum suum moventibus, praefatum monasterium de Ursicampo, ac omni iuri sibi in eodem seu ad illud quomodolibet competenti in manibus nostris in favorem reverendi patris, fratris Nicolai ... cessit et renuntiavit ; quam quidem cessionem auctoritate nostra gratiose recepimus et admisimus, ac de eodem monasterio per cessionem huiusmodi, ut praemittitur, vacanti praefato fratri Nicolao ... providimus et providemus, praedicto reverendo in Christo patre, prout praemittitur, cedente liti et omnibus aliis praesentibus et futuris de dictis sibi factis provisionibus et nobis annuante, et libere ac pura concedente.

15. Nos, frater Ioannes, etc. Quia monasterium de Alna, Leo-

diensis dioecesis, domino episcopo Nucerino, Ordinis procuratori, in magnis pecuniarum summis tenetur, quas b. m. domino Egidio abbate, dum viveret, dicti monasterii, certis mercatoribus romanam Curiam sequentibus, tamquam fideiussor eiusdem quondam Egidii solvit, et abbas modernus, obstantibus guerrarum vastationibus, quae inibi longo tempore viguerunt, licet fuerit convictus tam per Ordinem quam per iudicem apostolicum ad satisfaciendum dicto domino episcopo, non potest eidem satisfacere, generale Capitulum utrique compatiens, in solutionem eorum, quae dictus abbas sibi et dicto monasterio praetendit sibi per Ordinem deberi occasione officii procuratoris Ordinis in Curia romana assignat eidem domino episcopo contributiones praefati monasterii de Alna spatio decem annorum immediate sequentium, iuxta astallationem annis 89 et 90 impositam, aut forte aliam imponendam, et bonum computum, sperans quod durante dicto tempore monasterium ipsum meliorabitur, et ultra dictas contributiones de residuo satisfacere poterit, alias quamprimum ad pinguiorem devenerit fortunam, praecipiendo dicto abbati moderno et pro tempore existenti, quatinus dicto domino episcopo aut procuratori suo legitimo, seu eius haeredibus, si interim decederet, satisfaciant inhibendo quibuscumque collectoribus pro tempore existentibus, ne directe vel indirecte huiusmodi diffinitioni contraveniant. Datum, etc.

16. Exposuit generali Capitulo R. in Christo P. D. episcopus Nucerinus, generalis procurator Ordinis in Curia, quod dudum tempore domini Innocentii Papae VIII, fratre Guillelmo in abbatem monasterii de Kinlos electo quidam saecularis nobilis dictum monasterium infra quadrimestre in romana Curia monasterium ipsum in commendam impetravit, et postquam res ista in notitiam eiusdem domini procuratoris Ordinis devenit. Ordini fidem servans iuxta officii sui debitum, bullas huiusmodi commendae arrestari, et materiam istam, sicut moris est, committi fecit, cuius vigore huiusmodi impetratio in suspenso usque ad adventum dictae electionis mansit, qua visa, obtinuit dictam provisionem commendae cassari, et electionem confirmari; verum interim metu illius nobilis dictus electus in partibus cum eo, mediante pensione centum ducatorum concordavit, in quorum omnium prosecutione religiosus procurator ad hoc missus, tam pro expeditione huiusmodi confirmationis et pensionis, quam pro expensis ipsius in duobus viagiis et in aliis multis in consimilibus

necessariis per annum et ultra in Curia, virtute procuratorii ad hoc specialis, monasterium ipsum necnon abbatem et conventum in summa 1056 ducatorum, pro quibus dictus dominus procurator fideiussit, quos adhuc, ut dicitur, non solverunt, sed ecclesiasticas censuras per plures annos sustinuerunt, et licet dictae partes postmodum in istam convenerint concordiam, videlicet de solvendo 456 ducatos diu ante Brugis existentes, et alios 400 ducatos infra annum alium, licet etiam dictus procurator monasterium postmodum contra consilium amicorum censuras originales videre et authenticam ipsius copiam habere voluerit, et dicto abbati monstraverit, solutionem tamen non faciunt, sed in contemptum clavium sub talibus censuris divina celebrare non pertimescunt, supplicando generali Capitulo, quatinus de remedio provideat opportuno. Hinc est quod generale Capitulum tantis abusibus obviare quantum valet cupiens, etc.

17. Petitionibus reverendi in Christo patris domini episcopi Nucerini, generalis procuratoris Ordinis in Curia romana, praesens generale Capitulum tamquam rationabilibus favens, mandat et praecipit sub poena excommunicationis latae sententiae abbati monasterii de Melros, quatinus eumdem dominum procuratorem relevet, et indemnem reddat a fideiussione per eum facta pro eodem abbate in Curia romana, in recuperatione dicti monasterii a commenda, et mercatorem quietum faciat apud dictum dominum procuratorem pro dicta fideiussione ; praecipit insuper dictum generale Capitulum praefato abbati de Melros sub dicta poena excommunicationis latae sententiae, quatinus infra duos menses ab intimatione praesentis diffinitionis solvat praelibato domino procuratori, ante suo procuratori, omnes pecunias quas sibi debet occasione sustinuisse per multos annos quatuor causas eiusdem abbatis in Curia romana. Datum, etc.

18. Frater Ioannes, etc. Dilecto nobis in Christo filio fratri Nicolao de Divione, professo et procuratori monasterii Cistercii, salutem et fidelem in commissis diligentiam adhibere. De tua discretione, diligentia simul et fidelitate confidentes, tibi tenore praesentium damus auctoritatem et plenum posse eundi personaliter ad monasteria inferius conscripta, ibidemque ab abbatibus, commandatariis, cellerariis, bursariis, receptoribus, aliisque officiariis dictorum monasteriorum, petendi, exigendi, levandi et recipiendi quottas contributionum subscriptas, et speciali mandato apostolico anno Domini 1490 per generale Capitulum ta-

xatas, limitatas et astallatas, necnon anno 90 et anno praesenti per dictum generale Capitulum confirmatas, et roboratas cum arreragiis et expensis rationabilibus ; de receptis quoque bonas et sufficientes quittantias faciendi et dandi ; contradictores autem seu solvere renuentes aut differentes, per omnes iuris et iustitiae vias viriliter compellendi. Sequuntur nomina dictorum monasteriorum cum taxis praedictis. In Pedemontium, de Strafarda, etc. Datum in diffinitorio nostro sub appensione, etc.

19. Gravem querimoniam fratris Alberti, monasterii B. M. de Riddageshusen abbatis, et a paucis diebus indebite et irrationabiliter privati et destituti, prout multis desuper munimentis a diversis Ordinis patribus confectis ad plenum constitit, generale Capitulum accipiens et dolenter ferens eo maxime quod idem abbas quorumdam dicti monasterii fratrum conspiratione seu coniuratione violenter, et ut asserit, nulla existente causa saltem iusta, depositus sit et privatus, addendo per eosdem fratres suae salutis, Ordinis privilegiorum, statutorum et diffinitionum immemores, quemdam illius patriae virum principem saecularem in cuius praesentia, vocatis abbatibus monasteriorum de Amelinsborne et Vallis B. M., praedictus frater Albertus tunc abbas coactus est resignare et dignitati abbatiali cedere, postquam resignationem praedicti fratres ipso facto licet inhabiles et excommunicati, ad talem qualem electionem in materia et forma peccantem de persona cuiusdam fratris Burchardi, eiusdem monasterii professi, et ut creditur, talium conspirationum non expertis indilate processerunt, et subreptitiam confirmationem falsa pro veris asserentes, a Rmo D. N. Cisterciensi obtinuerunt, et praedictum fratrem Albertum a dicto monasterio turpiter eiectum mendicare coegerunt, in maximum circumvicinorum patrum et totius Ordinis detrimentum et scandalum non modicum, ac regularis disciplinae debitaeque subiectionis enervationem et ruinam. Quibus idem generale Capitulum totis viribus et ea quae tenetur auctoritate resistere et aliis in exemplum et terrorem relinquere volens, committit domino abbati Morimundi, s. th. pr., commissario Ordinis in partibus germanicis et abbatibus de Lenym, s. th. pr., de Fonte salutis ac de Porta et cuilibet eorum, quatinus quambrevius et commodius poterunt, assumptis secum quos voluerint ex Saxoniae et Thuringiae partibus, ad praedictum monasterium de Riddageshusen se transferant, et vocatis vocandis super praemissis et ea tangentibus se diligenter informent. Et si praedictum

fratrem Albertum impune et absque demeritis suis, huiusmodi conspirationibus vi et dolo resignasse, aut ad resignandum compulsum fuisse cognoverunt, et alium scilicet fratrem Burchardum loco sui suffectum et intrusum, ritibus et Ordinis statutis non observatis, compererint, huiusmodi electionem tamquam nullam, irritam penitus et inanem ac nullius efficaciae et roboris cassent, revocent et annullent in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, praedictumque fratrem Albertum violenter, ut praemittitur, destitutum in abbatialem monasterii ipsius restituant dignitatem, non obstante praedicta confirmatione et aliis a Rmo D. N. Cistercii subreptitie impetratis et obtentis; praedictos abbates de Amelinsborne et de Valle S. M. ad Capitulum generale proximum personaliter citando, taliterque agant quod scandalizati contentari possint, quod ut ceteris cedat in exemplum, nec talia quis amplius praesumat attentare iam dictum fratrem Burchardum ceterosque fratres, dictos conspiratores complures iuxta suae demerita et huiusmodi conspirationes, admissa scelera districte puniant, ad diversa ut quae viderint monasteria sub regulari disciplina emittendo, non nisi de Capituli generalis speciali gratia reversuros, et mittendo seu apportando informationes ad futurum Capitulum super abusibus praetensis praedictorum abbatum; invocato ad praemissa et ea tangentia brachii saecularis et quorumlibet ecclesiasticorum seu saecularium iudicum, potentum, vel communitatum auxilio, consilio et favore. Omnibus igitur, etc. Datum, etc.

20. Generale Capitulum inspiciens et considerans diversa et pene omnia Ordinis negotia in dies emergentia apud Sedem Apostolicam, tamquam ad eius fundamentum originale ac continuum sustentamentum versari et expediri, nec ea ratione protectore ac procuratore ibidem sicut nec hactenus carere posse, ordinat ac praesenti diffinitione determinat reverendissimum protectorem ac procuratorem ibidem continuari, qui eiusdem Ordinis stipendia consueta percipiant, cum nemo propriis impensis teneatur militare. Et licet stipendia ipsa retroactis diebus super contributionibus monasteriorum Ordinis transalpinorum accipi consueverint, quae tamen hodiernis diebus attentis commendis in manus fortium, qui contributiones solvere nolunt, nec ad solvendum compelli valent rebellionibus et processibus inibi capi non possunt; idem generale Capitulum opus tam arduum, tamque necessarium infectum relinquere nolens, concludit et deliberat per

eumdem reverendissimum protectorem et procuratorem praedictos humillima supplicatione apud Sanctissimum dominum nostrum Papam, qui ante sui apostolatus apicem protector Ordinis habitus est benivolus, prosequi et obtineri ut sua clementia ac ad Ordinem suum paterna et singulari benevolentia quaedam monasteria ultramontana diversis saecularibus personis commendata, et ab ipso Ordine multum distracta, in utroque regimine monasterio Cisterciensi et Capitulo generali unire dignetur et incorporare, ut et devotionis affectus et totius religionis vigor iam deperditus relevetur, et elucescat, ac inde ex eorumdem monasteriorum fructibus restantibus in Curia tam pro stipendiis dictorum R. R. domini protectoris et procuratoris, quod alias iuxta Rmi D. Cisterciensis vel Capituli generalis dispositionem, etc. Datum, etc.

21. Super processu inito et ventilato in diversis controversiis, quaestionibus et querelis inter abbates de Precibus et de Melereyo, generale Capitulum indemnitati eorumdem monasteriorum compatienter attendens, volensque sumptibus excessivis dictorum monasteriorum in ipsis processibus charitative parcere, committit domino abbati de Firmitate et abbati de Caroliloco, s. th. pr. et cuilibet eorum in solidum, ut dictos abbates de Precibus et de Melereyo sua citatione conveniant et coram cum omnibus suis, praedictis processibus comparere et assistere compellant, dans idem generale Capitulum plenam auctoritatem praedictis domino de Firmitate et abbati de Caroliloco terminandi dictos processus, querelas et controversias inter dictos abbates summarie et de plano iuxta formam constitutionum et statuta Ordinis et Capituli generalis, praecipitque ipsis abbatibus de Precibus et de Melereyo sub poenis et censuris per eosdem commissarios aut alterum eorum declarandis, et in omnibus his eis et cuilibet eorum tamquam generali Capitulo pareant et indilate obediant, nec se mutuo super praemissis coram quocumque iudice conveniant, ex nunc praedictis partibus peremptorie assignando diem 15 mensis novembris proximam ad comparendum coram praedictis dominis abbatibus, et eorum cuilibet in collegio Sancti Bernardi Parisiis sub poenis praemissis.

22. Ad instantiam et requisitionem abbatis de Vetericella, praesens generale Capitulum mandat et committit abbatibus de Porta coeli et de Valle Sancti Egidii, et eorum cuilibet in solidum, quatinus quambrevius et diligentius poterunt, se infor-

ment super venditione praetensa fieri quorumdam molendinorum, ut idem abbas asserit, monasterio infructuosorum, et si cognoverint ea monasterio esse inutilia, permittant, efficiant et confirment, aut omnino probiheant, si utile viderint, et infirment, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

23. Ad supplicationem et requisitionem abbatis de Ozzeck, generale Capitulum committendo mandat abbatibus de Czetllitz ac de Saars, et cuilibet eorum in solidum ut quia nobilis quidam in regno Bohemiae multa bona ad praedictum monasterium iure pertinentia a tanto tempore, quod quasi praescripta videantur, iniuste detinet et possidet, in animae suae periculum, et dicti monasterii detrimentum et damnum non modicum ad summam usque quatuor millia francorum, et eos circa ad inspicienda et diligenter consideranda praedicta bona se componant et aptent, et ad proximiorem et potiorem rei utilis monasterio praedicto dispositionem reducant, personaliter, fidelibus nuntiis aut litteris regiam maiestatem, ubi necesse fuerit, adeundo, et cum dicto nobili componendo sub auctoritate et beneplacito Capituli generalis, et quod fideliter quae gesserint non omittant deducere et significare.

24. Generale Capitulum concedit abbati de Eberbach de speciali gratia, ut hinc ad proximum Pascha possit absolvi ab omnibus casibus ipsi Capitulo reservatis, omnesque regulares personas utriusque sexus eidem subiectas a similibus casibus absolvere seu absolvi facere, confessione praemissa, salutari poenitentia iniuncta, quodque possit rehabilitare et ad omnes gradus et dignitates promoveri posse concedere, usque ad numerum septem personarum, quarum nomina Capitulo generali mittere teneatur.

25. Generale Capitulum considerans et ad plenum informatum de et super discretione, providentia, fervore et totius religionis zelo abbatum de Herdehusen et de Campo Mariae, eisdem simul et coniunctim praecipit et mandat, ut quamprimum commode eis vacaverit, ad monasterium de Bredelar personaliter accedant, et eiusdem Capituli et Ordinis auctoritate ibidem visitent, corrigant et emendent, quae invenerint visitanda, corrigenda et emendanda, in capite et in membris, per omnia iuxta sacri Ordinis Cisterciensis diffinitiones, ordinationes, reformationes ac saluberrima statuta, in qua visitando iam dicti monasterii necessitates matura deliberatione in utroque regimine ac statu destituendo et ponderando, computationesque officiariorum regimen et adminis-

trationem et omnia, quae ad charitativam visitationem spectant, in omnibus exercendo rite, sancte et religiose omnia componant et aedificent ; chartam visitationis domini abbatis Morimundi in cunctis et singulis suis punctis et articulis executioni demandari faciendo, ordinando et statuendo et sub poenis in ea contentis praecipiendo, necnon et de debitis et de gravaminibus aliisque oneribus ac bonorum alienationibus eiusdem monasterii disponendo, et si quae invenerint alienata et praescripta diligentissime et exactissime studeant revocare. Quod si forsitan opus fuerit vicinos patres advocare ad iam dicta, in nomine Domini advocent, et conveniant ut super agendis prudentius cum omni charitate provideatur, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, invocato ad praemissa et ea tangentia brachii saeculariis et quorumlibet ecclesiasticorum vel saecularium iudicum, potentum vel communitatum, si et quantum necesse fuerit, auxilio, consilio et favore ; sub poena excommunicationis idem generale Capitulum praedicto abbati, omnibusque regularibus personis dicti monasterii districte praecipiens, ut eiusdem abbatibus de Herdehusen et de Campo tamquam generali Capitulo per omnia pareant et devote obediant.

26. Generale Capitulum compatiens et cordis affectu succurrere volens monasterio monialium de Drainszlo, Poznaniensis dioecesis, quae et visitatore, ut percipit, carent, et patre, unde nisi celerius provideatur in utroque regimine patientur incommoda, eo scilicet quod abbas de Bulano, cui commissae erant, obierit, nec eius successor onus accipere velit, quod ne diutius pastorem non habentes, animae suae periculis exponantur, idem generale Capitulum ipsum committit, et sub poena excommunicationis expresse praecipit et mandat abbati monasterii de Lubens, ut dicti monasterii onus, cuius est specialis pater in spiritualibus et temporalibus accipiat, et ferventer gerat, eisdem de confessore regulari et idoneo ac aliis ad eius monasterii utilitatem spiritualem et temporalem providendo, et eas iuxta Ordinis formam visitando, reformando et recludendo, et in communi vivere, ac alia Ordinis reformationes et statuta servare, sub censuris Ordinis compellendo, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

27. Cum Ordo Cisterciensis per sua membra subsistere, et cum capite stare habeat, ne iuxta evangelium, regnum in se divisum reddatur collapsum, multique pseudo ipsius Ordinis fratres

cum capite quasi acephali dissentientes sint in ruinam plurimorum monasteriorum, qui et magis damnabiliter diaboli servitutem sub saecularibus malunt subire, quam iugo Christi sub abbatibus ipsius Ordinis colla submittere ; hinc est quod super his iustam querelam abbatis de Sancto Andrea in Goufferno generale Capitulum suscipiens super eo quod quidam ipsius monasterii falsi fratres cuidam saeculari, quem causis praemissis ut habenis laxatis desideria inordinata compleant a praedicto Ordinis iugo divertentes, et provisioni Ordinis resistentes, ipsi saeculari favent et cum ipso et armigeris suis in praedicto monasterio multa facinora, ut dicitur, perpetrant ; quibus generale Capitulum iuste cupiens obviare et remedium apponere, committit abbatibus de Bonoportu, de Barbereyo, s. th. pr., et de Persenia, ac cuilibet eorum in solidum, ut se super praemissis informent et diligenter inquirant de religione, vita et conversatione eorumdem religiosorum praedicti monasterii, et si eos in praemissis et aliis invenerint culpabiles, regulariter et districte iuxta Ordinis diffinitiones et statuta puniant, corrigant et emendent ; invocato, si et ubi necesse fuerit, brachii saecularis et quorumlibet iudicum ecclesiasticorum vel saecularium et potentum, auxilio, consilio et favore.

28. Cum generale Capitulum iustis causis et rationabilibus semper favere et annuere consueverit et singulis iuxta necessitates succurrere et assentire, audiens penuriam abbatis monasterii de Bredelar, eiusque senium et fatigam cum ipso misericorditer dispensat, ne ad Capitulum generale, nisi voluerit, hinc ad quinquennium immediate sequens venire et comparere teneatur, sitque quittus et liber per idem tempus pro medietate suarum suique dicti monasterii contributionum in singulis annis iuxta taxam et moderationem factam anno Domini 1489, et 90 confirmatam absque temporis futuri praedictis quinque annis expiratis de solvendo ex integro aliquo praeiudicio.

29. Quia frater Hermannus monasterii de Riddageshusen expresse professus nullis molitionibus et cavillationibus factis per fratrem Burchardum taliter qualiter in praedicto monasterio intrusum noluit assentire, imo ad praesens generale Capitulum causam fratris Alberti abbatis dicti monasterii, per illum iniuste depulsi, deduxit et exposuit, timet ne per dictum fratrem Burchardum molestetur, et patiatur incommoda, idem generale Capitulum iam dictum fratrem accipit in suam salvam guardiam,

tuitionem et protectionem, praecipiendo sub poena carceris usque ad voluntatem Capituli generalis eidem fratri Burchardo, ne quovismodo per se vel per alium, palam, tacite vel occulte, praesumat attentare in contrarium, mandando abbati de Sichem, ut quoadusque praedictus abbas Albertus ad dictum monasterium fuerit restitutus, illum suscipiat in suum monasterium, et regulariter conversari faciat, vel de alio regulato monasterio sibi provideat.

30. Generale Capitulum piis operibus libenter intendens, committit abbatibus de Androff et de Camens, quatinus se diligenter informent super quadam missa de quinque vulneribus Christi, singulis sextis feriis in monasterio de Claratumba dicenda et legenda, quam quidam venerabilis doctor phisicus domini regis Hungariae fundare intendit, qui etiam multa aedificia in dicto monasterio incinerata propriis impensis relevat et aedificat; et si viderint missam ipsam eisdem esse confirmandam, confirment aut infirment, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

31. Operibus misericordiae compatienter intendens generale Capitulum committit abbati de Paradiso, quatinus se informet de scientia, discretione et bonis artibus fratris Andreae, baccalarii theologi et phisici, qui instanter requirit sibi licentiam concedi super visitatione et curatione infirmorum circumvicinorum, qui morbis multis laborant, et ut dicitur, monasterio praedicto minantur, eo quod ipsis non medetur; et si invenerit eum in tali arte satis et ut sufficit expertum prout in recta conscientia faciendum et necessarium cognoverit servatis iuribus et Ordinis statutis consimilibus, eidem licentiam praebent in praedictis, in Ordinis et Capituli generalis plenaria potestate.

32. Propter multa et varia monasterii de Campo Mariae super diversis debitis et aliis incommoda, generale Capitulum, intuitu pietatis et charitatis affectu, supportatum et excusatum habet abbatem praedicti monasterii hinc ad septennium a missione scolaris aut studentis ad aliqua studia, nisi tamen urgentior causa emerserit, etc. praedictum abbatem nihilominus hortando ut infra praemissum tempus sic iuvenes suos dirigat et institui faciat, quod apti ad dicta studia mittendi tunc inveniantur propter Ordinis disciplinam, religionis fervorem, decus et honestatem. Insuper dispensat idem generale Capitulum misericorditer cum illo ut infra proximum Pascha ab omnibus casibus Capitulo

generali reservatis habituo confessore possit absolvi, personasque regulares utriusque sexus eidem subiectas a similibus casibus et infra dictum tempus ac semel dumtaxat absolvere seu absolvi facere possit et valeat, confessione praemissa et salutari poenitentia iniuncta ; et quia praemissus abbas senio confectus et fatigis multis affectus eidem Capitulo supplicat a visitatione ipsius excusari, gratiam gratiis misericorditer cumulando, eum a dicta visitatione per immediate sequens quinquennium, idem Capitulum excusat et supportat.

33. Generale Capitulum libenter annuens viris ad perfectionem tendentibus, ut semper magis proficiant, et per eos Ordo decoretur, misericorditer annuit fratri Ioanni de Lovania, monasterii Gymontis, Auxitanensis dioecesis, studere valeat et possit in collegio et studio Ordinis in civitate et universitate Tholosana, aut Parisiensi, et non alibi, mandando abbati de Candelio, commissario Ordinis in partibus Vasconiae, ut auctoritate Ordinis et Capituli generalis compellat abbatem dicti monasterii de Gymonte ad mittendum ad unum dictorum collegiorum praemissum fratrem, eidem de vestimentis necessariis et parte maiore sumptuum, ut pro tunc necesse fuerit, providendo, et si pestis interdum ibidem vigeat, sequi possit doctorem et studentes alibi in hoc casu divertentes, dum tamen inde per saeculum minime vagetur, et dummodo aliud legitimum, super quo informare tenebitur Rmum D. Cisterciensem, non obstat impedimentum.

34. Generale Capitulum benigne acquiescens supplicationem abbatis et conventus monasterii de Valleclara, Laudunensis dioecesis, quaerentis diminutionem suarum contributionum, ipsum generale Capitulum eisdem remittit intuitu pietatis medietatem summae tredecim librarum turonen., cui tenebantur Ordini, et hoc pro tribus annis proxime venturis, in plenaria Ordinis potestate.

35. Super gravissimis et detestandis iniuriis fratris Georgii, monasterii de Oliva expresse professi, qui, ut dicitur, Deum abnegavit, et se diabolo dedit, ut inde honorem reportaret, tria homicidia commisit, multaque scelera perpetravit, praesens generale Capitulum tantam Omnipotentis Dei iniuriam sufferre et aliis in malum exemplum trahi posse nolens, committendo mandat abbatibus de Dobran et de Stolpes, et cuilibet eorum, quatinus facta debita informatione super praemissis et aliis per praedictum fratrem Georgium perpetratis, ipsum iuxta sum demerita districte

puniant, emendent et corrigant, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, ut et Deus animae eius propitiari dignetur, et ceteris ne talia praesumant exemplum relinquatur.

36. Generale Capitulum libenter annuens sacris et divinis cultibus pro augmentatione devotionis et religionis, permittit omnibus abbatibus, monachis, et regularibus personis Ordinis Cisterciensis in provincia Eboracensi, quod servitium proprium facere et celebrare valeant et possint in honore sancti Oswaldi, regis et martyris, in crastino beati Dominici confessoris, dummodo ipsum servitium iuxta Ordinis ritum celebretur uniforme, nulla inter praedictas regulares personas dictae provinciae habita difformitate.

37. Quia in praesenti generali Capitulo apud Cistercium, omnia et singula Ordinis agenda propter eorum multitudinem non potuerunt terminari, idem generale Capitulum ea remittit Divione, per Rmum D. Cisterciensem, quatuor primos, et quos secum assumpserit Diffinitores, terminanda et diffinienda, eadem auctoritate et efficacia qua apud Cistercium terminarentur et diffinirentur.

38. Generale Capitulum attentis discrimine viarum et paupertate monasterii de Castro aquilae, misericorditer dispensat cum abbate dicti monasterii, ut non obstantibus Ordinis statutis et diffinitionibus de veniendo ad Capitulum generale, possit excusari a praedicto Capitulo generali usque ad quinque annos a data praesentis Capituli generalis inclusive computandos, possitque hinc ad proximum Pascha a casibus Capitulo generali reservatis in conscientia semel absolvi, et a similibus casibus regulares personas utriusque sexus sibi subiectis, etiam semel absolvere, aut absolvi facere, confessione praemissa et salutari poenitentia iniuncta.

39. Licet in regulari dispositione et consuetudinibus Ordinis legislatoris nostri B. Benedicti regula contineatur et habeatur, novitios ad professionem, nisi annum probationis integrum compleverint, minime recipi debere, misericorditer tamen, et pro anno praesenti solum, dispensat cum abbate de Eberbaco ut possit infra annum probationis novitios recipere ad professionem, dummodo sint idonei ac maiorem partem anni praedictae probationis compleverint, iuxta abbatis discretionem et conscientiam propriam.

40. Cum ad audientiam praesentis generalis Capituli devenerit,

quemdam nobilem equitem in regno Bohemiae bona plurima ad monasterium de Vetericella iure spectantia, a multis annis in suae conscientiae periculum et monasterii praedicti discrimen detinere et occupare, volens idem Capitulum indemnitati eiusdem monasterii occurrere, committit et mandat abbatibus de Ozzeck, de Saars, de Porta et de Valle Sancti Egidii, ut praedicta bona et praedia diligenter et mature inspiciant deducantque ad meliorem statum et potiorem, ac proximam dispositionem, prout poterunt, et quae super his gesserunt, proximo generali Capitulo fideliter referant, ut auctoritate ipsius ad praedicti monasterii utilitatem et Ordinis decus omnia super his rite et debite terminentur.

41. Generale Capitulum misericorditer disponens cum fratre Ioanne, professo monasterii de Porta coeli, Constantiensis dioecesis, dat eidem potestatem et facultatem ut per annum, computando a data praesentis diffinitionis, possit regulariter in monasterio de Locrocrescenti commorari, mandando abbatibus de Lutzella et de Lococrescenti praemisso, ut interim praedictum fratrem abbati dicti monasterii concilient, qui eumdem fratrem misericorditer tamquam suum recipiat, sub quo deinceps vota Domino promissa reddat.

42. Ad praesentis Capituli audientiam pervenit, quod licet frater Balthasar, monasterii de Porta professus, et in sacra theologia a novem annis licentiatus, ac non parum litteris et virtutibus praeditus, provisor collegii Lipsensis factus, studium non tam audiendo quam docendo continuavit, et magnus evasit ; nihilominus tamen abbas praedicti monasterii de Porta hucusque ad doctoratus gradum distulit promoveri, licet a multis annis a patribus exhortatus fuerit et rogatus ; volens igitur generale Capitulum studiosos et perfectos dignis honoribus ad Ordinis decus praemiari, praecipit et mandat praedicto abbati de Porta ut praedictum fratrem Balthasar ad doctoratus gradum quamprimum fieri poterit adipisci permittat et faciat, committendo domino abbati de Morimundo, s. th. pr., et Ordinis commissario in partibus germanicis, ceterisque ipsius Ordinis commissariis ibidem, quatinus per censuras Ordinis praedictum abbatem ad id compellant, nisi tale impedimentum, super quo Rmum D. Cisterciensem informare teneatur, cognoverit quod merito gradu privari debeat.

43. Ad audientiam generalis Capituli pervenit, et satis aegre tulit, quemdam fratrem Sebastianum, professum monasterii

Vallis Sancti Georgii, functo abbate monasterii Plazensis, abbati de Lankem immediate subiecti, Ordinis statutis, diffinitionibus et aliis ritibus spretis, non electione, ut moris est, sed per potentes saeculares, in ipsius Ordinis vituperium, monasterii praedicti desolationem, et suae conscientiae detrimentum, monasterium ipsum de Plaz occupasse, et usque ad praesens iniuste detinuisse, in quo etiam vitam inhonestam, et multis scandalosam ducit, nec patri abbati aut aliis quibuscumque seu monitionibus eorum morem gerit, et maiora sequi possent discrimina, nisi de remedio provideatur opportuno ; super quibus matura deliberatione providere volens idem Capitulum committendo mandat et praecipit abbatibus monasteriorum de Vetericella et de Buch, et cuilibet eorum in solidum, ut quambrevius et commodius poterunt; ad dictum monasterium de Plaz personaliter accedant, aut coram se praedictum fratrem citari faciant, et super praemissis et ea tangentibus, ac aliis in litteris praedicti abbatis de Lankem, cui praesens diffinitio annectitur, habitis et contentis, vocatis vocandis, se diligenter informent, et iuxta ea quae rite invenerint, per omnia faciant dictum fratrem Sebastianum puniendo, etiam a dignitate abbatiali praedicti monasterii de Plaz, si sua exigant demerita, aut si canonice non intraverit, deponendo, et ad dictum monasterium Vallis Sancti Georgii sub regulari disciplina remittendo, praecipiendo sub censuris Ordinis abbati dicti monasterii ut eumdem fratrem Sebastianum in suum professum, prout tenetur, recipiat, in visceribus Christi dictos abbates de Vetericella et de Buch exhortando et monendo, quatinus apud serenissimum regem Bohemiae et alios principes, et quos viderint exorandos prosequantur et faciant, quod huiusmodi saluberrima praecepta penitus adimpleantur, praedictumque monasterium a praemissis retrahatur incommodis, et deinceps sub regulari disciplina gubernetur, praecipiendo nihilominus dicto abbati de Lankem, ut in omnibus his dictos commissarios comitetur et auxilietur, prout affectione paterna tenetur.

44. Praesens generale Capitulum graviter ferens, necnon monasterio de Bredelar intuitu pietatis condolens super indiscreta venditione et alienatione seu prescriptione quorumdam bonorum et praediorum temporalium dicti monasterii per nonnullos ipsius monasterii quondam abbates, ipso generali Capitulo minime super hoc consulto, super quo iuxta Ordinis apostolica statuta merito consuli et auctoritatem dare debuerat, alias cassata et nullius

roboris et efficaciae omnino fore conscii, praesentis diffinitionis tenore committendo praecipit et mandat abbatibus de Hegena, Herdehusen et Campo Mariae simul et coniunctim, quatinus cum omni diligentia ad dictum monasterium de Bredelar personaliter accedentes, mature, discrete et prudenter se informent super praedicta alienatione et eam tangentia et consequentia, advocatis iuxta sacri Ordinis morem si et in quantum necesse habuerint patribus circumvicinis et iuxta Ordinis praelibati ac Sedis apostolicae statuta et privilegia in cunctis procedant; et si praedictas alienationes adeo notabiles et in praeiudicium dicti monasterii, ac generali Capitulo aut Sede Apostolica minime consultis, et auctoritatem praebentibus, factas agnoverint, ipsas primitus in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, ac Sedis Apostolicae statutis et privilegiis cassent, annullent et nullius efficaciae et momenti, sed omnino nullas decernant et pronuntient, contra quoscumque praedictorum bonorum seu praediorum detentores iustitia mediante procedendo usque ad finalem eorum restitutionem, iuxta leges patrias, et auxilium, favorem et consilium sapientium et providentum, quae praedicti commissarii et patres unione charitativa habeant exquirere et indesinenter ac viriliter prosequi, ne diutius ipsum monasterium in praemissis maiora patiatur incommoda. Quod si praedictas alienationes dictorum bonorum et praediorum temporalium iustas et rationabiles et ad dicti monasterii utilitatem et commodum factas agnoverint, tractatum desuper initum et confectum inter partes auctoritate Ordinis et dicti Capituli confirment in plenaria Ordinis potestate; quae super his et ea tangentibus fecerint proximo generali Capitulo fideliter insinuando, super quibus et ea tangentibus idem Capitulum praecipit omnibus et singulis regularibus personis in quacumque dignitate et gradu existentibus, praedictis abbatibus de Hegena, Herdehusen et Campo Mariae fideliter et diligenter obedire, omni recusatione et appellatione postposita. Insuper quia idem generale Capitulum intellexit, et ad eius audientiam devenit, quod quidam notabilis et devotus vir devotione affectus animae suae dum vivit consulere volens, et maxime quia unicum filium habet, quem in ipsum monasterium professum monachum fecit in sacerdotali ordine iam constitutum, seipsum, uxorem et bona omnia monasterio contulit et donavit, sed dominus comes de Walecke, in cuius dominio et comitatu residet praedictus civis una cum suis bonis, ipsum omnino prohibet, et id facere impedit in

eiusdem monasterii discrimen non modicum et gravamen, quae ad effectum deduci cupiens idem Capitulum committendo mandat et praecipit dictis abbatibus de Hegena et de Hardehusen et Campo Mariae, ut negotiando et laborando super praemissis se ad dictum dominum comitem transferant, et cum ipso iuxta possibiles vires agant, ut ipsa praedicti nobilis civis donatio sortiatur effectum, deprecentur et efficiant absque illius et alterius impedimento.

COMMISSIONES

45. Dolore cordis et amaritudine compatiens generale Capitulum desolationibus et ruinis Ordinis universi in multis mundi climatibus, maxime propter abbatum a Capitulo generali deplorandam absentiam, qui zelo charitatis accensi communia ipsius Ordinis unanimiter tractare deberent, ob quorum defectum indevotionem et inertiam alieni in oculis nostris substantiam nostram devorant, maioraque et deteriora in maxillis pendent, nisi de remedio provideatur opportuno, omnes et singulos per totam Galliam abbates praesentis diffinitionis tenore monet, ac eis praecipit et mandat, quatinus ad proximum generale Capitulum sub Ordinis et felicis recordationis Benedicti XII censuris et poenis in diffinitionibus et statutis Ordinis ac Capituli generalis contentis infallibiliter habeant comparere, praedicti Ordinis necessaria et tunc occurrentia negotia fideliter pertractando ; qui vero gravi infirmitate, aut quavis inevitabili necessitate detenti fuerint, fideles religiosos et speciales nuntios cum potestate sufficienti tractandi et consentiendi cum ceteris qui tunc affuerunt patribus, infallibiliter mittant. Contradictores aut huiusmodi diffinitionis saluberrima praecepta contemnentes, venire aut mittere renuentes, ex nunc pro tunc praedictis censuris et poenis generale Capitulum innodatos fore et esse diffinit ac pronuntiat. Ceteris abbatibus Anglicae, Scotiae, Hyberniae, Saxoniae et aliarum regionum procul nimis existentium, sub eisdem poenis mandando, quatinus singulis annis simul conveniant ad communia suorum monasteriorum et Ordinis negotia peragenda, ad dictum Capitulum per duos ex eis abbates infallibiliter mittant.

46. Cum ad audientiam praesentis Capituli, quod dolenter fertur, pervenit nonnullos Ordinis abbates, commendatarios, priores, procuratores, yconomos et alios officiarios suae salutis et sanctis-

simae institutionis f. r. Benedicti Papae XII contemptores, et Ordini, prout effectu recognoscitur, inobedientes et rebelles, Capituli generalis frequentationem, et contributionum ac subsidiorum solutionem postponant et vilipendant, unde Ordini gravissima exoriuntur scandala, et ubique terrarum disseminantur et deplorantur incommoda, cum cuiuslibet communitatis aut facultatis nervus sit pecunia, idem generale Capitulum sub Ordinis et f. r. Benedicti Papae XII et Sixti Papae IV poenis, fulminationibus et censuris monendo praecipit et mandat omnibus et singulis ipsius abbatibus, Ordinis commendatariis, prioribus, procuratoribus, yconomis et aliis officiariis praemissis, quatinus ad proximum generale Capitulum suas ac monasteriorum suorum contributiones, omni excusatione cessante, deferant, aut infirmitate seu quovis alio inevitabili incommodo, quod absit, detenti, deferri faciant sub Ordinis censuris super his iam multis annis, et per diversa Capitula fulminatis ad solutionem duplicis contributionis iuxta taxationem anno Domini 1489 per Ordinis patres auctoritate et mandato expresso Summi Pontificis factam et sufficienter promulgatam et singulis monasteriis astallatam, cunctos super his monendo, ne in praemissis et ea tangentibus quovis quaesito colore deficiant, alias ad ipsas censuras et poenas in privilegiis et Ordinis indultis apostolicis contentas et praefati ad solutionem duplicem huiusmodi contributionum pro illo anno infallibiliter providetur, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

47. Audita per generale Capitulum abbatum in Polonia super scolaribus ad diversa gimnacia causa studii mittendis controversis, aliis unum aliis alterum petentibus in Ordinis dedecus et damnum, cum inde remaneant qui studere deberent scientia privati ; quibus tamquam necessariis providere volens idem generale Capitulum committendo mandat abbati de Lenym, quatinus se breviter et diligenter informet ad quae collegia seu studia abbates et patres praedicti regni Poloniae suos mittere et dirigere scolares seu studentes debeant, intellectaque et percepta veritate eosdem ad mittendum suos filios ad studendum dispositos districtissime cogat, et quae super his et ea tangentibus fecerit, proximum generale Capitulum fideliter certificet et informet.

48. Ad audientiam Capituli generalis dolenter et aegre pervenit dominum Ioannem Sibenhirter [d], magistrum militiae Sancti

---

[d] Sileuhutier : *L*[6].

Georgii in Millestamts [e], apud Sedem apostolicam vera falsis cooperiens obtinuit incorporandum monasterium de Victoria in Vitrino, Salzeburgensis dioecesis, quod videtur non bonae [f] rationi consonum nec verae religioni decens, imo dissonare et formaliter esse contra Ordinis statuta et privilegia, et hoc accidisse et evenisse, prout fertur, per negligentiam et ob culpam abbatis monasterii de Villario Metensi [g] nostri Ordinis, et patris abbatis praefati monasterii de Victoria ; quapropter ipse dominus noster Cisterciensis, et dictum generale Capitulum cupiens toto cordis affectu et conamine [h] obviare tam crudelibus et nefandis incommodis, committit Ioanni, abbati [i] monasterii de Stams, et [abbati] de Cella principum, quatinus super rei veritate se diligentissime informent, et si dictum monasterium de Victoria invenerint ob defectum dicti abbatis de Villario esse incorporatum et unitum dictae militiae Sancti Georgii, ipsum suspendant ab officio suo et administratione usque ad dispositionem D. N. Cisterciensis aut Capituli generalis. Ceterum praecipitur et ordinatur dictis abbatibus, ut si reperiant ipsum monasterium de Victoria ob defectum abbatis et conventus unitum et incorporatum dictae militiae Sancti Georgii, cogant et compellant ipsos per omnes vias et iustitiae censuras, ut accedant ad procuratorem Ordinis in Curia romana expensis proprii ipsius monasterii, quos Ordo diligenter in praemissis iuvabit, ut semper Ordo in sua libertate illibatus et a morsibus leonum eum devorare quaerentium illaesus permaneat [j].

49. Capitulum generale committit dominis abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, necnon abbatibus de Caroliloco, s. th. pr. et de Regalimonte aut duobus ipsorum, quatinus super gravaminibus, demeritis et causis quarumdam appellationum inter abbatem monasterii de Castellariis, Insula de Ré ex una, appellantibus a domino abbate de Moroliis, et fratrem Ioannem Sarrasin seu Barbarin promotorem in causa inquisitionis religiosum B.M. de Moroliis similiter appellantibus a domino abbate de Gratia Dei ex altera, se debite diligenter et sufficienter informent, et dictos processus visitent, dictosque appellelantes coram ipsis ad

[e] Millestatius : *He*. [f] bene : L^6. [g] *deest He*. [h] conquaerens : *He*.
[i] abbatibus : *He*. [j] *He add.* : In plenaria Ord. potest. Datum in diffinitorio, *etc*. Iohannes abbas de Fontenio.

certum diem et locum citent, aut citari faciant ; et auditis audiendis, visisque videndis iuribus et productionibus partium, consideratisque considerandis dictam causam et materiam propter quam appellatum est, summarie et de plano secundum Ordinis statuta et formam decidant, sententient et terminent, in plenaria Ordinis potestate, evocando omnes alios diversos processus desuper pendentes usque ad huiusmodi causae decisionem.

50. Capitulum generale misericorditer cum fratre Ioanne de Gonnavilla, monasterii de Longovillari expresse professo, agere volens, cum propter certas causas a septem vel octo annis petiverit ab abbate dicti monasterii licentiam eundi ad aliud monasterium Ordinis pro duobus vel tribus annis praecise et nihilominus idem abbas noluerit dare praedictam licentiam, nisi sine spe reversionis, et super hoc dictus frater exiverit monasterium protestando nolle talem licentiam sine termino habere, et ob hoc post obitum dicti abbatis antedictus frater redierit ad praedictum monasterium, tamquam ad domum suae professionis, humiliter supplicando abbatem modernum ut eum recipere vellet in iam dicto monasterio tamquam unum ex suis religiosis, cui petitioni abbas praedictus ullo modo acquiescere voluit, nec vult, et ne saepedictus frater per saeculum vagus contra stabilitatem Ordinis et in suae animae detrimentum et periculum discurrat, idem generale Capitulum abbatibus de Valloliis, s. th. pr., et de Caricampo, et cuilibet eorum in solidum, committit et mandat, ut se informent de statu, vita et stabilitate eiusdem fratris, et si dictus frater per eos aut quemlibet eorum inveniatur disciplinabilis, per eos eumdem fratrem rehabilitando ab omni infamiae nota, quam incurrere potuit, ut praemissis nonobstantibus ad omnes actus legitimos, voces, gradus et officia, abbatali dignitate seclusa, remittatur ad omnes actus legitimos, voces, gradus et officia, abbatiali dignitate seclusa, remittatur ad dictum monasterium de Longovillari deinceps commorandum, et ut bonum fratrem decet, conversandum, mandando praedicto abbati de Longovillari sub Ordinis censuris in ipsum nunc pro tunc, nisi fecerit, ut mandatur, inflictis, monitione praemissa, omni appellatione remota, ut ipsum in suum religiosum recipiat, nec amplius per saeculum vagari permittat, et iuxta demerita, si defecerit, emendet et puniat.

51. Generale Capitulum charitative providere cupiens his qui egent auxilio, attendens paupertatem et sterilitatem monasterii seu prioratus Beati Bernardi in Argentina civitate situati, eidem

subvenire volens, committit abbatibus de Lutzella et de Salem, et cuilibet eorum, ut vocatis vocandis summam centum quinquaginta florenorum renensium imponant super abbatibus et monasteriis Ordinis nostri dicto prioratui circumvicinis pro semel levandam per deputatos per Ordinem pro quadam sententia in Curia romana obtenta in favorem dicti prioratus, et causis aliis salutaribus et rationabilibus, prout clare patet in commissione Rmi D. N. Cisterciensis, cui haec praesens diffinitio annectitur.

52. Cum alias per generale Capitulum diffinitum fuerit, duas sorores carnales monasteria Ordinis ingredi et profiteri non debere, nisi de Capituli generalis licentia et auctoritate, dictam diffinitionem renovando idipsum denuo praecipit, propter ea quae inde sequi possunt detrimenta.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

53. Electionem, promotionem, institutionem, installationem fratris Thomae de Anneto ad dignitatem abbatialem monasterii de Albaripa, Ordinis Cisterciensis, Lingonensis dioecesis, per abbatem Claraevallis, auctoritate sua paterna, debite, iuste et canonice factam et celebratam, prout per litteras,... *etc.* approbat, *etc.* supplendo *etc.*

54. Audita per generale Capitulum relatione facta super processu facto et adiudicato per abbatem de Bonoportu, s. th. pr., reverendissimi domini Cisterciensis et Ordinis commissarium, contra et adversus fratrem Mathiam Boulye, monasterii Sancti Andreae in Goufferno nuper abbatem, super eius depositione a dignitate abbatiali dicti monasterii, et provisione inde canonice facta per eumdem abbatem de Bonoportu ad eamdem dignitatem abbatialem praedicti monasterii de persona fratris Ioannis Blanchet, in sacra theologia baccalarii, cum omnibus inde secutis et habitis per Rmum D. Cisterciensem et per patrem abbatem ipsius monasterii immediatum, prout in actibus dicti processus, provisionibus et decreto desuper confecto, cui praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, idem generale Capitulum praedictum processum, depositionem et installationem ac provisionem factas recipit, approbat, ratificat et confirmat.

55. Electionem, promotionem et installationem fratris Davidis Wynichdanbs nuper monasterii de Kymer abbatis, ad dignitatem abbatialem monasterii de Stratamarcella, per abbates de Conwey

et Vallecrucis, ab abbate de Fontibus, Ordinis commissario in regno Angliae, principatu Walliae ac dominio Hyberniae specialiter deputato et ordinato, canonice, rite et iuxta Ordinis et patrum instituta, factam et per praedictum abbatem de Fontibus visitatorem et reformatorem ac Ordinis commissarium confirmatam, prout, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.* Datum, *etc.*

56. Electionem, promotionem et installationem fratris Wernery de Haniclen, monasterii de Campo Mariae expresse professi, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii per abbatem monasterii de Hardehusen, auctoritate sua paterna, per obitum fratris Ioannis, quondam praedicti monasterii abbatis, tunc pastore viduati, generale Capitulum tamquam rite et canonice factas et iuxta Ordinis consuetudines et statuta, prout in decreto, quod tantum per copiam inspexit idem Capitulum propter absentiam originalis praefati ob itinerum distantiam, et praesenti diffinitioni annexo viso et attento in praedicta provisione ordinate processum est, recipit, approbat, ratificat et confirmat.

57. Electionem, promotionem et installationem fratris Ioannis ad dignitatem abbatialem monasterii Loco Dei [k] Gneznensis dioecesis, per cessionem et resignationem fratris Iacobi, nuper dicti monasterii abbatis, qui ob corporis infirmitatem et aetatis maturitatem monasterium ipsum in manus abbatis de Wangrowitz, in dioecesi Gneznensi Ordinis commissarii, in regno Poloniae, assistente ei abbate de Obra, sponte et libere cessit ac resignavit, generale Capitulum tamquam iustam, sanctam et canonicam, ac iuxta Ordinis statuta, ordinationes et iura factam, prout in decreto super hoc confecto, cui praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, recipit, acceptat, ratificat et confirmat.

58. Generale Capitulum attendens misericorditer quod frater Iacobus quondam abbas monasterii Loco Dei [l] Gneznensis dioecesis, hactenus monasterium ipsum in utroque regimine gubernavit et rexit, eidemque monasterio senio confectus ne incommoda pateretur imposterum sponte et libere cessit, charitative cum ipso agere volens, provisionem illi factam quemadmodum et ut in dicta provisione per abbatem et conventum continetur, cui praesens diffinitio annectitur, approbat, ratificat et confirmat.

[k] *Perp. apud transcript. L*[6]; *leg. fors. sive* Landa, *sive* Sulejovia. [l] *Cf. nota praeced.*

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

59. Generale Capitulum supplicationem abbatis de Gondonio, Agennensis dioecesis, quantum debet obtemperare volens super quodam tractatu inito et passato inter dictum abbatem et habitantes parochiam Sancti Vincentii de Parrigniaco, dictae Agennensis dioecesis, dictum generale Capitulum committit abbatibus de Bonofonte et de Bellapertica et cuilibet eorum, ut si dictum tractatum ad utilitatem praefati monasterii invenerint, confirment, generale Capitulum considerans paupertatem dicti monasterii de Parrigniaco eidem remittit et quittat antiqua debita contributionum, ad quae Ordini tenebatur, hoc intervento, quod ad dictum proximum generale Capitulum tenebitur afferre abbas dicti monasterii summam 25 solid. turonen., et ex hinc summam 40 solid. turonen.

60. Capitulum generale committit abbatibus de Balerna et de Charitate, ut se fideliter informent de permutatione quadam facta inter abbatem et conventum monasterii Bellaevallis, Bisuntinensis dioecesis, et Ioannem Conitot de Rippaplana, declarata in litteris declarationis, cui haec praesens diffinitio annectitur, et si dictam permutationem rite et debite factam cognoverint, confirment in plenaria Ordinis potestate.

61. Generale Capitulum quemdam tractatum sive litteram obligatoriam ex parte abbatis de Bellabrancha, eidem Capitulo praesentatam secundum sui formam et tenorem, cui haec praesens diffinitio annectitur, confirmat et ratificat.

62. Abbatibus de Maceriis et de Miratorio, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus super tractatu facto, inito et passato inter dominum abbatem de Firmitate et eiusdem monasterii conventum ex una, et Claudium Girard mercatorem de civitate Cabilonensi partibus ex altera, super arrendatione seu accensatione in emphiteosim cuiusdam domus in praedicta civitate Cabilonensi existente cum suis appenditiis et usagiis, prout in dicto tractatu, cui praesens diffinitio annectitur, plenius continetur, se diligenter informent, et si invenerint praedictum tractatum ad utilitatem praedicti monasterii factum, confirment, ratificent, aut infirment in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

63. Generale Capitulum committit abbati de Fontenorum, quatinus se diligenter informet super requisitione facta eidem generali Capitulo per fratrem Petrum de Ligourex, professum monasterii de Prato benedicto, super rehabilitatione ipsius fratris a multis eius excessibus in supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur, contentis, et si invenerit eumdem fratrem rehabilitandum rehabilitet, seclusa dignitate abbatiali, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, aut si non rehabilitandum viderit, omnino sinat et dimittat.

64. Ad humilem supplicationem abbatis monasterii de Callovio praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Gregorio Forin, dicti monasterii de Callovio expresse professo, in clericali ordine constituto, ut non obstante infamiae nota, irregularitate et inhabilitate quam incurrit furtum committendo, carceres infringendo, sine habitu religionis per mundum vagus et profugus per annum cum dimidio discurrendo, super quibus praedictum Capitulum generale certificatum extitit, quod poenitentiam patienter egerit salutarem, spondetque de cetero a relapsu se divina protegente gratia praeservaturum, idem Capitulum generale eumdem fratrem relevat et rehabilitat, ut praemissis non obstantibus ad omnes actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia, abbatiali dignitate seclusa, promoveri possit et admitti.

65. De gratia speciali et ad instantiam abbatis monasterii Sancti Andreae in Goufferno, praesens generale Capitulum fratrem Ioannem de Compendio, eiusdem monasterii expresse professum, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam contraxit seu contrahere potuit, metas dicti monasterii exeundo tam de die quam de nocte, extra monasterium per spatium 15 dierum vagando cum adversario sui praelati, procurationem contra abbatem suum signando, et ad consentiendum resignationi dicti monasterii in personam saecularem, contagium carnis committendo, tam cum mulieribus uxoratis quam non uxoratis, idem generale Capitulum eumdem fratrem relevat et rehabilitat, cum eo misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia et beneficia promoveri possit et valeat, abbatiali dignitate seclusa.

66. Ad supplicationem abbatis de Alna, de gratia speciali generale Capitulum fratrem Bernardum de Nivella, eiusdem monas-

terii expresse professum, ab omni infamiae nota, quam incurrit bis apostatando, furtum in dicto monasterio committendo, pro quibus ab abbate suo punitus fuerat et poenitentiam salutarem egerat, idem generale Capitulum cum eo misericorditer dispensando relevat et rehabilitat, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia, beneficia, etiam abbatiali dignitate comprehensa, in plenaria Ordinis potestate.

67. Abbati de Vetericella de gratia speciali concedit generale Capitulum, quod possit usque ad numerum sex personarum regularium utriusque sexus, quae ob suos excessus inhabiles factae fuerint, ad omnes Ordinis gradus et dignitates rehabilitari et promoveri, prout eorum emendationem cognoverit, et ad faciendum iuxta suae conscientiae arbitrium super quibus oneratur, quarum personarum nomina ad generale Capitulum mittat in plenaria Ordinis potestate.

68. Cum in libertatem nos omnes Christus vocaverit, et eos maxime quos religiosa conversatio ornata virtutibus praecinxit, vere nobiles reddere tenetur, ea de causa abbas monasterii de Valloliis, Ordinis Cisterciensis, in dioecesi Ambianensi, humiliter supplicat et requirit, ut non obstante illegitimo natali sororis Franciscae, religiosae monasterii de Vuillencuria, praefati Ordinis, eidem abbati de Valloliis sine medio subiecti, praefatam sororem fama pudicitiae ac vitae laudabilis decoratam legitimare, sive successus legitimi libertatibus imposterum faceremus ; hinc est quod nos ea moti misericordia, praesertim in eos quos libertas quin potius humanae conditionis misericordia libertate generis carere fecit, cum praedicta sorore Francisca, quam per Dei gratiam in religiosis moribus crescere speramus, benigne dispensamus, ut ab ea remoto illegitimationis impedimento, ad omnes libertates, voces, gradus et nostri Ordinis singula officia, abbatiali dignitate inclusa, iuxta suae vocationis exigentiam, legitime possit assumi. Datum, etc.

SUFFRAGIA

69. Abbatibus de Castellariis, de Gratia Dei, de Sancto Leonardo, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum concedit plenariam participationem omnium bonorum operum spiritualium, quae fiunt et fient in toto Ordine nostro Cisterciensi,

tam missis, vigiliis, servitiis, eleemosinis, poenitentiis, orationibus, suffragiis, quam alias omnibus et singulis utriusque sexus personis, quae de suis bonis praedicto monasterio devote et charitative largitae fuerint, et ad capellam Sancti Hilarii prope Rupellam instaurandam manus adiutrices devote porrexerint ; praesenti gratia usque ad quinquennium immediate sequens dumtaxat inclusive duratura. Datum, etc.

70. Generale Capitulum misericorditer condolens desolationi, depopulationi ac personarum ob pestis ingruentem mortalitatem carentiae et defectui in monasteriis monialium Montis Georgii et de Netz, cum ipsis dispensat ut, consulto patre visitatore dictorum monasteriorum, abbatissae possint et valeant moniales ibidem professas de illegitimo matrimonio natas ad gradus et dignitates priorissarum ac aliorum officiorum de gratia speciali sibi assumere.

1497

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b]... etc. ut 1496.
2. Praeterea pro serenissimo... ut 1496.
3. Insuper pro burgensibus... etc. ut 1496.
4. Ceterum pro pace... etc. 1496.
5. Demum pro felicis... etc. ut 1496.

1497. *Fontes* : *He* : 8, 59, *cuius variae lectiones infra citantur non iuxta perg. auth. sed ex eius edit. in* CIST.-CHRONIK, 1901, *p.* 59 *sq.* ; L^6 : 1-95 ; P^2 *in paucis admodum verbis indicat summarie statuta de contributionibus, sc.* 8, 12, *deinde abbrev.* 21, 23, 63.

[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Alexandro 6 ; cardin. de Ursinis ord. n. protect. ; Maximiliano imperante, Carolo regnante : P^2.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis : Notum sit universis praesentes litteras inspecturis, quod in eodem generali Capitulo anno Domini 1497 apud Cistercium, in Cabilonensi dioecesi, celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis : Cum Ordo noster... in summa 25488 francorum seu florenorum aureorum, trium gross. argenteorum, de antiquo debito... necnon in summa 14075 librarum, duorum solid. duorum denar. turonensium pro resta computationum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium... *etc.* ut 1496. Addit. Contrafacientes ex nunc excommunicatos declarando. Invocato, etc. Datum, etc

7. Capitulum generale, etc. Circa materiam super R. D. protectore ac procuratore Ordinis indulgentiis impetrandis et aliis praesenti generali Capitulo propositis, idem generale Capitulum propter certas causas, ipsum moventes, praedictos dominos protectorem et procuratorem in suis officiis continuat, et omnia ad dispositionem proximi Capituli generalis remittit proponenda, et per Dei gratiam terminanda.

8. Diffinitio pro contributionibus. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis : Notum sit universis praesentes litteras inspecturis, quod in eodem generali Capitulo, die 14 mensis septembris anno Domini 1497, apud Cistercium, in Cabilonensi dioecesi, celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis. Matura profundaque deliberatione praesens generale Capitulum materias Ordinis tam communes quam particulares pertractans, attentum circa temporalem totius religionis statum convertit studium ; quia enim propter commendarum [c] multiplicationem in diversis mundi partibus, propter etiam multorum monasteriorum per guerrarum vastitates, ceteraque mundialia impedimenta, contributiones annuae a certis annis fuerunt adeo diminutae ut nullatenus sufficiant ad portandum necessarias expensas communes Ordinis, cuiusmodi sunt : expensae annuae Capituli generalis, stipendia reverendissimi domini Protectoris, et domini procuratoris, aliaque agenda Ordinis in Curia romana, necnon expensae nuntiorum et processuum per anni decursum, provisio-

[c] commendarii : *He.*

nes collegiorum, solutio pensionum seu reddituum communium per Ordinem debitorum ad summam 600 libr. turon. ascendentium [d]; solutio insuper pecuniarum per diversos patres Ordinis ad liberandum Ordinem de bancho et voragine usurarum liberaliter pro impetrationibus diversorum amplissimorum privilegiorum, tam a Sancta Sede Apostolica, quam a pluribus principibus temporalibus concessorum [e]. Et idcirco propter magnam communem Ordinis paupertatem, cum qua eius virtus infirmari comprobatur, frequentius querelae seu potius controversiae, dissensiones, odia et detractiones variae inter multas Ordinis personas agitantur, aliis unum, aliis aliud pro et contra asserentibus [f], ut optime noverunt patres qui Capitulorum generalium celebrationem, multorumque colloquia frequentare solent. Quae omnia ad aures usque Summi Pontificis devenerunt. Cumque nullus alius videatur modus rebus istis satisfaciendi, nec pro nunc expediat subsidia charitativa cum ipsis contributionibus imponere, Summus ipse Pontifex per rescripta authentica districtius sub certis censuris praecipit generali Capitulo quod aliter [g] huiusmodi contributiones depromeret [h], ut absque monasteriorum magno gravamine, congrua proportione ad substantias monasteriorum haec ita [i] disponeret, quod provide et sufficienter rebus praedictis sufficeret. Postquam autem huiusmodi debita communia Ordinis essent persoluta, iterum dictum generale Capitulum summas seu taxas aut astallationes contributionum numeret, quantum expedire iudicaverit ad satisfaciendum aliis expensis communibus Ordinis. Non enim [j] contributiones tamquam census determinati et annui, sed potius sicut symbolum solutionis cuiusdam prandii, vel opus [k] ad quod plures concurrunt, reputentur, ut iuxta expensae quantitatem nunc plus nunc minus persolvatur. Cui quidem mandato apostolico tamquam Ordini summe necessario generale Capitulum anno Domini 1489 parens, habito respectu ad taxas tempore f. r. domini Benedicti Papae XII factas, et ad valores seu statum monasteriorum, prout tunc fuit possibile, moderationem seu taxarum declarationem unanimi omnium consensu fecit, eamque tamquam iustam et sanctam anno nonagesimo, ceterisque [l] annis sequentibus confirmavit, sperans quod si

[d] ascendens : *He.* [e] acceptorum : *He.* [f] afferentibus : *He.* [g] taliter : *L*⁶. [h] disponeret : *L*⁶. [i] habita disponeret, et ad providendum : *L*⁶. [j] tamen : *He.* [k] operis : *He.* [l] certisque : *He.*

omnes liberaliter quottas suas persolverent, brevi tempore maior pars huiusmodi debitorum absolvi potuisset, et ex consequente huiusmodi taxae proportionaliter statim minuerentur. Quidam vero boni Ordinis zelatores, licet numero pauci respective, taxas illas sibi impositas prompte persolverunt, reliquorum vero plures, propriae opinioni inhaerentes et communem Ordinis statum parum curantes, nonnisi sicut prius, et plures nihil, solvere voluerunt ; et inde graves in diversis mundi partibus adversus Ordinem per huiusmodi contradictores suscitati sunt processus. Quas ob res contributiones valde parum ex tunc emendatae fuerunt, prout clare latius computationes singulis annis per generale Capitulum auditae et approbatae ostendunt. Interim Rmus D. Cisterciensis ea, quae iam diversis annis praeteritis saepius proposuerat, continuans [m], rursum verbis et scriptis Capitulo generali exposuit nullum, iudicio suo, efficacius superesse remedium, nisi quod in diversis mundi partibus, diversi per generale Capitulum, et non per ipsum, constituantur commissarii cum potestate dictas levandi contributiones cum restis, venientesque ipsi commissarii singulis annis ad Capitulum omnem [n] afferant receptam, simul et computationes, vel saltem mittant designando expresse quid et quantum a quolibet monasterio fuit receptum. Tunc generale Capitulum haec omnia colligens imprimis solvat expensas Capituli generalis, deinde alias communes illius anni ; id autem quod superierit fideliter et proportionabiliter distribuatur ad solvendum debita communia Ordinis, secundum huiusmodi superabundantiae facultatem. Hoc siquidem medio iustitia ministrabitur, et praedictae querelae, contentiones et divisiones inter multas personas Ordinis sopientur. Plures siquidem statum Ordinis ignorantes asserunt, contributiones vel in toto vel pro maiori parte, contra rationem, voluntatibus et usibus domini et domus Cistercii applicari, et ex hoc omnem Ordinis statum in paupertate constitui, Cisterciensibus oppositum constanter firmantibus et dicentibus se et eorum monasterium per innumerabiles de Ordine Cistercium [o] pro suis diversis necessitatibus [p] incessanter visitantes, necnon pro diversis aliis rebus Ordinis, tam in sustentationem [q] maximorum aedificiorum soli usui Capituli generalis servientium, quam alias multipliciter omnino [r] depauperari et incre-

[m] consumans : *He.* [n] omne receptum : *He.* [o] Cisterciensium : *He.* [p] nec evitabilibus : *He.* [q] sustentatione : *He.* [r] Ordinem depauperare et inevitabiliter : *He.*

dibiliter damnificari, eosque propterea multas et magnas in victu, vestitu et aliis necessitatibus sufferre et indigentias et paupertates, pro quibus nullam penitus ab Ordine sive de dictis contributionibus, seu quovis alio modo recipiunt recognitionem seu recompensationem, quinimo [s] contributiones, quas dominus Cistercii quandoque [t] recipit fideliter et integraliter Ordini computat, ne unus obolus ex eis ad usum domini vel domus Cistercii applicatur ; et idcirco, ut praefatus dominus Cistercii dicebat, ne Ordo ad irreparabilem tendat ruinam, expedit rerum praemissarum modo praemisso aut alio utiliori, per generale Capitulum ordinando, cognoscere, ut de remedio provideatur opportuno. Praemissis igitur per generale Capitulum matura et profunda deliberatione, tam in praesentia quam in absentia praefati Rmi D. Cistercii, attente consideratis et digestis, ad fructuosum ponendum ordinem in dictis rebus Ordinis, concordi decreto conclusit et sententiavit [u] : moderationem seu taxam supradictam propter causas praedictas per sequens quinquennium adhuc [v] continuari, declarando, quid per libram in Gallia et partibus cisalpinis intelligatur libra turonensis ; in Hispania et Germania floreni [w] cursum habentes, et in aliis regionibus principalis [x] et communior pecia [y] auri, ut ducatus, etc. Ne autem rebelles seu contradictores pro contradictione commodum reportent, declaravit, quod, quicumque a dicto anno octogesimo nono usque in praesens non solverunt dictam taxam, tunc, ut praemittitur, etiam auctoritate apostolica factam, per commissarios Ordinis ad solvendum arreragia seu restas viriliter et indissimulanter, sicut per quinquennium sequens, omnes ad solvendum dictam taxam seu restas cum rationabilibus expensis per Ordinis et Sanctae Sedis censuras compellantur. Dictum insuper generale Capitulum praemissum [z] Rmi D. Cisterciensis consilium utile et necessarium iudicans, declaravit per diversas mundi partes, diversos esse constituendos commissarios, quibus et eorum cuilibet in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis praecipit [a] ut quilibet in limitibus sibi assignatis debitum faciendo [b], contributiones praedictas iuxta taxas in suis commissionibus astallatas seu declaratas, cum restis seu arreragiis et rationabilibus

---

[s] siquidem : *He.* [t] congrue : *He.* [u] enuntiavit : *He.* [v] *deest He.* [w] ibidem usum : *He.* [x] per imperialis : *He.* [y] pena : *He.* [z] praemissi : *He.* [a] praecipitur : *He.* [b] faciens : *He.*

expensis per se vel deputatos suos regulares vel saeculares, tempore opportuno, levent seu levari faciant et quittantias dent, quas generale Capitulum ex nunc acceptat. Contradictores, seu praemissa solvere nolentes aut differentes, tam abbates, commendatarios, cellerarios, quam bursarios seu receptores, et officiarios dictorum monasteriorum, tam religiosos quam saeculares, per dictas censuras ad solvendum realiter et de facto cum rationabilibus expensis etiam in moneta cursibili compellant. Quod si forsan quispiam oppositum faciens aliquas sententias ecclesiasticas incurrerit, si tandem reatum confitens et debita solvens, absolutionem humiliter requisierit, dat generale Capitulum cuilibet [c] commissario in limitibus suis auctoritatem ac potestatem tales absolvendi, et etiam citandi ad proximum generale Capitulum, quos citandos esse declarare cognoverit cum intimationibus consuetis. Ipsi vero commissarii sub censuris Ordinis tenebuntur singulis annis ad tunc sequens generale Capitulum omnem receptam [d] cum bene declaratis computationibus, ut praemissum est, ad generale Capitulum personaliter afferre, aut legitimo interveniente [e] impedimento, per fidelem nuntium transmittere, et pecunias ipsas in manibus Rmi D. Cistercii fideliter, aut ubi generale Capitulum demandaverit [f], reponere, fideles computationes, ut praemittitur, de omnibus eidem Capitulo generali offerendo, ut omnia veniant in lucem, et cognitionem personarum Ordinis. Generale itaque Capitulum sufficienter informatum de sufficientia, idoneitate et diligentia domini N. abbatis de N [g] praemissa omnia et singula sibi in et super monasteriis cum suis quottis seu taxis subscriptis et sub conditionibus superius declaratis committit [h]. Invocato ad praemissa et ea tangentia,... *etc.* Omnibus igitur, *etc.*

Datum in Diffinitorio nostro sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis sub anno, die, mense et loco praedictis. Sequuntur nomina dictorum monasteriorum : de [i] Prulliaco, de Ioyaco, etc.

---

[c] omnibus commissariis : *He.* [d] *He add.* : sommam. [e] instrumento, si impediuntur : *He* [f] determinaverit : *He.* [g] Sancta Cruce : *He.* [h] *He add. iuxta stat.* 9 : Quod si forsan, *etc.* [i] *He citat monasteria commissionis abbatis de S. Cruce* : de Hylaria septem florenos renenses, de Cella Angelorum septem flor. ren., de Pawentenberg septem flor. ren., de Valle Dei septem flor. ren., de Zwetzlla decem flor., de S. Cruce quindecim flor. ren., de S. Trinitate sex flor. ren., de Runa quindecim flor. ren., de Victoria decem flor.

9. In commissionibus patriarum remotarum poterit addi haec clausula in fine ante *Invocato* : quod si forsan abbates conquerantur taxas illas non fuisse recte partitas seu divisas iuxta monasteriorum facultates, dat generale Capitulum auctoritatem eidem abbati commissario habendi desuper conferentiam cum tribus aut quatuor de notabilioribus abbatibus suae commissionis, et eorum consilio taxas aliter rationabiliter distribuendi seu partiendi, ita tamen ut totalis summa non diminuatur. Invocato, etc.

10. In commissione domini Morimundi poterit addi haec clausula in fine ante *Invocato* : Et quia valde difficile esset mittere commissiones ad commissarios in Germania et regnis circumstantibus, nisi per hominem notitiam locorum et personarum habentem, generale Capitulum sciens dominum Morimundi huiusmodi notitiam sufficienter habere, dat sibi auctoritatem dictas commissiones mittendi, necnon recipiendi ea quae forsan per aliquos commissarios super his ad ipsum mittentur, et de receptis quittantias faciendi ; de quibus omnibus tunc proximum generale Capitulum plenius informabit.

11. In commissione domini de Balerna, poterit et debebit addi clausula visitationis et reformationis alibi notata.

12. Generale Capitulum attentis gravissimis debitis et aliis innumeris oneribus necessario per Ordinem supportandis ipsum rationabiliter moventibus, taxam novissime singulis Ordinis monasteriis astallatam abhinc usque ad quinquennium immediate sequens astallat et continuat, praecipiendo omnibus et singulis commissariis per ipsum Ordinem institutis et instituendis, ut abbates, priores, bursarios, yconomos et monasteriorum rectores, commendatarios et officiarios per censuras in *Benedictina* et aliis apostolicis privilegiis contentas, ac per omnes iuris et iustitiae vias, ad veram et integram praedictae taxae solutionem indilate et viriliter per singulos annos compellant dicto termino durante, fideles computationes de omnibus et singulis iuxta suarum commissionum tenorem et taxam, ac de non solutis causam ad veritatem generali Capitulo reddendo ; invocato ad praemissa... *etc.* ac a viginti annis suas et monasteriorum suorum, sive de quibus habent rationem seu regimen vel commendam, quittantias fideles

---

ren., de Campoliliorum duodecim flor. ren., de Psitich sex flor. ren., de Landstra sex flor. ren. Datum ut supra. De Novomonte sex flor. ren., de Altovado septem flor. ren., de Altofonte quinque flor. ren. Datum ut supra. Symon abbas Roserii.

demonstrent, de quibus praedicti commissarii fidem faciant, aut dupla reportent, ne diutius Ordo talia sustineat incommoda, sciatque Capitulum ipsum, si contributiones ipsae fuerint ab illis annis aut citra solutae, et ad ipsius Ordinis utilitatem applicatae ; praesentis diffinitionis exactam diligentiam et executionem abbati de Bonavalle, Pictaviensis dioecesis, Ordinis commissario, iuxta commissionem sibi datam, et taxas monasteriorum infra dictum mandatum contentas, committendo.

13. Capitulum generale Ordinis necessariis et dispositionibus utriusque status sedule semper intendere volens, et per ipsius Ordinis patres in meliori et ampliori numero cuncta tractari, determinari et diffiniri, quemadmodum sanctiones sacrae, apostolica privilegia et antiqua statuta indefesse praecipiunt, anno proxime lapso ordinavit et diffinivit omnes abbates ad praesens Capitulum personaliter per commissarios Ordinis ipsius, aut ab eis deputatos citari et conveniri, sub poena solutionis duplicis contributionis ; et quia multi etiam sufficienter citati non comparuerunt, nec suas excusationes miserunt, idem generale Capitulum omnes praedictos abbates qui citati minime venerunt, contumaces et Capitulo praedicto inobedientes, per praesentis diffinitionis tenorem pronuntiat et declarat, omnibus et singulis commissariis, cuilibet in suis terminis districte praecipiendo et super praedictos absentes contumaces et inobedientes praedictas contributiones duplices levent, recuperent et exigant, in plenaria Ordinis potestate, et sub eisdem censuris et coercitionibus, quibus ipsae contributiones levantur, fideles computationes, quemadmodum de principalibus reddendo.

14. Ad praesentis generalis Capituli non sine moeroris acerbitate devenit, quod licet iam dudum pro reformatione locorum et personarum regularium sacri Ordinis in partibus et regnis Castellae, Legionis, Arragoniae, Valentiae, Navarrae, Galetiae, Portugalliae, principatu Cathaloniae et reliquis Hispaniarum terris et dominiis ubilibet constitutis et existentibus, solers ipsius Capituli providentia, plures graves, providos ac discretos, et sacrae religionis zelatores miserit et constituerit visitatores et reformatores, qui super sibi commissis licet exactam fecerint diligentiam, nihilominus tamen propter multiplicem locorum et personarum a moribus Ordinis difformitatem, necnon religionis et honestatis omnimodam pene suppressionem, necdum ad plenum omnia reparare, et ad perfectae reformationis statum reducere

potuerunt, sed multa adhuc tam in facto particulari certorum locorum et personarum in dictis regnis et dominiis existentium, quam etiam ad ea quae generale Ordinis bonum, unitatem et integritatem ipsius concernunt, restant instauranda, corrigenda et emendanda ; unde fit ut necdum serenissimorum regis et reginae Castellae, ceterorumque dominorum devotae essent petitiones et instantiae dudum super reformatione dicti Ordinis praefato generali Capitulo porrectae et praesentatae, sed validius et crebrius ad huiusmodi reformationem viriliter instant per certos apostolicos commissarios, episcopos, aliosque saeculares aut religiosos alterius Ordinis, monasteria et loca praedicta visitari procurantes in iacturam et gravamen non modicum auctoritatis et iurisdictionis dicti Ordinis, quo fit ut non solum iam dicti Ordinis auctoritas, iurisdictio et potestas multipliciter minuatur, vilipendatur et enervatur ; quinimo varia schismata, divisiones, novitates et sectae inducantur, instantibus praedictis visitatoribus extraneis, qui contra Ordinis ipsius formam abbates triennales efficere nituntur. Quos certis ex causis, pactis et conditionibus, in suo modo faciendi usque huc idem Capitulum toleravit, licet ipsa pacta praeterierint, nec tenuerint, imo suis praesumptis novitatibus alia monasteria sibi adunari moliuntur. Praesens igitur generale Capitulum super his omnibus et aliis cupiens plenius informari, abbati de Populeto, dicti Ordinis commissario, committit et mandat ut super huiusmodi rumoribus, praesertim super illos de Monte Syon, et ea quae attentaverunt et praevaricati sunt, se diligenter informet, informationemque veram et in bona forma, cui fides merito adhibenda sit, proximo generali Capitulo mittat. Quod ut super omnibus monasteriis et eorum conversationibus ac moribus ac imposterum dirigendis et emendandis sedulius et verius possit informari, idem generale Capitulum eidem facultatem et auctoritatem confert, ut in certo et convenienti loco Ordinis regulato semel dumtaxat hoc anno possit et valeat congregare omnes et singulos dicti Ordinis abbates, priores et religiosos, aut tot et quales noverit esse vocandos, qui sanctis collationibus habitis et collatis, possint super huiusmodi difformationibus, novitatibus, transgressionibus, ac de remediis opportunis informari, et quae in his et aliis occurrentibus et melius noverint sub sigillis eorum ad dictum proximum generale Capitulum transferre fideliter non omittant. Quod si expediens aut necesse viderint dictus abbas Populeti et quos secum habere voluerit, cum

litteris dicti Capituli generalis ad serenissimos regem et reginam, et illustrissimum principem mature pro praemissorum directione et emendatione accedant, et vota Ordinis efficiant, dans idem generale Capitulum interim et donec praemissa fiant, et Capitulo proximo referantur, auctoritatem, facultatem et plenum posse visitandi et reformandi omnia et singula Ordinis praedicti utriusque sexus monasteria, commissione in forma Ordinis sibi transmissa, in plenaria dicti Ordinis et Capituli generalis potestate.

15. Generale Capitulum graviter ferens nonnullos, imo multos, Ordinis fratres ad Capitulum singulis annis absque licentia suorum abbatum, sine cucullis et decenti habitu venientes per civitates et villas discurrere, et per saeculum vagari, in ipsius Ordinis iacturam, dedecus et ignominiam. Qui, habitu, tonsura et moribus Deo et suae professioni mentientes, Ordinem ipsum denigrant et infamant ; quibus obviare et de remediis opportunis providere volens, idem Capitulum statuit, ordinat ac districte praecipit et diffinit, quod nulli deinceps ad praedictum generale Capitulum, nisi de licentia suorum abbatum et cum habitu decenti, videlicet cuculla, tonsuris et aliis omnibus iuxta Ordinis formam, audeant accedere ; ordinando et nihilominus praecipiendo priori et cellerario Cistercii, quatinus singulis annis scrutinium apud Cistercium faciant, et quos non licentiatos et habitu decenti tonsuramque non ferre noverint, Diffinitoribus Capituli ad veritatem nuntient et scriptis declarent, ut tamquam diffinitionis, ordinationis et praecepti Ordinis et generalis Capituli contemptores et inobedientes districtius puniantur. Praecipiens idem Capitulum singulis commissariis praedictorum Capituli et Ordinis, ut una cum suis commissionibus praesentem diffinitionem habeant, ut visitantes aut contributiones per se vel per suos recipientes deferant, et in singulis monasteriis suorum terminorum pronuntient, declarent ac praecipiant ne quavis occasione excusatio crassa praetendatur.

16. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores, *etc.* Notum facimus, *etc.*, anno 1497. Gravem promotoris causarum Ordinis querimoniam suscepit generale Capitulum, per quam dicebat quod, per generale Capitulum ac Diffinitores eiusdem, tam ab antiquo quam a paucis retroactis et recentibus annis, saepius et vicibus iteratis ad multorum pseudo monachorum et aliorum detestabiles abusus reprimendos et coercendos fuit prohibitum, et sub excommunicationis latae

sententiae poenis ac aliis Ordinis censuris expressis vetitum, omnibus et singulis abbatibus et regularibus personis Ordinis, ne quascumque pecuniarum summas contributionum, subsidiorum, reddituum vel aliorum Ordinis praemissi denariorum, absque speciali et expressa generalis Capituli vel Rmi D. Cisterciensis licentia, ordinatione et expressa in scriptis commissione, una cum quottis monasteriorum, etiam si praetendant aliquas pecuniarum summas sibi per Ordinem quovismodo deberi, audeant exigere et levare. Nihilominus tamen quidam frater Martinus dictus de Eurmio, dicens et asserens se religiosum et professum monasterii Claraevallis ab anno citra, ausu temerario, nulla praedicti Capituli generalis aut Rmi D. Cisterciensis habita licentia, ordinatione seu commissione, contra Ordinis praecepta, diffinitiones et statuta praesumpserit per Franciam et alias provincias multas pecuniarum summas de praemissis contributionibus exigere et levare, ac inde tales quales quittantias facere, in quibus se dicit fuisse et esse ad hoc commissum, ordinatum et deputatum a quodam innominato et indeterminato abbate Claraevallis, prout de his dictum generale Capitulum sufficienter informavit, multa monasteria et Ordinis regulares personas turbando et scandalizando, iustitiae remedium instantius requirendo, praesertim ne futuris temporibus tales abusus impune in Ordine committantur, hinc est quod generale Capitulum iustitiae remedium talibus abusibus apponere cupiens, matura deliberatione habita, declaravit et tenore praesentium declarat dictum fratrem Martinum et omnes fautores eius, agentes et consentientes, etiam si sit frater Petrus de Vireyo nuper abbas Claraevallis, tamquam temerarios et praesumptuosos, ac ordinationum, diffinitionum et statutorum Ordinis praedicti transgressores, excommunicationis latae sententiae poenam ac aliarum censurarum Ordinis poenas propter praemissa incurrisse, et de facto fuisse et esse excommunicatos. Mandando et committendo omnibus et singulis commissariis Ordinis, necnon universis et singulis regularibus personis in sacro sacerdotali ordine constitutos, ac omnibus et singulis presbyteris et notariis publicis, quatinus praedictum fratrem Martinum ac omnes huiusmodi praesumptuosos et attentatores, agentes et consentientes auctoritatibus praemissis excommunicatos, publice et in valvis ecclesiarum, verbo et scripto, pronuntient et declarent, ut ceteris cedat in exemplum, ne quis imposterum talia ausu temerario audeat attentare, de omnibus quae super his fuerint facta proximum

generale Capitulum informando. Datum in Diffinitorio nostro Cisterciensi sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, sub anno, die, mense et loco praedictis.

17. Quia propter multiplicitatem, varietatem et difficultatem diversorum negotiorum ad praesens generale Capitulum deportatorum, quae matura deliberatione ac temporis spatio maiori indigent, idem generale Capitulum ipsa et alia, quae in hoc praesenti Capitulo non potuerunt terminari et diffiniri, Divione per R. in Christo P. D. abbatem Cisterciensem, s. th. pr., et quos ex dominis Diffinitoribus secum advocare voluerit, eadem auctoritate qua apud Cistercium terminarentur et diffinirentur, remittit terminanda et diffinienda, in plenaria Ordinis et eiusdem Capituli generalis potestate.

18. Generale Capitulum etc. Multis et variis necessitatibus Ordinis praesens generale Capitulum succurrere cupiens, et videns hoc fieri non posse, nisi per diligentem collectam contributionum iuxta taxam seu moderationem auctoritate et mandato Summi Pontificis anno 90° in generali Capitulo factam et annis sequentibus corroboratam et confirmatam, saltem usque ad quinquennium immediate sequens iuxta diffinitionem hoc anno in dicto Capitulo factam praesertim pro solutione debitorum Ordinis, committit abbati de Loco Dei Ruthenensi, necnon fratri Ioanni de Besseyria eiusdem monasterii professo et priori, in sacra pagina baccalario formato, dans eis et cuilibet eorum per se et in solidum potestatem et auctoritatem petendi, exigendi, levandi et recipiendi ab abbatibus, commendatariis, ceterisque officiariis monasteriorum subscriptorum quottas seu taxas inferius subscriptas cum arreragiis a 12 annis immediate praeteritis, et de receptis bonas quittantias dandi. Contradictores vero, si qui fuerint, aut solvere renuentes vel differentes, iuxta apostolica mandata et privilegia, ad solvendum cum rationabilibus expensis per omnes iuris et iustitiae vias compellendi ; et generaliter faciendi in praemissis et ea tangentibus per se et per deputatos suos omnia et singula quae boni et legitimi commissarii agere et facere possunt et debent. Invocato etc., Omnibus, etc. Datum. etc,

[DIFFINITIONES] SPECIALES

19. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis : Notum facimus universis quod in eodem generali Capitulo die 14 mensis

septembris anno Domini 1497, apud Cistercium, in Cabilonensi dioecesi, celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis : Exposuit procurator monasterii Cistercii ipsum monasterium et bona ipsius dudum fuisse obligata monasterio Sancti Germani de Pratis prope Parisios, Ordinis Sancti Benedicti, in summa 400 libr. paris., quae valent. 500 libr. turon. annui redditus seu annuae pensionis, occasione prioratus de Gilleyo tunc uniti eidem monasterio Cistercii perpetuo per Sedem apostolicam, donec et quousque Cistercienses assignassent dictis de Sancto Germano locum seu loca, civitati Parisiensi vicinum seu vicina, ex quorum fructibus ipsi de Sancto Germano similem summam annis singulis recipere potuissent seu possent. Quod quidem onus, attenta incredibili diminutione valoris dicti prioratus, erat gravissimum et omnino insupportabile monasterio Cistercii, verisimiliterque multis videbatur imposterum fore causam desolationis praefati monasterii Cistercii. Idcirco Cistercienses redemptioni huiusmodi redditus et liberationi monasterii sui a tanto onere intendere deliberantes, obtinuerunt a christianissimo domino rege Franciae licentiam acquirendi circa Parisios huiusmodi locum seu loca ad dandum praefatis de Sancto Germano, et desuper cum magnis expensis suum obtinuerunt admortissamentum, deinde acquisitioni terrarum operam dederunt. Et quia circa Parisios omnia sunt a potentissimis viris possessa, vix ad sufficientiam inveniri poterant loca huiusmodi. Idcirco consilio amicorum Cistercii consultum fuerat, quod duo prioratus, videlicet de Gratia Nostrae Dominae et de Curia Nostrae Dominae, qui olim fuerant monasteria monialium Cistercio immediate subiecta, Cistercio unirentur et perpetuo incorporarentur ; fuerant enim per guerras et per inordinatum regimen monialium adeo desolata, et bonis omnibus spoliata, ut in illorum quolibet a multis annis vix unus monachus vivere posset, ad finem quod Cistercienses de prioratibus ipsis ad fines praedictos in toto vel in parte se adiuvare possent, illos dando illis de Sancto Germano, sicut et alia haereditagia per eos acquisita, ob hoc tam auctoritate Ordinis, quam Summi Pontificis prioratus ipsi fuerunt uniti perpetuo monasterio Cistercii, et per multos annos de ipsis pacifice usi sunt, ipsos per suos religiosos gubernando. Addebat quoque praelibatus procurator, quod Cistercienses huius negotii expeditionem procurantes post multas acquisitiones, ipsarumque meliorationes taliter sollicitaverunt dominos officiarios regios in

camera computorum primo, deinde in venerabili curia Parlamenti Parisiensis, quod illi de Sancto Germano fuerunt condemnati recipere dictas acquisitiones factas per Cistercienses in diminutionem dictae summae 500 libr. annui redditus pro summa 336 libr. 8 scut. par. quae valent 420 libr. 10 scut. turon. Ita ut quotiescumque Cistercienses ipsis assignaverint residuum, sicilicet 63 libr. 12 scut. parv. valentes 79 libr. 10 scut. turon., ipsi de Sancto Germano tenentur illos recipere et Cistercium perpetuo manebit apud eos quittum et liberum de dicta summa. Verum quoniam domini de camera computorum, iuxta relationem dominorum commissariorum suorum, existimaverunt dictas acquisitiones non valere minus de 500 libr. turon., ipsas iuxta dictum admortisamentum adlocaverunt pro dicta summa 500 libr. turon. et in hoc dictum admortisamentum apud eos videtur fuisse completum, domini vero de Parlamento post longas informationes fatas per dominos suos commissarios non aestimaverunt dictas acquisitiones nisi ad valorem ... *(locus vacuus)* ratione cuius Cistercienses coguntur summam alibi invenire, quae si non fuerit admortisata, necesse erit novum admortisamentum impetrare. Et quia diebus istis impetrationes huiusmodi admortisamentorum apud regiam maiestatem reputantur multum difficiles et quasi impossibiles, non videtur medium pro nunc apertum pro confirmatione huius sanctissimi operis, nisi iuvando de dictis prioratibus, qui omnino irreparabiles ad statum abbatialem videntur, et sic sunt inutiles Ordini, instantius rogando ut generale Capitulum propter causas superius datas, in plenaria Ordinis potestate consentire, imo ordinare vellet ut Cistercienses pro consummatione huius sancti operis, quod non solum Cistercii sed etiam totius Ordinis utilitatem simul et honorem concernit, de dictis prioratibus apud illos de Sancto Germano iuvare, et eos in toto vel in parte ad opus praedictum praefato monasterio Sancti Germani vel aliis prout opportunum videbitur perpetuo tradere seu transferre, et dicto monasterio Sancti Germani perpetuo unire facere possint et valeant quitte et libere, absque cuiuscumque contradictione. Super qua petitione generale Capitulum, post maturam deliberationem, eam iustam et sanctam reputans ipsam annuit, concessit et laudavit, dans tenore praesentium domino Cistercii et conventui potestatem et facultatem per se vel per deputatos suos transferendi dictos prioratus vel partes eorum tam illis de Sancto Germano ad opus praedictum,

quam aliis prout opportunum viderint, magnam Ordinis existimans libertatem, si Cistercium, pia mater sacrae religionis nostrae, a tanto iugo onus servitutis liberari possit, praemissa omnia in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

20. Frater Ioannes, etc. ceterique Diffinitores, etc. facta fuit, etc. Generale Capitulum desiderans universa Ordinis agenda in pace et iustitia tractari, ut in sancto Dei servitio animae salventur declarat Rmum D. Cisterciensem, ipsumque monasterium Cistercii non teneri aut obligari ad solutionem summarum pecuniae pro quibus dominus Petrus de Vireyo, nuper abbas monasterii Cla raevallis, aut alii quicumque cum eo, traxit in causam seu processum in curia Parlamenti Parisiensis praefatum dominum Cisterciensem, sed rem istam ad Ordinem universum spectare, prout sufficienter apparuit dominis Diffinitoribus per lecturam placitati et aliarum partium dicti processus, tam ratione cuiusdam concordi facti tempore Capituli generalis anno 1496 inter praefaum dominum Petrum ex una, et praedictum Rmum D. Cistercii, necnon dominum Firmitatis et quosdam alios patres Ordinis ex altera, non quidem pro eorum facto in particulari, sed solum pro et nomine Ordinis in communi, apud Divionem passato, quam alias. Ne tamen materia huiusmodi processus indeterminata maneat aut confusa, praesens generale Capitulum committendo dat auctoritatem, potestatem et mandatum speciale dominis abbatibus de Firmitate, de Prulliaco et de Caroliloco, s. th. pr., et duobus eorum, visitandi computationes et receptas factas tam ex tunc quam antea per praefatum dominum Petrum aut alium seu alios sua ordinatione de contributionibus Ordinis. Et si invenerint ipsum tantum recepisse quantum viderint Ordinem sibi debere, et ipsum dominum Petrum per dictum processum legitime petere, gratiose et rationabiliter faciant dictum processum omnino, ut iustum est, cessare. Si autem invenerint ipsum non tantum ex dictis contributionibus recepisse quantum viderint sibi aut monasterio Claraevallis rationabiliter ratione dicti processus per Ordinem deberi, de resta quae supererit rationem sibi faciant super receptis dictarum contributionum, tam per dictum dominum de Firmitate, quam per alios Ordinis commissarios de dictis contributionibus faciendum ; nec se arrestent seu occupent contra dictum dominum Cistercii sub colore quod ea quae dictus de Claravalle per dictum processum petit in computationibus Ordinis fuerunt computata seu comprehensa, et forte per dictum

dominum Cisterciensem signata, quia etsi ita sit, verumtamen nunquam fuit intentio Capituli generalis dominum aut domum Cistercii ad solutionem huiusmodi debitorum obligari, saltem donec et quousque Ordo eisdem domino et domui Cistercii, summas illas realiter et de facto persolverint, et solvendum illis de Claravalle et aliis quibus Ordo tenetur, prout in alia diffinitione plenius declaratur. Verum quia necdum per Ordinem hoc fieri potuit, idcirco iniustum iudicat generale Capitulum dominum aut domum Cistercii propter hoc inquietari, vultque praefatum dominum Cistercii et eius domum super his indemnes manere, sicut iustitia exigente fieri debet. His ita per dominos dictos abbates commissarios factis, districtius praecipit universis commissariis et collectoribus dictarum contributionum, quatinus summas per dictos commissarios ad opus praedictum ab eis requirendas indilate solvant seu tradant, ut omnia facta Ordinis in pace et iustitia tractentur, et processus ipse sopiatur. Datum, etc.

21. Generale Capitulum Ordinis, etc., sicut in aliis. Exposuerunt audientiae Capituli generalis promotor causarum Ordinis et procurator monasterii Cistercii, Rmum D. Ioannem abbatem Cistercii, s. th. pr., ardentissimum fuisse zelatorem sanctae reformationis..., ponetur in hoc registro post diffinitionem sequentem de verbo ad verbum.

Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis, universis praesentes litteras inspecturis. Notum facimus quod in eodem generali Capitulo die 14 mensis septembris, etc. ut supra. Quia venerabilis pater dominus Petrus de Vireyo, s. th. pr., nuper abbas monasterii Claravaellis, eiusdem Ordinis, Lingonensis dioecesis, aut alias se pro ipso abbate dicti monasterii se gerens, non tamen se nominans nomine proprio, traxit in causam seu litem et processum R. P. N. D. abbatem Cistercii in suprema curia Parlamenti Parisiensis occasione et ad causam quarumdam pecuniarum quas praetendit sibi et praedicto monasterio Claraevallis deberi per Ordinem nostrum, prout latius patet per placitatum sui dicti processus; hinc est quod dictum generale Capitulum per inspectionem dicti placitati necnon computationum communium Ordinis, ac etiam praefati senioris abbatis Claraevallis suarumque quittantiarum sufficienter fuit informatum, quod huiusmodi processus non procedit seu processit occasione quorumcumque debitorum particularium monasterii aut domus Cistercii, sed solum occasione et ob causam nonnullorum debitorum, quae illi de Claravalle praetendunt sibi

deberi ratione rerum communium Ordinis, ut puta, propter certa quaedam arreragia 300 libr. turon. annuae pensionis, quas dicunt se habere super contributionibus Ordinis, necnon propter certas restas computationum dicti senioris abbatis, per quas praetendunt alias summas sibi deberi per Ordinem, ac etiam quarumdam scedularum, praesens generale Capitulum sufficienter informatum, quod res istae sint, res communes Ordinis et non particulares domus aut domini Cistercii, non obstante quod ipse dominus Cistercii tamquam primus et caput Ordinis computationes seu scedulas praemissas, iuxta morem hactenus observatum, signaverit manu propria pro Ordine et non pro se aut pro Cistercio, declarat idem generale Capitulum conformiter ad declarationem anno praeterito super materiis istis per generale Capitulum factam, et quam ipsum praesens generale Capitulum confirmavit et approbavit, quod neque domus neque praefatus dominus Cistercii ad solutionem huiusmodi debitorum tenentur, seu obligantur, declarat etiam quod non intendit domum aut dominum Cistercii propter huiusmodi debita quomodolibet deberi aut posse inquietari, sive per dictum processum sive alio quovismodo ad solutionem huiusmodi debitorum. Declarat insuper quod neque dictus senior abbas Claraevallis, neque alius quicumque potuit aut debuit occasione dictorum debitorum communium Ordinis praefatum dominum Cistercii per dictum processum aut alio quovismodo inquietare, sed si aliquid sibi debitum esse praetenderet, actionem suam contra dictum Capitulum aut Ordinem universum, et non contra dictum dominum Cistercii causam formare seu attentare debuisset. Declarat insuper multa esse videnda et examinanda in et super computationibus praefati senioris abbatis de rebus communibus Ordinis tam in contributionibus, subsidiis charitativis, quam in aliis multis, super quibus magna adhibenda est discretio et diligentia, ut veritas cognoscatur, et partibus iustitia charitative ministretur, quam etiam circa computationes communes Ordinis, administrationem dicti senioris abbatis concernentes. Et idcirco declarat idem generale Capitulum praefatos dominum et domum Cistercii super rebus istis indemnes debere esse expensis communibus Ordinis, quia iniustum esset, eos pro tantis obsequiis seu potius servitiis, quae dominus Cistercii incessanter expensis propriis Ordini administrat, damna talia reportare. Et idcirco, ut res istae rationabiliter dirigantur, praesens generale Capitulum pro rationabili decisione causae istius creat,

constituit et ordinat, sicut hactenus constituit, creavit et ordinavit suos et indubitatos procuratores magistrum Ioannem Couraud,... *(locus vacuus)*. Quibus et eorum cuilibet tenore praesentium dat auctoritatem, potestatem et mandatum speciale assumendi nomine Ordinis dictum processum et quoslibet alios processus in materiis supradictis, ubicumque forte pendeat, seu imposterum alios moveri continget, et de ipso aut de ipsis expensis communibus Ordinis praefatum dominum Cistercii liberet seu exoneret. Si vero propter stylum curiarum, aut quacumque alia ex causa dictus procurator Ordinis non reciperetur loco domini Cistercii, saltem se adiungendi et causam istam seu processus usque ad finalem determinationem seu sententiam et executionem expensis communibus Ordinis prosequendi. Quod si forsan dictus procurator videret expedire componere cum dictis de Claravalle in aliqua pecuniarum summa occasione dicti processus, dictus procurator rem ex integro domino de Firmitate communicabit, qui vocatis aliquibus abbatibus Ordinis compositionem ipsam faciet, et per commissarios Ordinis ad receptionem contributionum deputatos, cum consilio dictorum abbatum, compositionem huiusmodi, necnon expensas occasione dicti processus necessarias de pecuniis dictarum contributionum persolvet, aut persolvi faciat, reddendo ab huiusmodi causa seu processu, et ab eis dependentibus, dominum et domum Cistercii ex integro indemnes. Libere enim dominus Cistercii proposuit in dicto generali Capitulo, quod si reperiatur quascumque pecuniarum summas pro monasteri Claraevallis fuisse in computationibus Ordinis computatas, et non fuisse dicto monasterio Claraevallis solutas, libenter velle solvere, ut iuris fuerit et rationis, dictis de Claravalle, dummodo summas illas in dictis computationibus computatas Ordo sibi persolvat. Sed si Ordo eidem domino Cistercii non solvat, si dicti commissarii, ut praemissum est, ipsis de Claravalle persolvant, totum hoc quod sic persolutum fuerit eis et inventum fuisse computatum in dictis computationibus, detrahatur seu diminuatur de summa restarum in quibus Ordo per dictas computationes tenetur domino et domui Cistercii. Nimis enim iniustum esset, velle quod debita huiusmodi pro pensionibus et aliis, quae Ordo debet, aliis computentur et non solvantur domino Cistercii, sed debeantur, et nihilominus quod ipse teneretur ad solvendum dictis de Claravalle vel aliis manualiter pro Ordine ea quae Ordo debet et non sibi solvit. Similiter quod ea quae Ordo

debet dictis de Claravalle aut aliis quibuscumque persolvantur, et quod ea monasterio Cistercii per Ordinem debentur proportionaliter non solvantur. Exigit enim rationis et iustitiae ordo, ut de pecuniis communibus Ordinis, quae sunt contributiones et earum arreragia in primis solvantur expensae quae fiunt in Capitulo generali, et per totum annum in prosecutionibus causarum Ordinis, deinde collegiis provideatur, deinde, si quid superest, creditoribus et his quibus Ordo tenetur proportionaliter et pro rata distribuatur, tam monasterio Cistercii quam aliis, sed a rectitudine aequitatis deviaret, quod alii quibus Ordo tenetur solutionem recipiant et Cistercium nihil, sed quod maius est debita Ordinis adversus Cistercium continue augeantur. Mandat insuper districtius generale Capitulum commissariis ad receptionem contributionum deputatis, ut super receptis suis distribuant pecunias ad praemissa circa dictum processum seu compositionem, iuxta praefati abbatis Firmitatis, et aliorum patrum quos vocaverit, discretionem distribuant, et in eorum computationibus per generale Capitulum defalcabuntur. Invocato, etc. Datum in Diffinitorio nostro, etc. ut supra.

22. Generale Capitulum, etc. ut in aliis. Exposuerunt audientiae Capituli generalis promotor causarum Ordinis et procurator monasterii Cistercii R. D. Ioannem abbatem Cistercii, s. th. pr., ardentissimum fuisse zelatorem sanctae reformationis omnium locorum et personarum Ordinis ubicumque existentium, et infatigabilibus laboribus ad hoc in diversis mundi provinciis desudasse, iuxta expressum S. D. N. Summi Pontificis mandatum, celeberrimumque christianissimi D. N. regis desiderium. Ut autem non minus in monasteriis et personis iuxta et prope monasterium Cistercii situatis, quam in remotioribus proficeret, studii sui curam ad hoc convertit, non cessans abbates, abbatissas, monachos et moniales pro viribus ad hoc inducere, et multos delinquentes se ad observantiam seu honestam religiositatem convertere nolentes, iuxta Ordinis statuta increpare et punire, ut omnibus circumstantibus notorium est. Inter ceteras vero Ordinis personas invenit sororem Catherinam dictam Trotedan, abbatissam monasterii de Tardo multum in multis defectuosam, nimiumque voluptuosam et incontinentem, etiam usque ad puerperium notorium, aut etiam puerperia omnibus manifesta, in gravem Summi Dei offensam, populi christiani scandalum, et totius Ordinis dedecus et opprobrium. Quamobrem saepius verbis et litteris, necnon crebra lectura suae

salutaris chartae visitationis in eodem monasterio relictae, ipsam ut se emendare curaret, studiose monuit. Cumque nihil ipsa emendare voluisset, plures domini nobiles, et clari dictae sororis Catherinae consanguinei, abominationes istas pro sui animi generositate diutius ferre non valentes, frequentius dictum dominum Cistercii sollicitabant, ut de remedio provideret, constanter allegantes, quod iuxta Ordinis statuta et diffinitiones abbates et abbatissae taliter et tam inhoneste conversantes deponi debent, et alii seu aliae utiliores institui, protestantes quod nisi sua ordinaria iurisdictione, cui dictum monasterium de Tardo immediate subiicitur, provideret, per superiorem iurisdictionem provisionem requirerent, in non parvum Ordinis dedecus, et praesertim dicti domini Cistercii. Protestabantur insuper, quod si dictus dominus Cistercii provisionem debitam in dicto monasterio apponeret, et abbatissam reformatam cum conventu reformato ibidem introduceret, monasterium ipsum sumptibus propriis bonis muris clauderent, et possibiles favores eis exhiberent ad parandum ibidem locum sanctum et tutum, in quo deinceps sub sancta reformatione filias, neptes et consanguineas collocare possent. Anno itaque 1496, cum rumor pessimus de puerperio dictae abbatissae patriam istam non tam occuparet quam inficeret, et praefatus dominus Cistercii instantia dictorum dominorum ad providendum, ut dictum est, stimularetur, factis confrontationibus, non solum per se, verum etiam per venerabilem et religiosum patrem dominum abbatem de Boneffia, virum utique reformatum et probum, tam propter causas praedictas, quam ad tollendum opprobrium Ordinis, se ad dictum monasterium de Tardo personaliter transportavit, quem nobilis et potens dominus Anthonius de Baissey, miles auratus et ballivus Divionensis, dictae abbatissae avunculus comitatus est, et rursum renovata informatione super inhonesto regimine dictae abbatissae, et invento quod per eam monasterium non solum infamabatur, sed etiam destruebatur, tandem omnibus in capitulo congregatis, sententiam depositionis adversus dictam sororem Catherinam abbatissam protulit, et monasterium tunc vacare declaravit. Inter haec autem dicta soror Catherina a suis amatoribus prius edocta ut correctionis virgam evaderet, ut iustitiae officium illuderet, et ut voluptates solitas continuaret, cuiusdam frivolae appellationis vocem emisisse fertur. Ne autem praesentia sua in eodem monasterio continuationis huiusmodi voluptatum fomitem seu occasionem praeberet, cum

adhuc iuvenis esset, post multam deliberationem, ordinatum est, quod ad vitandum huiusmodi occasiones, et ad dandum sibi materiam addiscendi aliquid de forma Ordinis, mitteretur ad monasterium sanctum et reformatum de Marchia, sicut et pro honore Ordinis, et pro decore nobilis sobolis honeste factum est, sub praetextis tamen quod nullatenus de dicto monasterio de Marchia sub poena inobedientiae, excommunicationis, fugitivarum et inhabilitatis, nisi de expressa domini Cistercii licentia aut Capituli generalis exire praesumeret. Nihilominus multorum relatu acceperant dictam sororem Catherinam superius narrata praecepta contemnendo, et obedientiae bonum transgrediendo absque domini Cistercii aut Capituli generalis mandato seu consensu speciali, de dicto monasterio de Marchia exire et per diversa mundi loca vagari praesumpserat, licet autem, ut dicti promotor et procurator subiungebant, non sit consuetum sicut nec necessarium facta Rmi D. Cistercii per generale Capitulum confirmari, verumtamen propter certas rationabiles causas requirebant dictam depositionem confirmari cum clausulis opportunis, et dictam sororem Catherinam inobedientem, excommunicatam, fugitivam et inhabilem declarari. Super quibus generale Capitulum sufficienter de praemissis informatum, ac de recta iustitia domini Cistercii in iudiciis suis multiplici experientia edoctum, depositionem praemissam dictae sororis Catherinae Trotedan, tamquam bene meritam, iustam et canonicam laudavit, approbavit et confirmavit, tenoreque praesentium laudat, approbat et confirmat, supplendo defectus, si qui forsan quomodolibet in processu huiusmodi intervenerunt. Iudicat insuper et declarat generale Capitulum dictam verbalem et frivolam appellationem, utpote contra iuris regulam, necnon contra statuta, diffinitiones et laudabiles Ordinis consuetudines factam, sed nec relevatam seu executatam vel intimatam, nullam penitus esse, sed irritam, et idcirco nullum ad eam respectum haberi debere. Et insuper quod si dicta soror Catherina contra praecepta superius narrata, ut praemittitur, de dicto monasterio de Marchia exiverit, eam inobedientem, excommunicatam, fugitivam et irregularem iudicat et pronuntiat, committendo et praecipiendo omnibus et singulis abbatibus et regularibus personis Ordinis, maxime in sacerdotali ordine constitutis, quatinus eam inobedientem, excommunicatam, fugitivam et inhabilem ubique verbis et scriptis publice publicent et denuntient. Datum, etc.

23. Generale Capitulum, etc. Cum R. P. N. dominus Cisterciensis plenaria Ordinis et Capituli generalis auctoritate fungatur, non solent ea quae per ipsum in rebus Ordinis fiunt, per generale Capitulum laudari, examinari seu confirmari, nam est omnium nostrum pater, superior et regula. Verumtamen quia promotio sororis Ioannae de la Faye, professae sacri monasterii monialium de Molesia, quorumdam suggestione, in quaestionem seu contrarietatem praeparari videtur, instantius dicta soror Ioanna dicti monasterii de Tardo amicorum medio pro maiori et ampliori securitate requisivit, dictam suam promotionem per generale Capitulum roborari et confirmari. Et quia dictum generale Capitulum invenit dictam promotionem iustam et canonicam, iusteque et canonice fuisse factam, cui praesens diffinitio annectitur, ipsam laudat, approbat et confirmat supplendo, etc. Datum, etc.

24. Praesens generale Capitulum de zelo, prudentia, multiplicique experientia venerabilis abbatis de Loco Dei Ruthenensi, commissionem, cuius copiae praesens diffinitio annectitur, secundum omnes sui clausulas continuat et corroborat in omni suo vigore, per immediatum sequens quinquennium. Datum, etc.

25. Generale Capitulum cum abbate monasterii Beatae Mariae de Uterina Valle benigne dispensat, maxime propter discrimina et longitudinem viarum, ut hinc ad quinquennium immediate sequens a comparitione Capituli generalis excusetur; quodque infra tempus illud possit omnes utriusque sexus regulares personas sibi subiectas ab omnibus casibus Capitulo generali reservatis, in quantum necesse viderit, absolvere et cum eis misericorditer dispensare.

COMMISSIONES

26. Relatu multorum sacrae theologiae professorum necnon baccalariorum et aliorum studentium in collegio nostro Sancti Bernardi, Parisiis, praesens generale Capitulum de religiosis moribus, sufficientia, honestate, necnon litterarum tam humanarum quam divinarum fratris Guidonis Cornuti, professi in monasterio Bonaevallis Ruthenensis, et baccalarii formati in eodem collegio, praesens generale Capitulum sufficienter informatum, ipsum in dicto collegio usque ad ulteriores gradus almae facultatis theologicae continuat, ordinando et praecipiendo R. P. D. commendatario eiusdem monasterii et nihilominus et abundantiori

dilectione ipsum rogando ut eidem baccalario deinceps singulis annis provideat provisioni iuxta *Benedictinae* aliorumque Ordinis privilegiorum et statutorum tenorem, et prout in eodem collegio fieri consuetum est, dispositionem, subveniatque et manu liberali, iuxta dicti monasterii amplam facultatem in promptu, de summa 50 scutorum auri, quam exposuit Parisiis tam in lectura sententiarum quam in aliis suis necessitatibus, continuando studium ibidem, ut per Dei gratiam ex eiusdem fratris Guidonis studio, et monasterium ipsum cum dicto domino commendatario, et Ordo et tota illa celebris patria honorem et consolationem recipiant. Quod si forsitan dictus dominus commendatarius praemissa implere renueret, aut nimis differret, generale Capitulum committendo et praecipiendo dat auctoritatem et plenum posse abbati de Loco Dei, Ruthenensis dioecesis, compellendi ipsum dominum commendatarium, ipsiusque officiarios per sanctae Ecclesiae censuras iuxta privilegia Ordinis, necnon per iustitiam saecularem et per omnes alias iuris et iustitiae vias, ut praemissa impleat, quoniam monasterium longe maiores expensas rationabiliter facere posset et debet, in plenaria Ordinis potestate.

27. Ad Capituli generalis quaedam informationes super dissoluto et inhonesto regimine quorumdam monachorum monasterii de Belloloco Ruthenensi deductae sunt, et ne tanta scelera in eisdem informationibus contenta ad offensam Dei et scandalum populi inulta maneant, praesens generale Capitulum de sufficientia et idoneitate fratris Ioannis de Besseya, professi monasterii de Loco Dei Ruthenensi, et eiusdem loci prioris, in sacra pagina baccalarii formati, sufficienter informatum, committendo dat sibi auctoritatem et plenum posse assumendi quemcumque abbatem Ordinis voluerit, qui similiter auctoritate Capituli generalis, visis dictis informationibus praesenti diffinitioni annexis, transferant se ad dictum monasterium, et dictas informationes summarie et de plano recurrant, auditisque partibus, et consideratis considerandis, illos quos criminosos seu culpabiles invenerint, iuxta casuum gravitatem et statutorum Ordinis tenorem, cum provido consilio puniant sive per carceres perpetuos, sive alias prout rationabile viderint, in plenaria Ordinis potestate, invocato, etc. Omnibus, igitur etc. Datum, etc.

28. Eadem die facta fuit ad instar istius pro monasterio de Fonte Danielis.

29. Praesens generale Capitulum, de Villanova et de Lanvaux

monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, diffiniendo praecipit et mandat, quatinus quam citius et commodius poterint, se debite et ad plenum informent super certis articulis, enquestis et informationibus ac quibusdam praetensis maleficiis, cum praesenti diffinitione sub secreto Diffinitorum sigillo colligatis et formatis, contra et adversus quemdam fratrem in praemissis nominatum et conventum, et omnibus rite et ad veritatem compertis, iustitiam et punitionem de his, quae vera noverint, faciant et exsequantur in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate. Invocato, etc.

30. Ad supplicationem abbatis de Heisterbaco, qui rogat ut duo fratres sacerdotes in monasterio monialium Beatae Mariae de Seyna deputati confessores, in civitate Coloniensi, possint et valeant in Universitate praedictae civitatis studere, praesens generale Capitulum domino de Morimundo, illarum partium commissario, dat auctoritatem ut una cum aliis se super praemissis informet, et prout invenerit agendum faciat, in plenaria Ordinis potestate.

31. Ad idem, super reclusione quarumdam monialium quae extra monasterium, antequam reformatum esset hucusque in Ordinis iacturam manserunt, ut eas auctoritate, qua fungitur, ad talia loca regularia reponat et manere faciat et compellat, quod earum saluti et Ordinis honestati consulatur.

32. Generale Capitulum misericorditer dispensans cum fratribus Anthonio et Iacobo de Bonna, monasterii de Heysterbaco expresse professis, qui maligno suadente spiritu, notam apostasiae per saeculum vagando absque abbatis dicti monasterii licentia, incurrerunt, tandem ad cor, inspirante Deo, a quo cuncta bona procedunt, redeuntes condignam poenitentiam peregerunt, eisdem fratribus et eorum cuilibet indulget et benigne concedit, ut si assensus praedicti sui abbatis super his intervenerit et de voluntate eius sit, rehabilitentur, et ad omnes gradus, promotiones et dignitates admittantur, abbatiali dignitate non inclusa.

33. Generale Capitulum animarum saluti consulere volens indulget abbati de Heysterbaco, ut hoc praesenti anno possit et valeat omnes et singulas utriusque sexus regulares personas sibi et suo monasterio subditas, semel in foro conscientiae ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis absolvere, aut per se commissos absolvi facere, possitque idoneum Ordinis confessorem eligere

qui eum ab eisdem casibus audire et absolvere possit et valeat, in plenaria Ordinis potestate.

34. Generale Capitulum diffinitionem factam anno praeterito super commenda monasterii de Dunis approbat, ratificat et confirmat, declarando insuper R.D.N. Cisterciensem nunquam fuisse intentionis vel consensum dedisse, quod idem monasterium vel quodcumque aliud cisalpinum, aut non commendatum pro quibuscumque laboribus aut servitiis Ordini factis domino Ieronimo Calagiano, S. D. N. Papae cubiculario, per resignationem commendaretur ; bene autem quod de transalpinis et iam commendatis monasteriis, cum vacarent, ubi S. D. N. Papa monachum Ordinis in abbatem praeficere vellet, dictum dominum Ieronimum aliis commendatariis praeficeret in recognitionem dictorum laborum reservationi assensum dedit.

35. Generale Capitulum ad plenum informatum, quod iustis et rationabilibus causis edidit anno novissime lapso diffinitionem quae incipit : Licet in computationibus Ordinis, etc., ipsam diffinitionem rationabilibus et iustis causis ipsum moventibus in se et in omnibus suis clausulis et punctis acceptat, renovat, approbat et confirmat.

36. Generale Capitulum iustis petitionibus libenter intendens et indigentibus iuxta necessaria libenter providens, certo relatu accepit abbatem monasterii B. M. de Balerna ob frigoris intensum rigorem, quod ceteris Ordinis locis ibidem acrius viget, intuitu charitatis et amoris ad suos filios, ut decentius Deo servire valeant, calefactorium ipsis proprium aedificavit et fecit, instantissime supplicans ut dicti filii et religiosi sui regulariter in ipso commode valeant, et iuxta ritum Ordinis ibidem carnibus vesci, non obstante quod dictum calefactorium sub infirmitorio, in domo quae vulgariter in Ordine nominatur *domus conversorum*, et exitum habeat in claustro propter locorum augustam situationem. Cuius supplicationi, attentis praemissis causis, inclinatum et condescendens idem Capitulum committit et mandat abbatibus de Roseriis et de Monte Sanctae Mariae, et cuilibet eorum in solidum, ut se aut alter eorum ad dictum monasterium transferant, et locorum dispositionem attente videant ; et si invenerint ipsum calefactorium et infirmitorium bene ad infirmos et regularem refectionem conventus disposita et apta, ea in plenaria Ordinis potestate eisdem stabilient, ordinent et confirment, usque ad aliam praedicti generalis Capituli dispositionem.

37. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii, etc. ceterique Diffinitores, etc. Notum facimus universis, etc. facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Generale Capitulum audiens cum gravi cordis singultu abbatem de Stratfordia contra Ordinis instituta et privilegia indebite conturbare et gravare abbatem de Fontibus, Ordinis commissarium in Anglia, coram aliis iudicibus quam Ordinis, committit abbatibus de Ryevalle, de Wardona et de Woburnia, et cuilibet eorum, eis praecipiendo, quatinus diligenter se per viros non suspectos, tam religiosos quam saeculares, super praemissis et eorum dependentiis informent ; informationem in scriptis authenticis redigant, et si invenerint praefatum abbatem de Stratfordia quomodolibet in praemissis culpabilem, ipsum coram se ad certos competentes locum et diem seu dies, per citationem conveniant, ipsoque audito summarie et de plano per Ordinis censuras ad procurandum cassationem, irritationem et annullationem omnium gravaminum seu turbationum per eum commutarum seu suscitatarum, coram quacumque persona vel in quocumque alio quam Ordinis foro compellant etiam per suarum quarumlibet commissionum suspensionem ac alias, prout viderint expedire, et de omnibus quae fecerint, proximum generale Capitulum informabunt, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

38. Generale Capitulum committit abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, quatinus compellant abbatem de Ellantio ad reddendum computationes suas de regimine monasterii de Cheminone pro tempore quo praefuit in eodem, et solvere restas, si quae sint, ac omnia debita activa et passiva integraliter declarare, sub poena solvendi per eumdem de Ellantio non declarata et reddere omnes papiros et registra, quas vel quae habet apud se, quae utilitatem aut res dicti monasterii de Cheminone contingunt, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

39. Generale Capitulum cum fratre Ioanne Fabri, monacho de Claromonte, nunc in monasterio Longivadi moram trahente, misericorditer dispensat ad hoc quod possit dehinc ad annum in monasterio Claraevallis manere, et in eodem regulariter vivere, et in casu refutationis, praecipitur abbati praedicti monasterii Clarimontis, quatinus ipsum cum aliis suis religiosis recipiat.

40. Nos frater, etc. Attenta paupertate, novaque provisione de abbate facta in monasterio de Barbereyo de persona fratris Ioannis Levrat, s. th. pr., et maximis in spiritualibus et tempo-

ralibus reparationibus per eumdem abbatem de Barbereyo factis et per Dei gratiam fiendis, praesens generale Capitulum gratiose dispensat cum eo, ut non obstantibus Ordinis statutis ac diffinitionibus in contrarium facientibus, a missione studentium Parisiis in collegio Sancti Bernardi, attento quod ex eodem monasterio continue in Universitate Cadomiensi nonnulli religiosi dicti monasterii ibidem gratia studii residere solent, et ibi expensis monasterii aut alias manuteneantur, nullo modo cogi per commissarios Ordinis per immediatos quindecim annos possit aut valeat.

41. Dominis abbatibus de Firmitate ac de Claravalle, ac abbatibus de Caroliloco et de Bonoportu, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent super decreto promotionis et institutionis fratris Ludovici abbatis monasterii de Belloprato Belvacensi ad dignitatem abbatialem ipsius, et si eam iustam et canonice factam repererint, ipsam auctoritate dicti Capituli generalis ratificent, confirment et approbent, supplendo omnes, etc. Datum, etc.

42. Ad generalis Capituli pervenit audientiam, quod licet exigentibus certis causis, quidam frater religiosus de Valloliis per Rmum D. Cisterciensem, s. th. pr., ad monasterium de Reliquiis fuerit missus et carceribus mancipatus, verum ne Ordinis monasteria in talibus graventur, iuxta Capituli generalis diffinitiones, statutum et ordinatum fuit per eumdem dominum Cisterciensem ut sumptibus et expensis abbatis sui de Valloliis ibidem teneret, et de necessariis provideret. Qui tamen idem abbas usque in praesens facere renuit, in dicti monasterii de Reliquiis gravamen et praedictae diffinitionis et statuti contemptum. Idcirco idem generale Capitulum per praesentis diffinitionis tenorem, mandat et praecipit praedicto abbati de Valloliis, ut quamdiu in dicto monasterio de Reliquiis manserit, de pensione per eamdem diffinitionem ordinata, quae est decem francorum, indilate provideat, committendo abbati praedicti monasterii de Reliquiis, ut per Ordinis censuram, et alias iuxta formam dictam ac praetactae diffinitionis tenorem dictum abbatem de Valloliis ad praemissa compellat, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

43. Generale Capitulum ad certas causas et rationes ipsum moventes, per praesentis diffinitionis tenorem revocat et annullat omnes et singulas commissiones per ipsum abbati monasterii de Fontibus hactenus datas et ordinatas. usque ad eiusdem Capituli

generalis aliam dispositionem, inhibendo eidem abbati, ne praetextu dictae commissionis, aut alias, se de visitando, reformando, aut contributiones recipiendo, seu alia faciendo, quae facere debet commissarius Ordinis, intromittat, usque ad dicti Capituli generalis, ut praemissum est, aliam dispositionem.

44. Generale Capitulum quantum fas est ac iustitiae attinet, indemnitati monasteriorum charitative intendens, misericorditer dispensat super iuramentis per abbatem et conventum monasterii Ioyaci hactenus datis, factis et praestitis, scilicet super tractatu facto, inito et passato per Aegidium Nervoz, quondam abbatem praedicti monasterii et eius conventum, cum defuncto Symone Favard, Nicolao Maulevautz, Maria et Guillelmo Favard et eorum haeredibus, super traditione duarum domorum Parisiis situatarum. Item, super tractatu per eosdem abbatem et conventum contracto cum defuncto Ioanne Cossoy et eius uxore, de viginti arpentis terrae situatis in duabus petiis iuxta castrum de Plaustro ad tres vitas. Item, super alio tractatu cum Guillelmo Pierret, Petro Coteret et Ioanne Carouson, de molendino de Jaillard cum eius pertinentiis, ad 24 annos. Item, super alio tractatu per eosdem abbatem et conventum passato cum Egidio Lefevre de tertia parte terrarum et pratorum grangiae de Montibost, cum pascuis et pastronibus nemorum dicti loci iustitia et praepositura ac terris vacantibus, cum tertia parte grangiae et domorum dicti loci, ad 21 annos, et fiat semper per singulas partes.

45. Generale Capitulum committit abbatibus de Charitate et de Bellavalle, ut quantum brevius et commodius poterunt, se diligenter informent super contentis in supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur, et iuxta id quod invenerint faciendum mature et providenter faciant et exsequantur, ne sic bona monasterii perdantur ; dignum enim non videtur, ut qui Ordinem foedavit, damnificavit et reliquit, habitum Sancti Benedicti sumendo et Ordinem ipsum relinquendo, bona Ordinis possideat.

46. Generale Capitulum ad supplicationem fratris Ioannis Slebusch, senioris abbatis de Veterimonte, praecipit et mandat sub Ordinis censuris abbati dicti monasterii, et qui pro tempore fuerit, ut iuste et integre pensionem illi debitam persolvat, ac arreragia illi hactenus debita, insequendo alias dicti Capituli generalis diffinitiones ac ordinationes, committendo abbatibus de Eberbaco et Heysterbaco, et cuilibet eorum, quatinus prae-

dictum abbatem de Veterimonte ad solutionem dictae pensionis per Ordinis censuras ac alias, iuxta scripta dudum super hoc facta, compellant, non obstantibus appellationibus quibuscumque et litteris scilicet pridem impetratis, et aliis quibuscumque, in plenaria Ordinis et Capituli potestate ; invocato, etc. Datum, etc.

47. Generale Capitulum committit abbatibus de Villanova et de Langoneyo et cuilibet eorum, quatinus se diligenter et exacte informent super quodam tractatu inito et passato inter abbatem de Precibus ex una, et dominum de Boquay ex altera, conventu dicti monasterii de Precibus minime vocato et conscio de dicto tractatu, et ipsis commissariis concedit potestatem absolvendi seu dispensandi super iuramento facto ratione dicti tractatus, et secundum quod invenerint, faciant quod iustum est, in plenaria Ordinis potestate.

48. Generale Capitulum attendens, non sine gravi cordis amaritudine, inobedientias et rebelliones inordinatas abbatis in Insula de Ré, Xantonensis dioecesis, quas fecit et in dies facit, contemnendo suorum superiorum mandata, committit abbatibus de Bonavelle Pictaviensi et de Sancto Leonardo in Calmis prope Rupellam, et unicuique eorum in solidum, quatinus declarent aut alter eorum declaret quamdam eius appellationem, quam emisit ratione ordinationis et mandati sibi facti per dominum de Trisayo, virtute cuiusdam mandati a Rmo D. N. Cisterciensi emanati, quo praecipiebatur eidem abbati de Ré, quatinus fratribus Guillemo Pauli, scolari Parisiensi et baccalario formato in collegio Sancti Bernardi Parisiis, secundum tenorem *Benedictinae* provideret, et Iacobo Gurin similiter in uno monasterio Ordinis commoranti necessaria ministret, disertam... *(locus vacuus)*... quam etiam praesens generale Capitulum per praesentem diffinitionem desertam declarat, et per censuras Ordinis compellant seu compellat ad mandata et ordinationes sibi per dictum dominum de Trisayo factas seu facta perficienda, in plenaria Ordinis potestate.

49. Eisdem committit praesens generale Capitulum quatinus, ultra praedicta, compellant dictum abbatem de Ré ad debite providendum fratribus Ioanni Forestier, et Fabiano Jossemeau professis dicti monasterii de Ré, quibus datur per praesentem diffinitionem potestas quaerendi et inveniendi benivolos receptores in Ordine, cum quibus vivant regulariter.

50. Generale Capitulum compatiens desolationi monasterii

de Aceyo remittit eidem monasterio seu abbati eiusdem loci omnia arreragia suarum contributionum usque in praesens, et deinceps solvat.

51. Abbatibus de Balerna et de Charitate, et unicuique eorum in solidum, committit generale Capitulum, quatinus omnes quos repererint in aliquibus pecuniarum summis aut alias, Iacobo Morelot, Castellano de Braseyo, ad eidem debite satisfaciendum compellant, aut eorum alter compellat, in plenaria Ordinis potestate.

52. Abbati de Claromonte, praesens generale Capitulum concedit licentiam posse resignare monasterium suum de Claromonte in favorem alicuius personae de Ordine, quae sit habilis et sufficiens, et quod omnia fiant secundum Ordinis diffinitiones, privilegia et statuta, alias non.

53. Eidem abbati de Claromonte concedit et permittit praesens generale Capitulum posse fundare missas et orationes et aliqua suffragia in venerabili collegio Sancti Bernardi Parisiis, aut aliquo Ordinis monasterio, pro animabus parentum et amicorum suorum, et non alibi.

54. Abbati Caroliloci, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informet super quibusdam discordiis motis inter abbatem et conventum de Vallibus Sernay ex una, et abbatissam et conventum de Viliers ex altera, super centum arpentis terrae, quae dicta abbatissa requirit a dictis de Vallibus, et quod partibus iustitiam bonam et brevem ministret, in plenaria Ordinis potestate.

55. Abbati de Fonte Danielis praesens generale Capitulum permittit quod monasterium suum resignet, *etc. ut supra nº* 52.

56. Ad instantiam praestantissimi viri magistri Gaufridi Boussart, s. th. pr., committit praesens generale Capitulum abbati de Regalimonte, quod absolvat fratrem Martinum, confessorem et capellanum monasterii de Claretis, a sententia excommunicationis quam incurrerat ratione cuiusdam dilationis demandandi executioni quoddam mandatum Rmi D. N. Cisterciensis in dicto monasterio de Claretis, in plenaria Ordinis potestate.

57. Abbatibus de Valloliis, s. th. pr., et de Caricampo, et unicuique eorum in solidum remittit Capitulum generale fratres Ioannem Julien et Ioannem de Cadieu, monasterii de Gardo professos, qui fatentur furasse 4 vel 5 pecias nemoris dicto monasterio de Gardo, propter quod fugerunt et apostataverunt timentes

carceres, quatinus dictos religiosos puniant et ad monasterium proprium remittant punitos, in plenaria Ordinis potestate.

58. Abbati de Villerio Metensi, ad instantiam dilecti nostri confratris, abbatis de Ponte thefrido, benivole concedit Capitulum una cum Rmo D. N. Cisterciensi, auctoritatem et plenum posse eligendi sibi confessorem de Ordine, qui possit et valeat ipsum ab omnibus casibus ipsi reverendissimo et Capitulo generali reservatis absolvere, et quod ipse abbas de Villerio per se vel suos commissos possit ab eisdem semel hoc anno suos religiosos et omnes sibi subditos absolvere.

59. Ad [j] audientiam praesentis generalis Capituli querimoniose delatum est priorem et conventum de Campoliliorum, nescitur quo spiritu motos, fratrem Sigismundum abbatem suum detinuisse violenter in dicto monasterio suo, et consequenter suscitasse abbatem de Runa, dicti monasterii de Campoliliorum visitatorem, et apud dictum de Runa adversus dictum abbatem suum graves querimonias et accusationes tulisse ; dictum etiam abbatem de Runa induxisse ipsum abbatem de Campoliliorum ad resignandum et cedendum in manus ipsius de Runa iuri [k] suo in dicto monasterio de Campoliliorum praetenso, in quo praefuerat per tres vel quatuor annos elapsos confirmatus ; quae omnia asseruntur per dictum fratrem Sigismundum facta fuisse vi et metu. Ob hoc praesens generale Capitulum pulsavit, ut sibi de remedio et iustitia provideat, quod factum ipsum Capitulum gravissime ferens, et non sine admiratione permaxima de tam insolita praesumptione et iniusta animadversione erga suum pastorem, abbatibus de Sancta Cruce, de Zwettl, et de Paumgartenberg, ordinat, praecipit et mandat, quatinus de singulis supradictis et ea tangentibus informent diligenter, et si ita invenerint, restituant destitutum [l] et defectuosos corrigant, necnon citent ad proximum generale Capitulum dictum de Runa, et eum quem instituit in dicto monasterio de Campoliliorum, ut afferant per scriptum cuncta quae fecerunt et egerunt circa praemissa, qui [m] similiter commissarii immediato Capitulo transmittent cuncta quae fecerint, ut singulis iustitia ministretur [n]. Et si, debita informatione habita, invenerint dictam resignationem absque generalis Capituli auctoritate, aut vi et metu, vel alias

---

[j] Nos frater Iohannes, abbas Cistercii, *etc.* : *He.* [k] iure : *He.* [l] destituta et defectuosa : *He.* [m] Quemadmodum : *He.* [n] monstretur : *He.*

iniuste factam, aut provisionem inde secutam non rite factam, dictas [o] resignationem et subsecutam [p] promotionem cassent et annullent : et nihilominus, sive canonicae fuerint sive non, citent dictum noviter promotum ad proximum generale Capitulum, ostensurum decretum suae praetensae provisionis. Et insuper compellant ipsum praetensum abbatem, ut usque ad aliam Capituli generalis dispositionem provideat eidem domino Sigismundo de bona pensione, mandando eisdem commissariis, ut mittant ad proximum generale Capitulum sub sigillis suis quaecumque in praemissis egerint, ut per ipsum generale Capitulum finalis conclusio ponatur in praemissis [q].

60. Praesens generale Capitulum graviter ferens insolentiarum et vitae perversae nimios et intolerabiles abusus cuiusdam fratris Roberti Dufay, se pro professo monasterii de Cheminone gerentis, de quibus fuit per relationem fide dignorum sufficienter informatum, statuit, ordinat et diffinit, quatinus ad Claramvallem per dicti loci de Cheminone abbatem citius, secundum Ordinis diffinitiones destinetur eisdem de Claravalle sub poenis et censuris Ordinis praecipiendo, quatinus dictum fratrem Robertum recipiant, et in caerimoniis Ordinis debite introducant. Qui frater, si obedire noluerit, universis Ordinis personis super hoc requirendis praecipit idem generale Capitulum, quatinus eumdem fratrem Robertum tamquam excommunicatum devitent in omnibus et per omnia, necnon carceribus mancipent usque ad nutum Capituli generalis.

61. Ad terminandum omnes querelas inter seniorem abbatem de Vallibus Sernay et iuniorem eiusdem loci, committitur abbatibus de Prulliaco et de Bonoportu, s. th. pr., et cuilibet eorum, quatinus dictas partes auditis audiendis, visisque visendis, appunctuent, finemque eorum querelis imponant, in plenaria Ordinis potestate.

62. Generale Capitulum committit et mandat abbatibus de Chassenia et de Cheseriaco, et cuilibet eorum in solidum, quatinus diligenter se informent super quibusdam rebellionibus factas per abbatissam et moniales de Haye abbati de Samedio, patri abbati ipsarum monialium, quae cartam suae visitationis noluerunt recipere, nec eidem obedire, quatinus partibus auditis, fa-

[o] dictam : *He.* [p] subsequentem provisionem : *He.* [q] *He add.* : Datum Cistercii, *etc.* Eugenius abbas m. p. de Cheimone.

ciant partibus iustitiam et aequitatem, in plenaria Ordinis potestate.

63. Generale Capitulum attendens gravissimas impensas ac onera importabilia, quae in dies Cisterciensis ecclesia, mater omnium nostrum, ex abundantia charitatis, materne libere fert pro ipso Ordine, et tulit usque in praesens, eidem filiali affectu humiliter et devote inservire in omnibus sibi possibilibus desiderans, ut eadem ecclesia mater nostra de suo accipiens ad sibi necessaria comparanda, animo laeto et hilari consentit, et ita fieri hortatur et orat, quatinus Rmus D. N. Cisterciensis Ordini et omnibus nobis digne praelatus, de prioratibus suis et sua ditione immediate constitutis, videlicet de Curia Nostrae Dominae et de Gratia Nostrae Dominae, in toto vel in parte secundum quod sibi congruerit et expediens visum fuerit, ad utilitatem sui saepedicti monasterii Cisterciensis disponat et faciat, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

64. Promotionem et institutionem per R. in Christo P. D. abbatem Cisterciensem, s. th. pr. plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate fungentem, auctoritate sua paterna et praefati Capituli generalis factam de persona magistri Anthonii de Castellione, s. th. pr., in abbatialem dignitatem monasterii Claraevallis, prout in decreto desuper confecto, *etc. ut in formula consueta*.

65. Ad idem, promotionem et provisionem de persona fratris Marci de Illyes ad dignitatem abbatialem monasterii de Fonteneto, prout in decreto inde confecto, *etc.*

66. Ad idem, provisionem et institutionem de persona fratris Ogerii de Divione, in sacra pagina bacc. formati, ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Cheminone, per R. P. D. N. Cisterciensem, s. th. pr., in cuius manus frater Hugo de Juleio, praedicti monasterii de Cheminone tunc abbas sponte et libere cessit, prout in decreto, *etc.*

67. Resignationem et cessionem a dignitate abbatiali fratris Ioannis Piscatoris, abbatis monasterii de Uterinavalle, in manus domini abbatis Morimundi, s. th. pr., et electionem, promotionem, nominationem et installationem fratris Iacobi Terrenier ad dignitatem abbatialem dicti monasterii de Uterinavalle, *etc.*

68. Promotionem et institutionem in abbatialem dignitatem

monasterii B. M. de Tribus fontibus, Catalonensis dioecesis, de persona fratris Ioannis Maurret, bacc. form. per Rmum P. D. Cisterciensem, s. th. pr., iure ad se devoluto factam, prout in decreto, *etc.*

69. Ad idem, electionem, promotionem et installationem fratris Alexandri Bauk ad dignitatem abbatialem monasterii de Furnesio per abbatem monasterii B. M. de Fontibus, Eboracensis dioecesis, Capituli generalis commissarium, *etc.*

70. Ad idem, electionem et installationem fratris Michaelis ad dignitatem abbatialem monasterii de Campoprincipum, per obitum fratris Leonardi, dum adviveret, dicti monasterii abbatis, auctoritate abbatis monasterii Alderbacensis, praedicti monasterii patris abbatis, factam, *etc.*

71. Generale Capitulum iuxta meritorum proemia volens Ordinis regulares personas remunerari, pensionem per abbates monasteriorum Caesareae et Fontis salutis, fratri Ioanni Hoffman, quondam abbati monasterii de Speciosa valle, qui eidem monasterio sponte et libere cessit, assensu et voluntate abbatis et conventus dicti monasterii assignatam, prout in litteris desuper confectis ad plenum constat, quibus praesens diffinitio annectitur, tamquam iustam et meritoriam confirmat, ratificat et approbat, praecipiendo abbati et conventui dicti monasterii, ut eidem fratri Ioanni Hoffman praedictam pensionem, quoad vixerit, integre persolvant, ne futuris vertatur in scandalum et malum exemplum, fiatque in omnibus iuxta tenorem dictarum litterarum.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

72. Generale Capitulum debite et sufficienter informatum super profectu et utilitate tractatus, cui haec praesens diffinitio annectitur, per relationem Rmi D. N. Cisterciensis et eiusdem sui conventus procuratoris, eidem Capitulo verbaliter factam, ipsum secundum sui formam et tenorem ratificat, confirmat et approbat, in plenaria Ordinis et Capituli generalis auctoritate.

73. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Claravalle, s. th. pr., de Gardo, de Claromarisco et de Lanneyo, et cuilibet eorum in solidum, quatinus se diligenter informent super quodam tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Caricampo ex una, et dominum Ioannem de Humières ex altera ; qui si invenerint dictum tractatum initum, factum et passatum inter partes praedictas ad utilitatem dicti monasterii de Cari-

campo, confirment et approbent ; sin autem eumdem tractatum omnino cassent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

74. Ad idem, abbati de Reigniaco pro abbatissa de Confort, quod se diligenter informet super quodam tractatu inter dictam abbatissam et conventum eiusdem loci ex una, et drapiarios Antissiodorenses ex altera, quatinus si dictus tractatus inveniatur factus ad utilitatem dicti monasterii de Confort, per dictum de Reigniaco confirmetur ; sin alias revocetur, in plenaria Ordinis potestate.

75. Committitur abbatibus de Bonoportu, s. th. pr., et de Bellobecco, quatinus se diligenter informent super quodam tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Voto ex una, et Guillelmum Le Scapnier ex altera, ratione manerii de Garenna, qui si invenerint dictum tractatum inter eos habitum fore utilem dicto monasterio, illum approbent et ratificent ; sin alias illum cassent, revocent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

76. Abbatibus de Bellavalle, de Balerna et de Charitate, et unicuique eorum in solidum committit praesens generale Capitulum renovando diffinitionem anno elapso in praesenti casu factam usque ad triennium, si commode citius huiusmodi negotio vacare non possint, dando eis auctoritatem se diligenter informandi super quodam tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Locoscrescenti ex una, et dominum de Novocastro ex altera, et referant Capitulo generali quod invenerint.

77. Abbatibus de Firmitate, de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, et duobus eorum in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent super quodam tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Vallibus Sernay ex una, et collegium Ordinis Sancti Bernardi Parisiis ex altera, facto anno 1488, quem quidem si invenerint partibus utilem confirment ; sin alias infirment, in plenaria Ordinis potestate.

78. Praesens generale Capitulum mandat et praecipit abbatibus de Valle Dei, Sancti Lamberti, de Alna, et cuilibet eorum, quatinus se diligenter informent super quibusdam tractatibus initis et passatis inter abbatissam et conventum de Portzeto prope Aquisgranum et communitatem dicti loci de Portzeto, quos si invenerint iustos, rationabiles et utiles dicto monasterio

de Portzeto, illos ratificent et approbent ; alias cassent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

79. Generale Capitulum misericorditer dispensans cum fratribus Cornelio Duyt et Ioanne Griselot, sacerdotibus et professis monasterii B. M. de Hemmerod, qui carnis contagio notati iuxta Ordinis inhabilitatem incurrerunt, benigne indulget ut his non obstantibus, ad omnes gradus et honores Ordinis admitti valeant, abbatiali dignitate non inclusa, dum tamen sui abbatis super hoc expressum obtinuerint consensum.

80. Ad instantiam abbatis de Altasilva, praesens generale Capitulum ad omnes Ordinis nostri legitimos actus, fratres Petrum et Colinum, monachos et professos dicti monasterii de Altasilva, de contagio carnali convictos, abbatiali dignitate seclusa, rehabilitat et admittit, in plenaria Ordinis potestate.

81. Generale Capitulum ad instantiam abbatis de Igniaco rehabilitat ad omnes actus Ordinis legitimos fratrem Natalem, religiosum dicti monasterii de Igniaco, qui, ob copulam carnalem ex introductione cuiusdam mulieris infra dictum monasterium de Igniaco, notam inhabilitationis incurrerat.

82. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis Longivadi, generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratre Reymberto de Arcubarrensi, ut non obstante inhabilitate quam incurrit in contagio carnis deprehenso, ut ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces et officia, seclusa abbatiali dignitate, valeat promoveri.

83. Ad idem, pro fratre Ogerio de Laterceyo.

IUDICES

84. Abbatibus de Ponte oltrani et de Melereyo, et unicuique eorum in solidum, committit praesens generale Capitulum auctoritatem et potestatem compellendi omnes et singulas Ordinis personas, cuiuscumquae conditionis sint, quas repererint legitime teneri ad aliquas pecuniarum summas monasterio de Claromonte, sive ad alia quaecumque, in plenaria Ordinis potestate.

85. Generale Capitulum committit abbati de sancto Sulpitio, quatinus si invenerit abbatissam de Bitumine debite teneri in

aliqua seu aliquibus pecuniarum summis aut aliis quibuscumque rebus, eamdem compellat ad condigne satisfaciendum abbati de Bitania, in plenaria Ordinis potestate.

86. Generale Capitulum concedit sequentibus iudices Ordinis ad compellendum coram ipsis, ad instantiam impetrantium, omnes et singulas regulares personas Ordinis eiusdem utriusque sexus, ad solvendum sibi summas pecuniarum, quas litteris, pactis, obligationibus aut aliis iustis causis ostenderint sibi deberi... etc.

87. Pro abbate de Bonoportu, s. th. pr., iudices abbates de Caroliloco, s. th. pr., de Barberio, s. th. pr., de Valle Richerii et quilibet eorum.

EXCUSATIO ABBATUM A VIA CAPITULI GENERALIS

88. Abbates sequentes excusantur hoc anno a via Capituli generalis propter certas causas generale Capitulum moventes. — Abbas de Roseriis propter armatos et latrunculos vi tenentes quoddam castrum iuxta monasterium suam dictum Vadaut, qui ipsum miserabiliter turbant, non potuit venire, ideo excusatur. — Dominus abbas de Bonarequie propter gravem infirmitatem, quam habet et patitur in una tibia, prout constare poterit per procuratorium ad hoc specialiter missum per unum suorum religiosorum. — Dominus abbas de Sancto Mauritio, de Langoneyo, de Lanvaux, de Silva Melonis, de Veteri villa et de Melereyo, propterea quod vocati sunt et citati sunt personaliter comparere in Parlamento regio, quod pro nunc tenetur et celebratur in civitate Venetensi, et hoc sub poena perditionis fructuum monasteriorum suorum per annum integrum, ut retulit baccalarius de Precibus, et nonnuli alii religiosi. — Dominus de Begario, ad relationem baccalarii de Reliquiis eius religiosi, propter causas mihi quidem ignotas. — Ad idem, dominus abbas de Ponte oltrani. — Dominus abbas de Claramonte, propter causas Rmo D. N. scriptas, ut retulit scolaris dicti de Claromonte. — Dominus abbas de Septemfontibus propter aliqualem eius infirmitatem qua gravatur, necnon propter occupationem quam habet circa sollicitudinem certorum commissariorum, quos habet in monasterio suo, ratione cuiusdam processus sui. — Dominus abbas de Gratia Dei, propter gravem podagram, quam petitur in tibiis, ut retulit dominus abbas de Bellavalle. — Ad idem, dominus de Bullione,

ut retulit quiddam assertus suus religiosus. — Dominus abbas de Voto propter eius gravem infirmitatem, necnon equorum et nummorum penuriam, ut retulit baccalarius eiusdem monasterii. — Dominus de Caricampo propter certas causas domino de Laude plenius notas, ut ipse retulit. — Ad idem, dominus de Thorigniaco, et de Alneto, ut retulit dominus de Barbereyo. — Domini de Bellobecco et de Mortuomari propter causas provisori collegii Sancti Bernardi Parisiis notas, ut retulit. — Ad idem, domini de Valleregis et de Longoponte, ut retulit dominus de Ursicampo. — Dominus de Ripatorio propter infirmitatem corporalem qua gravatur. — Ad idem, dominus de Montepetroso propter causas Rmo D. N. Cistercii scriptas, ut retulit quidam suus assertus religiosus. — Dominus Rolandus, abbas de Persenia, propter infirmitatem qua detinetur, febri videlicet quotidiana, ut retulit frater du Glemier, in sacra pagina licenciatus. — Dominus de Villanova propter infirmitatem febrium qua gravatur, ut retulit baccalarius de Precibus. — Domini abbates de Bellabrancha, de Sancto Leonardo, de Curia Dei, de Misericordia Dei, de Fontanis albis, de Eleemosina, de Stella, et de Baugereyo petunt et supplicant excusari propter causas domino de Bonavalle Pictaviensi bene notas, ut retulit idem dominus de Bonavalle. — Dominus abbas de Fontenorum propter infirmitatem qua detinetur, prout subprior sui monasterii retulit ipsam scripsisse Rmo D. N. Cisterciensi.

ORDINIS SUFFRAGIA

89. Ad supplicationem et petitionem parochianorum et habitantium Sancti Michaelis Divionensis, qui velut exposuerunt ecclesiam magnificam beato Michaeli patrono suo speciali intendunt aedificare, ad quae nisi multorum suffragiis, eleemosinis et facultatibus minime sufficere possunt, humiliter requirentes super his misericorditer per Ordinem eisdem suffragari, ad quam petitionem et iustam requestam generale Capitulum charitative intendens, eisdem suffragia ipsius Ordinis talibus dari consueta ad quinquennium benigne largitur et concedit, ut scilicet omnes et singulae utriusque sexus personae de bonis suis dicto operi manus adiutrices et largitrices porrexerint, omnium bonorum spiritualium totius Ordinis plenam participationem habeant et assequantur.

90. Ad idem, ad quinquennium pro monasterio monialium Ordinis de Biars, Noviomensis dioecesis, prope Peronam in Picardia, ad supplicationem abbatis de Vaucellis, s. th. pr.

91. Ad idem, pro monasterio monialium de Vivario, Attrebatensis dioecesis.

92. Suffragium pro domino Henrico Briem, vicario maioris ecclesiae Spirensis.

93. Ad idem, pro monasterio de Balerna, Bisuntinensis dioecesis.

94. Suffragium pro magistro Ioanne Heyni de Weinheyn, s. th. pr., ac facultatis theologiae studii Heydelbergensis ordinario, ad supplicationem prioris de Eberaco.

95. Ad idem, pro magistro Daniele Zangenried, s. th. doctore atque verbi Dei praedicatore Heydelbergensi, ad supplicationem dicti prioris de Eberaco, sacrae paginae baccalaurii formati.

1498

Continuatio Capituli generalis anno Domini, 1498.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, notum facimus, quod cum iuxta *Cartae charitatis*, necnon *Clementinae* et aliorum statutorum, diffinitionum ac privilegiorum sacri Ordinis nostri Cisterciensis, generale Capitulum fuerit ab exordio Ordinis institutum, ut singulis annis apud Cistercium celebraretur, et ex tunc absque interpellatione ibidem quolibet anno usque in praesens celebratum et continuatum, et in eo universae et singulae totius Ordinis materiae, tamquam in supremo auditorio, tribunali, seu consistorio totius Ordinis, fuerint tractatae, discussae, terminatae, diffinitae et sententiatae, tam de rebus spiritualibus quam temporalibus cuiuscumque generis, naturae seu conditionis existant. Essemusque intentionis et determinatae voluntatis hoc

---

1498. *Fons unicus* : L^6. — *Huius anni tres litt. pat. abb. Cistercii, quarum orig. perg. asservantur in archiv. monasterii de S. Cruce in Austria, editae fuerunt in* CIST. CHRONIK, 1901, *p.* 90 *sq. Earum argumentum est speciale, nempe negotia monast. de Valle Dei, de Victoria, de Campoliliorum.*

anno, die consueta, in dicto monasterio nostro Cistercii, Capitulum ipsum generale iuxta morem nostrum et Ordinis celebrandi, et ob hoc cuncta ad hoc necessaria in eodem monasterio praeparari et disponi iuxta laudabiles consuetudines fecerimus ; nosque propter hoc die decima mensis praesentis ad ipsum monasterium personaliter transtulerimus. Verumtamen duo magna occurrerunt impedimenta, quorum primum est terribilis rumor quaquaversum per orbem, praesertim in Gallia, Germania et aliis regnis, provinciis, terris et dominiis circumstantibus super multiplicatione armatorum diversarum nationum et linguarum, tam in ducatu Burgundiae, quam etiam in comitatu Burgundiae diffusus ; propter quem rumorem universi abbates Ordinis tam remoti quam vicini, paucissimis exceptis, sibi et rebus suis timentes et caventes, minime ad dictum Capitulum accedere ausi fuerunt ; et sic non apparuit numerus competens abbatum, cum quibus dictum generale Capitulum, iudicio nostro, esset celebrandum. Aliud quoque impedimentum et certe urgentissimum est diffusio multorum armatorum praesertim nationis germanicae in circuitu Cistercii, etiam usque ad grangias et portam monasterii, praetendentes stipendiorum praetensorum solutionem debere sibi fieri, certis diebus fuerunt in suburbiis oppidi Divionensis, totis viribus nitentes intrare oppidum ipsum, ut cominus fama dicebat accipiendi manibus propriis bona ad valorem dictorum stipendiorum accedentia. Tandem dicta suburbia relinquentes, ad vicina villagia maximo numero etiam usque ad grangias Cistercii iuxta muros monasterii, et portam ipsius dilataverunt, minitantes accipere non solum boves, arietes seu mutones, et alias praeparationes pro generali Capitulo, ut dicebant, dispositas, ut inde reficiantur, sed etiam, sicut fide dignorum relatu accepimus, minabantur accipere et ad terram propriam captivos ducere quotquot potuerint invenire de nobilibus personis patriae, inter quos nos expresse minabantur, sperantes nos infallibiliter Capituli generalis tempore in Cistercio ad nutum suum invenire. Quorum terrore ad vitandum tantae infelicitatis detrimentum, seu potius tormentum, per quod non solum in persona nostra mortis, verum etiam ipsa domus Cisterciensis perpetuae desolationis periculum reportaret ; amicorum consilio fuimus compulsi valde mane hac die de Cistercio exire, et nos in hac domo Gilley pro nostra et aliorum securitate recipere praesertim cum domus nostrae apud Divionem et Belnam plenae sint armigeris, ita ut in camera nostra propria impossibile esset nos

locum pro persona nostra habere. Illi etiam de Ordine, qui pro rebus monasteriorum et personarum venerunt, nullum hospitium in dictis villis aut villagiis circumstantibus habere possunt.

Igitur propter causas praedictas, cum impossibile sit hoc anno, maxime die assignata et consueta, in dicto monasterio nostro Cistercii generale Capitulum congregare seu celebrare, causas Ordinis tam communes quam particulares, quas, nostra et generalis Capituli ac totius Ordinis auctoritate qua fungimur, determinare non potuerimus, ad proximum generale Capitulum, quod Domino donante, anno proxime venturo, scilicet anno Domini 1499, apud Cistercium more solito celebrabitur, remittimus, expressius protestantes quod, cum impossibile sit mortalibus divinis obsistere seu obviare dispositionibus, continuatio haec generalis Capituli pro futuris temporibus in nullum penitus, tam pro Cistercio quam pro Ordine, cedat praeiudicium, nec erit computanda quaecumque discontinuatio, seu interpollatio aut interruptio in dictis Capitulis generalibus, quinimo generale Capitulum, quod anno 99°, ut praemissum est, Domino annuente celebrabitur, immediate continuabitur generali Capitulo celebrato ibidem anno superiori, videlicet anno 97°, sicut et in aliis religionibus, in quibus generalia Capitula solum de triennio aut quadriennio celebrantur, nullam discontinuationem propter tempus intermedium pati seu sustinere dicuntur. Ad quod quidem generale Capitulum proxime futurum, scilicet 99°, iuxta Ordinis statuta citamus universos et singulos Ordinis abbates, cum protestatione, quod nisi venerint, contra eos prout iuris fuerit et rationis procedetur. Universis commissariis Ordinis sub censuris Ordinis districtius praecipiendo, quatinus cognita huiusmodi citatione, ipsam abbatibus, in suis commissionibus comprehensis, significent et intiment, nosque et dictum generale Capitulum sufficienter per scriptum informent de his quae super his fecerint et egerint, et quos etiam praesentium tenore personaliter ad dictum Capitulum generale sub dictis protestationibus. Insuper declaramus, quod per huiusmodi continuationem Capituli generalis, nihil derogatum iri intendimus in aut super commissionibus tam nostris quam Capituli generalis huius anni 98°, tam abbates quam commendatarii et alii officiarii monasteriorum teneantur easdem contributiones integraliter iuxta dictarum commissionum tenorem pro anno praesenti solvere, proinde ac si generale Capitulum more solito hoc anno esset celebratum, sicut et tenebuntur easdem contributiones integrali-

ter annis sequentibus iuxta dicti Capituli generalis determinationem, et commissionum ipsius tenorem solvere, quoniam ad quinquennium, id est pro quolibet anno quinque annorum se extendunt, et idcirco declaramus censuras et poenas, per dictum generale Capitulum aut commissarios ipsius seu nostros contra non solventes huiusmodi contributiones, latas aut ferendas, sine quacumque diminutione locum et vigorem habere.

Datum in dicta domo nostra de Gilleyo sub appensione sigilli nostri, die 12[a] mensis septembris anno Domini M. CCCC. LXXXX VIII.

... sic signatum, fr. Vincentius.

1499

Anno [a] Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, in generali Capitulo apud Cistercium statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... etc. ut 1497.
2. Praeterea pro serenissimo ... ut 1497.
3. Insuper pro burgensibus... etc. ut 1497.
4. Ceterum pro pace... etc. ut 1497.
5. Demum pro felicis ... etc. ut 1497.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... etc. ut 1497.

7. Minuta diffinitionis fundamentalis Capituli generalis pro solemni congregatione venerabilium patrum Ordinis Cisterciensis Parisiis 20 novembris 1499 celebranda. *(in margina addit.* : Rmo. D. N. Cisterciensi aegrotante).

1499. *Fontes* : *He* : 13 *citatum ex edit. in* CIST. CHRONIK, 1901, *p.* 154 ; *L*[6] : 1-12, 14-78 ; *P*[2] : 1, 7 *cuius titul. tant.*, 11 ; *W* : 43.

[a] *Titulus apud L*[6]. [b] Sub Alexandro 6º, *etc. ut in ann. praeced.* : *P*[2].

Praesens generale Capitulum apud Cistercium more solito in Spiritu Sancto congregatum non sine causa ponderans magna et evidentia pericula pestis et febrium, quasi totam provinciam Burgundiae infestantia, vidensque magnam multitudinem materiarum gravissimarum occurrentium, non nisi cum longo temporis spatio commode tractari posse, multasque dictarum materiarum propter sui gravitatem praesentiam multorum patrum Ordinis, et praesertim Franciae requirentium, licet sint abbates in numero competenti et sufficienti diversarum aliarum nationum ad implendum universa officia Capituli generalis, post profundam et maturam deliberationem, pro pace et quiete Ordinis et praesertim ad terminandum, si fuerit possibile, processus motos et prosecutos per illos de Claravalle facietenus contra et adversus Rmum. D. Cisterciensem et eius monasterium, quamquam realiter sint contra et adversus Ordinem universum et generale Capitulum, utpote de rebus Ordinem ipsum concernentibus, diffinivit et tenore praesentium diffinit et declarat, quod pro finali decisione et determinatione huiusmodi materiarum, vicesima mensis novembris proxime venturi, fiet et celebrabitur solemnis congregatio patrum, maxime Galliae seu Franciae, qui ad hoc vocabantur in venerabili collegio Sancti Bernardi Parisiis ; in qua congregatione, more solito, praesidebit Rmus. D. Cisterciensis, si personaliter adesse potuerit, et in eius absentia praesidebit dominus de Firmitate. Ceteri vero patres, tam de quatuor primis filiabus quam alii, suos ordines, sicut in Cistercio tempore Capituli generalis, servabunt. Cui quidem congregationi generale Capitulum tenore praesentium dat auctoritatem et plenariam potestatem nomine Ordinis determinandi et diffiniendi ea quae sequuntur, videlicet super modo pacificandi dictos processus per omnia media possibilia et honesta, appunctuandique cum dictis de Claravalle de dictis processibus, et super universis quae dicunt sibi per Ordinem seu dominum Cisterciensem, tam occasione arreragiorum seu occasione redditus eorum super contributionibus, et quibuscumque aliis denariis omnibus Ordinis, quam alias debitorum, conformiter ad alias diffinitiones desuper confectas, ut sic pax et requies inter personas Ordinis habeatur. Dat etiam generale Capitulum eidem futurae congregationi potestatem plenius determinandi et disponendi subsidium gratiosum et charitativum per generale Capitulum super Ordinem pro hac vice impositum, faciendique taxas seu astallationes huiusmodi subsidii super quoli-

bet monasterio, facultate cuiuslibet considerata ; committendique et deputandi diversos commissarios in diversis regionibus ad levandum per se aut deputatos suos huiusmodi subsidium, et ad compellendum, per Ordinis et sanctae Ecclesiae censuras, abbates, commendatarios, abbatissas et quoslibet officiarios, tam religiosos quam saeculares, et officiarias, ad solvendum dictas taxas infra tempus per dictam congregationem aut dictos commissarios determinandum, iuxta morem consuetum. Verum quia licet Rmus D. Cisterciensis tempore Capituli generalis apud Cistercium vehementer aegrotaret, ita ut consistorium intrare non potuerit, zelo tamen ad Ordinis utilitatem, continuando ea quae saepius generali Capitulo proposuerat, generali Capitulo exponi fecit, quod necnon toto tempore praeterito valuerit ponere iuxta integrum desiderium suum ordinem satis utilem, clarum et necessarium in accepta contributionum annualium, nec certe ad hoc potuerat inducere seu compellere, multos commissarios in diversis regionibus deputatos ad integraliter colligendum ipsas contributiones, nec ad mittendum eas tempore opportuno cum integris computationibus receptarum et expensarum, ut omnis status Ordinis singulis annis clare elucideretur, sed multa arreragia temporis praeteriti per multos debentur, de quibus patres Ordinis nullam habent notitiam, sicut nec ipse pater Cisterciensis propter causas praedictas habere potuit, nec computationes suas dicti commissarii singulis annis mittere volunt quantumcumque dominus Cictercii eos ad hoc creberrimis scriptis et mandatis stimulaverit. Idcirco instantius rogari fecit generale Capitulum, sicut et saepius iam fecerat, quod deputare vellet tres vel quatuor notabiles patres auditores huiusmodi computorum particularium cum eo, qui singulis annis praevenirent generale Capitulum ad revidendum computationes praecedentes, et ad scribendum fideliter universum statum Ordinis, ut de omnibus relationem faciant ad generale Capitulum, et sic deinceps universus status Ordinis notus erit patribus, cessabuntque per Dei gratiam innumerabiles rumores, qui hucusque regnaverunt in Ordine, occasione dictarum contributionum. Quam quidem remonstrationem generale Capitulum tamquam iustam et rationabilem acceptavit. Idcirco dat potestatem dictae congregationi nominandi, eligendi, ordinandi et instituendi huiusmodi auditores computorum cum clausulis et conditionibus, quas dicta congregatio determinabit, ordinabitque de expensis et potestate eorum. Insuper quia senior

abbas Claraevallis multis et longis scripturis in dictis processibus, quos intitulat contra et adversus Rmum D. Cistercii, proponit multos errores contigisse et commissos fuisse per ipsum D. Cistercii eiusque praedecessores in computationibus status communis Ordinis, quae singulis annis in Capitulo generali redduntur, audiuntur, examinantur, corriguntur, ubi opus est, arrestantur et clauduntur, approbantur et signantur per auditores computorum. Ad quas quidem obiectiones, ut dicitur, dominus Cisterciensis quasi unico contextu respondere dicitur in suis salvationibus, huiusmodi obiectiones esse falsas et contra veritatem.

Et si forsan, sicut in actibus humanis quandoque contingere solet, aliquis error calculi quandoque intervenerit, non plus sibi quam auditoribus huiusmodi computationum imputari debet, qui per diversos annos pro maiori parte semper diversi fuerunt, et de diversis nationibus. Et si curia super his pro ampliori verificatione rerum istarum, ad faciendum enquestam appunctuamentum firmaverit, necesse erit, Ordinem graves expensas supportare ; oportet enim expensas istas fieri et supportari aut de substantia monasterii Claraevallis, quod est membrum honorabile Ordinis, aut monasterii Cistercii, quod est caput et origo totius Ordinis, aut ex omni substantia seu aerario Ordinis, quod omnino nihil est praeter communes contributiones annuas, quae ut manifestum est communiter sufficere non possunt ad communia Ordinis onera. Cistercienses autem constanter asserunt, et de his multae diffinitiones Capituli generalis concordant, quod res istae non sint Cistercii particulares, sed sint communes res totius Ordinis quia, ut dicunt, domus Cistercii et dominus eiusdem loci nihil unquam debuerunt ant debent illis de Claravalle. Et sic quomodocumque processus isti terminentur, semper erit magna desolatio, damnum et ruina totius Ordinis in generali et in particulari, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Quamobrem generale Capitulum determinavit, quod sub beneplacito curiae Parlamenti, ad servandum iustitiam inter partes, deputarentur aliqui notabiles patres Ordinis assueti in rebus et computationibus Ordinis, qui sine strepitu iudicii et superfluis et magnificis expensis dictas computationes revidebunt, examinabunt et calculabunt, auditisque partibus summarie et de plano vera approbabunt, errata autem, si quae sint, fraterna aequitate et aequa charitate emendabunt. Idcirco dictum generale Capitulum dat auctoritatem dictae congregationi nominandi et deputandi ex patribus Ordinis

aliquos notabiles abbates, qui res praemissas faciant etiam in praesentia aliquorum, si opus fuerit, per ipsas partes nominandorum. Si illi de Claravalle aliquos in speciali nominare voluerint, humiliusque supplicando magnificis dominis dicti Parlamenti, ut sicut in praecedentibus processibus laudabiliter egerunt, remittendo decisiones querelarum ad Ordinem. Ita et nunc idem vel amplius pro Dei honore et dicti Ordinis pacificatione, et ad vitandum praemissas expensas insupportabiles facere velint, reddendo seu reddi faciendo in manibus huiusmodi deputatorum Ordinis super hoc librum seu volumen dictarum computationum. Nam quia dictus senior abbas magnum numerum dictarum computationum diversis annis approbavit, et manu propria clausuram et restas scripsit et signavit, necesse videtur, quod hi qui cognoscunt scripturam suam, eam videant. Determinabitque dicta congregatio locum, tempus et expensas, quibus dicti commissarii in praemissis laborabunt, si suprema curia benivolum auditum praebere dignabitur ; et interim arrestum anno superiori datum in hac materia fideliter per illos de Ordine executioni debitur, prout fuerit possibile. Praeterea ad dicti generalis Capituli notitiam deductum est, quod nonnulli benivoli ad Ordinem consolationes valde honestas et Ordini summe utiles pro perpetua commoditate, pace et quiete Ordinis facere et offerre intendunt. Generale Capitulum dat potestatem, auctoritatem et facultatem dictae congregationi acceptandi et recipiendi nomine totius Ordinis omnes et singulas oblationes, quae fiant per quoscumque ad Ordinis utilitatem ; et generaliter idem Capitulum dat et concedit praefatae congregationi auctoritatem et potestatem determidandi, decidendi et diffiniendi, tam in forma iustitiae quam in computationibus et summis pecuniarum et in aliis quibuslibet, secundum rationis aequitatem et statutorum Ordinis formam et tenorem, omnes et singulas materias Ordinis tam communes quam particulares, praemissa concernentes sub sigillo Diffinitorum et signatura alterius notariorum abbatum, quae in dicto generali Capitulo apud Cistercium propter causas praedictas terminari non potuerunt. Districtius sub censuris Ordinis praecipiendo universis et singulis abbatibus, commendatariis, abbatissis, prioribus, cellerariis, bursariis ac reliquis personis Ordinis utriusque sexus, cuiuscumque status aut conditionis existant, quatinus ordinatis praeceptis, determinatis et sententiatis et conclusis per dictam

congregationem humiliter tamquam generali Capitulo pareant et devote obediant.

8. Cum in sessione generalis Capituli anno Domini 1437 celebrati, statutum, diffinitumque fuerit quod in nullo Ordinis monasterio, dum celebranda veniret electio ad novi abbatis substitutionem, nulli, sub excommunicationis latae sententiae et inhabilitatis poenis, liceret personam quae de Ordine nostro non esset eligere seu postulare. Nihilominus tamen quidam suae salutis immemores statuta et ordinationes Capituli generalis parvipendentes et contemnentes, dictae diffinitioni et ordinationi contravenire, proh dolor! non formidant, saeculares et alterius vocationis, quam nostri Cisterciensis Ordinis, viros sibi praeesse procurantes, sanctorum patrum, qui nostrum Ordinem creaverunt, fundaverunt et statutis ordinaverunt, obliti. Ut autem tantus abusus tollatur de medio, et Ordo noster patrum sequendo vestigia suis sub regulis ordinetur et vivat, praesens generale Capitulum antedictum statutum renovando confirmat et approbat praecipiendo universis nostri Ordinis regularibus personis sub eisdem poenis, videlicet excommunicationis latae sententiae et inhabilitatis ad quaecumque officia, dignitates et administrationes Ordinis, et privationis iuris eligendi tam active quam passive pro illa vice, ne de cetero tales postulationes facere praesumant simul etiam per praesentes omnes huiusmodi electiones seu postulationes facere praesumant, simul etiam per praesentes omnes huiusmodi electiones seu postulationes, si quae factae fuerint, cassas et nullas declarando. Mandando sub poenis similibus patribus abbatibus, aut electionibus in Ordine faciendis praesidentibus universis, quatinus electiones seu postulationes huiusmodi minime admittant, vel recipiant, quinimo sic eligentes seu postulantes poenas praedictas ipso facto incurrisse pronuntient et declarant, in plenaria sua et totius Ordinis potestate.

9. Graviter ferens praesens generale Capitulum negligentias et contemptus multorum Ordinis abbatum, qui licet citati et vocati ad ipsum Capitulum, quamquam vocari minime debeant, sed libere et sedule omnibus postpositis omnes venire teneantur, venire non curent, nec excusationes legitimas mittere, renovat in forma diffinitionem annis elapsis editam, qua iuxta Ordinis instituta et apostolica privilegia praecipitur, quod omnes et singuli abbates de via Capituli remanentes non legitime excusati, duplices pecunias solvant pro taxa contributionum suis monasteriis

impositarum, quodque domini commissarii in singulis suis limitibus a singulis abbatibus, qui praesenti Capitulo non interfuerunt, nec pro se legitime excusandis miserunt, dictas summas pecuniarum levent et computum faciant, in plenaria Ordinis potestate.

10. Quia propter multiplicitatem, varietatem et difficultatem diversorum negotiorum ad praesens generale Capitulum deportatorum, quae matura deliberatione ac maiori spatio temporis indigent, idem Capitulum generale ipsa et alia quae in hoc praesenti Capitulo terminari non potuerint, remittit reverendis dominis de Firmitate, de Morimundo, et dominorum de Pontigniaco et de Claravalle locum tenentibus, his quoque quos secum censuerint vocandos terminanda, in plenaria Ordinis potestate.

11. Attentis multis et variis impedimentis et occupationibus singulis annis Rmi D. N. Cistercii et dominis Diffinitoribus eiusdem generalis Capituli emergentibus, ipsum praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit quod singulis annis in ipso Capitulo generali cum aliis dominis officialibus dicti Capituli nominabuntur quatuor auditores computationum Ordinis, tam de receptis quam de expensis.

12. Generale Capitulum propter certas et rationabiles causas constituit et ordinat suos procuratores, etc, tam in ecclesiasticis curiis, quam laicis, etc...

13. Generale Capitulum Cisterciensis Ordinis. Notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die 14 mensis septembris anno Domini 1499 apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis. Considerans non sine magna animi consternatione generale Capitulum agendorum Ordinis multiplicem varietatem, non modo in provincia aut regione una, sed longe lateque per orbis universi latitudinem, per quam dictus Ordo extenditur, ubi, proh dolor ! tot vel plures videntur privilegiorum, exemptionum, libertatumque Ordinis expugnatores, quot prius retroactis temporibus visi fuerunt promotores, augmentatores et dictarum libertatum defensores, quibus adversis, nisi diligenter occurratur, nos nostraque, tam spiritualia quam temporalia in tuto minime posse morari videmus. Formidat insuper non immerito dictum generale Capitulum ne Sanctissimi domini nostri Papae sacrum pectus, in quo christianae religionis thesauri conduntur, adversus Ordinis personas moveatur, tum maxime, tamquam in desides et suae Sanctitatis contemptores, quippe quia necdum a sua sublimatione ex parte Ordinis reve-

rentiae et honoris debitum cum filiali obedientia ac generosa et solita offerii propina, suae Sanctitati fuit impensum, quemadmodum alii gradus ecclesiastici fecisse dicuntur. A cuius quidem omissionis seu dilationis huiusmodi non incuria Ordinis, sed potius bellorum seu discordiarum, tam civilium quam intestinarum, ac aerarii publici exaninitio, aut potius evacuatio seu extinctio causa fuerit ; verum dilatio ulterior amplius excusatione mereri non videtur, praesertim etiam cum, ut omnibus patribus in generali Capitulo existentibus visum fuit, apud Sanctam Sedem apostolicam pro confirmatione privilegiorum Ordinis, tam antiquorum quam novorum insistendum esse, ne quasi in nihil redigantur ; maxime autem et quasi ante et super omnia invigilandum est, ad impetrandam gratiam indulgentiarum instantis iubilaei, pro universis et singulis personis Ordinis utriusque sexus, necnon conversis, donatis, oblatis, familiaribus ac continuis commensalibus, ne personae Ordinis et praecipue regulares, Omnipotenti Deo incessanter die noctuque in claustris deservientes, aut tanto bono priventur, aut per saeculum limina apostolorum petendo vagari cogantur. Quare haec cura ceteris omnibus est praeferenda. Praeterea generale Capitulum sollicitiori vigilantia cogitat et pertractat, quid sit agendum cum Rmo D. protectore et procuratore Ordinis in curia, quibus propter defectum debitae et solitae solutionis stipendiorum actis annis Ordo visus est carere in curia. Ex quo universi benevoli Ordinis filii cognovisse potuerunt, multa in rebus Ordinis aliter accidisse quam oportuisset. Timendum est vehementer, ne peius accidat, si non in brevi de remedio provideatur opportuno. Nemo enim propriis militare tenetur stipendiis, quinimo dignus est operarius mercede sua. Sunt praeterea multa alia magna et gravia debita, ad quae Ordo ipse multis tenetur et obligatur, ut sunt ea quae Claraevallis monasterium ab Ordine seu Capitulo generali repetit, aliaque non pauca nonnullis patribus Ordinis debita, qui dudum Ordinis necessitatibus succurrendo suorum monasteriorum pecunias liberaliter Ordini concesserunt, ad liberandum Ordinem ipsum ab usurarum voragine. Quae quidem debita, nisi citius persolvantur, praesertim monasterio Claraevallis, maximum Ordo incurrere poterit detrimentum. Cum igitur tam variae et graves penuriae seu necessitudines sacrum nostrum premant Ordinem, nec in promptu pateat solutionis seu opportunae provisionis modus ad satisfaciendum necessitatibus praemissis, et indeterius ..

constitit generali Capitulo quod quidem ex consuetis annuis contributionibus hac tempestate colligi potest, neque rebus praemissis nec expensis communibus et necessariis ac inevitabilibus, ut sunt Capitula generalia, solutio seu prosecutio. Quis insuper processui Ordinis contra diversos Ecclesiae praelatos ac principes laycos, qui libertates nostras et privilegia Ordinis demoliri et in ea invehere meditantur, et cetera, sine quibus Ordo in sua antiqua ac laudabili exemptione et libertate diu permanere non posset, nisi praemissis diligenti vigilantia per vias iuris vel aliis in dies occurretur, satisfacere potest ?

Praesens generale Capitulum his et aliis multis causis rationabilibus consideratis, ad Sanctissimam Sedem apostolicam suos oratores legatos et nuntios, quam primum commode fieri poterit, transmittere decrevit ad debitam Sanctissimo domino nostro Papae ac suae Sanctissimae Sedi reverentiam exhibendam, amicorumque ac benevolorum Ordinis in romana Curia consistentium condignam recognitionem faciendam, tam pro dicta confirmatione privilegiorum Ordinis et impetratione instantis iubilaei obtinenda et impetranda proque feliciori directione negotiorum Ordinis in eadem Curia ac debitis Ordinis solvendis. Verum quia dictis oratoribus et nuntiis de expensis necessariis iuxta qualitates eorum provideri nec impetrationes praetactae ac solutiones debitorum promissorum sine maxima pecuniarum summa fieri posse videntur, idcirco post maturam, profundam et solertem deliberationem, ac unanimi omnium dominorum Diffinit orum consensu perceptis *(sic)*, praesens generale Capitulum subsidium caritativum novem millium librarum turonensium in moneta bona in regno Franciae cursum habente, aut in auro iusti et legalis ponderis, eisdem novem millibus librarum aequivalentibus, super omnibus et singulis utriusque sexus monasteriis ac locis regularibus, in quibuscumque mundi partibus situatis et existentibus, absque praeiudicio contributionum ordinariarum, imposuit ac tenore praesentium imponit, infra nativitatis beati Ioannis Baptistae festum proxime venturum, vel alium magis brevem terminum ab arbitrium commissariorum Ordinis in diversis regnis deputatorum limitandum, arbitrandum, et prout super dictum integraliter solvendum et Rmo D. N. Cisterciensi in suo sacro Cistercii monasterio summas per dictos collectores a monasteriis subscriptis respective receptas et levatas, infra proximum nostrum generale Capitulum cum bonis et bene specificatis et sufficientibus

computationibus receptionis earum reddendas, deliberandas, et realiter solvendas, et nihilominus tam apostolica quam totius Ordinis et Capituli generalis auctoritate universis et singulis abbatibus Ordinis, abbatissis, commandatariis, prioribus, priorissis, cellerariis, bursariis ac aliis quibuscumque monasteriorum aut locorum regularium Ordinis regimini praesidentibus, gubernatoribus, receptoribus, procuratoribus, syndicis, yconomis, negotiorum gestoribus ac officiariis universis, quacumque nomine censeantur, aut cuiuscumque auctoritate et nomine praesideant in eisdem, in virtute salutaris obedientiae ac sub excommunicationis, necnon suspensionis et eorum privationis a suis dignitatibus et officiis latae sententiae poenis ac censuris in litteris apostolicis Ordini nostro concessis, statutisque et diffinitionibus Ordinis expressis et contentis, mandans et praecipiens ipsum generale Capitulum, quatinus praemissa mente devota recogitando, seque bonos ac veros Ordinis filios et fideles amatores, ut tenentur, ostendendo et exhibendo, summas seu taxas aut quottas dicti subsidii eisdem monasteriis, ut infra describuntur, respective impositas ac imponendas prompte et hilariter, infra dictum nativitatis beati Ioannis Baptistae festum proxime venturum, commissariis Ordinis ad hoc in diversis mundi partibus per ipsus generale Capitulum deputatis, aut eorum substituendis collectoribus et nuntiis, sive religiosis sive saecularibus praesentium exhibitoribus, realiter, integraliter et in promptu, in bona et sufficienti moneta inferius descripta, una cum expensis rationabilibus, si secunda aut ulteriori vice ad ipsum monasterium redire contigerit, solvant, tradant et satisfaciant, seu solvi, tradi et satisfieri procurent, non obstantibus oppositionibus et appellationibus quibuscumque. Quocirca praesens generale Capitulum de discretione, prudentia fidelitate moderni abbatis de Sancta Cruce ad plenum confidens sibi, tenore praesentium, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis infrascriptis, nisi Ordinis, iam verius apostolicae Sedis paruerit mandatis, mandat et praecipit, quatinus omnibus et singulis excusationibus cessantibus et postpositis, sive per subexecutores seu receptores aut collectores, seu nuntios speciales, sive religiosos sive saeculares, per eum deputandos, infra quindecim dies receptionem praesentis diffinitionis immediate sequentes omnem possibilem et indissimultam adhibeat diligentiam exsequendi et ad effectum deducendi praesentem diffinitionem, seu deduci faciendi, et si personaliter vacare et ad

monasteria subscripta ire non potuerit, hoc ipsum per praedictos suos subdelegatos vel deputatos seu collectores aut nuntios diligenter exsequi faciat, dando eis et cuilibet eorum nomine totius Ordinis, auctoritatem, facultatem et potestatem petendi, exigendi, requirendi, levandi et percipiendi omnes et singulas huius subsidii summas et quottas, monasteriis infrascriptis, ut infra patebit, taxatas et impositas, de receptis quoque bonas et validas quittantias sub sigillo ipsius aut signo manuali dictorum subdelegatorum seu collectorum praedictorum faciendi, dandi et expediendi, quas ipsum generale Capitulum examinans ratas et proratas habet et habebit in futurum. Contradictores vero et rebelles, seu solvere renuentes aut differentes, tam abbates, abbatissas, commandatarios, priores, priorissas, cellerarios, bursarios, rectores, receptores, procuratores, admodiatores, seu aviditatores et quoslibet praedictorum monasteriorum utriusque sexus officiarios, tam religiosos quam saeculares, ut taxas et quotas dicti subsidii eisdem monasteriis subscriptis taxatas et impositas, cum rationabilibus expensis, ut praemissum est, infra tempus et in loco per ipsum commissarium seu eius subdelegatos collectores et nuntios praefigendum et declarandum, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, necnon aggravationis, reaggravationis ac etiam privationis suis dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis, necnon inhabilitatis ad quaecumque beneficia, officia ecclesiastica habenda et obtinenda, ac sub aliis censuris, sententiis et poenis, latius in privilegiis apostolicis novis et veteribus, ac in statutis et diffinitionibus Ordinis contentis et declaratis, apostolica et Ordinis auctoritatibus praefatis palam et publice notis, et si opus sit, per affixionem et dimissionem copiae ad valvas monasteriorum ipsorum, seu parochialium ecclesiarum vicinarum seu alias, prout melius eidem commissario aut deputatis collectoribus praedictis visum fuerit expedire, realiter et cum effectu sibi solvi moneat et requirat, primo, secundo, et tertio ac quarto ex abundantiali pro monitione canonica, et si, quod absit, animo indurato perstiterint, solvere renuerint, ipsos abbates, abbatissas, commendatarios, officiarios praedictos, sic ut praemittitur, solvere renuentes seu impedientes solutionem taxarum praedictarum, eorum talem praemissis auctoritatibus excommunicet, aggravet et multipliciter reaggravet.

Praeterea praesens generale Capitulum pro pace filiorum Ordinis edicto firmissimo declarat, ut dictum subsidium in regno Fran-

ciae seu Gallia cisalpina ad libram turonensem, in Italia vero et provinciis transalpinis et Ungaria ad ducatos, in tota Germania regnisque et dominiis adiacentibus ad florenos renenses, in Anglia vero, Hibernia et regno Scotiae ad nobilia ad Rosam, in Hispania autem, Arragonia, Portugallia, Castella, Navarra, Austuriis et dominiis adiacentibus ad florenos aragonenses solvatur, et in eisdem monetis computetur et solvatur per dicta monasteria et per commissarios receptores ipsius subsidii Rmo D. N. Cistercii, et aliis receptoriubus generalibus, per ipsum Capitulum deputatis in dictis monetis respective apportetur seu solvetur. Si autem dictus commissarius invenerit, aliqua alia monasteria sive religiosorum sive monialium, monasteriis suae commissionis circumvicina, fuisse omissa non taxata, nec in praesenti commissione inserta, ipsa monasteria taxet, astallet et imponat, secundum ipsorum facultates, habito respectu ad aliorum similium monasteriorum vicinorum astallationes, fideli computu et nomine generali Capitulo redditurus. Eos vero, qui ob non solutionem huiusmodi summarum sibi impositarum infra tempus, ut praemittitur, eis praefigendum, huiusmodi censuras forsan incurrerint, quotiescumque ipsas cum rationabilibus expensis, ut praemittitur, persolverint, plenarie ab huiusmodi censuris, si id humiliter petierint, et requisierint, absolvendi. Invocato ad praemissa, si opus fuerit, quorumcumque dominorum potentium iudicum ecclesiasticorum et saecularium auxilio, consilio et favore.

Sequuntur nomina monasteriorum virorum in Austria, Styria, Carinthia, et usque ad Ungarias existentia *(sic)* et eorum taxae. De Hilaria decem et octo florenos renenses ; de Cella angelorum decem florenos renenses ; de Pauentemperg decem et octo flor. ren. ; de Valle Dei duodecim flor. ren. ; de Zwettzella viginti flor. ren. ; de Sancta Cruce viginti flor. ren. ; de Sancta Trinitate in Nova Civitate Austriae decem flor. ren. ; de Novomonte duodecim flor. ren. ; de Runa viginti quinque flor. ren. ; de Victoria viginti flor. ren. ; de Campoliliorum viginti flor. ren. ; de Sitich decem flor. ren. ; de Lansdrach octo flor. ren. ; de Altovando duodecim flor. ren. ; de Altofonte sex flor. ren. ; Moniales eiusdem commissionis: Sancti Spiritus citra civitatem Ipsam sex flor. ren. ; de Felici valle viginti flor. ren. ; de Impulhone vel Pulhone decem flor. ; de Friesache sex flor. ren. ; de Schleybarch octo flor. ren. ; de Sancto Nicolao Viennae octo flor. ren. ; de Schonfeld inferiori

decem flor. ren. ; de Schonfeld superiori octo flor. ren. ; de Sancto Bernardo in Pethereythe duodecim flor. ren.

Datum in diffinitorio nostro Cisterciensi sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis sub anno, die et mense praedictis.

Eugenius m. p. abbas de Cheminone.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

14. Domino Wangrovensi, alias de Lucna, domino de Landa et domino de Obra concedit generale Capitulum ut pro praesenti anno excusentur a missione scolarium ita tamen quod hoc praesenti anno integre et fideliter solvant contributiones et subsidia per Ordinem imposita ad subveniendum Ordinis necessitatibus ; concedit insuper ut pro secundo anno non possint cogi nisi ad unum scolarem manutenendum insimul, conditione tamen adiuncta quod contributiones et subsidia semper et indilate solvent.

15. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis fratri Richardo Papin, religioso monasterii B. M. Fulcardimonte, Domino vivere et commori. Quia sicut supplicatio tua nobis oblata continebat dictum monasterium de Fulcardimonte ratione dignitatis abbatialis, quae a diversis exercetur, a multis annis litigiis subiacet, in moribus et temporalibus bonis multipliciter damnificatum, nec securam ibidem habere potest residentiam, obstantibus quibusdam contra te ortis susurrationibus, rationis commissionis tibi datae per domini nostri regis supremam Parisiensis Parlamenti curiam, sicut etiam fama vicinorum, et huiusmodi causam cognoscentium referenda didicit. Hinc est quod quieti tuae, saluti et securitati consulere et providere cupiens, tibi auctoritate Ordinis et dicti generalis Capituli, licentiam dominum de Valcellis vel alium Ordinis nostri abbatem tibi benivolum adeundi, et apud eum manendi sub obedientia regulari, ut nostri Ordinis hospitum mos est, concedit, praesentibus per immediatum sequens triennium dumtaxat robur habituris, quo spatio speratur res dicti monasterii in melius converti posse, quo facto ad tuae professionis locum tua ibidem vota Domino redditurus properatis.

16. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis statuit, ordinat et diffinit, quatinus vicesima novembris praesentis anni, omnes domini commissarii regni Franciae compareant in civitate Parisiensi cum Rmo D. N. Cisterciensi, et quatuor primis aut eorum

deputatis. Qui Rmus D. N., et unusquisque eorum cum eis quos secum duxerint vocandos, poterunt, de subsidio hoc anno imposito pro Ordinis necessitatibus, et etiam aliis eiusdem Ordinis negotiis, disponere quod ut melius iudicaverint. Et potuerunt audire computationes Ordinis, tam novas quam veteres, et si possibile fuerit, terminabunt controversias et lites ab abbate Claraevallis contra ipsum Rmum D. N. suscitatas, in plenaria Ordinis potestate.

17. Quamquam ea quae circa officium bedelli seu portarii collegii nostri Sancti Bernardi Parisiensis in promotione de persona venerabilis et discreti viri Ioannis Le Grant, in artibus magistri, facta fuere, ulteriori confirmatione seu ratificatione non indigeant, ut puta, quia dicti officii dispositio totalis ad omnimodam Rmi D. N. Cisterciensis spectare dignoscitur; nihilominus tamen pro maioris cautelae suffragio praesens generale Capitulum tamquam sufficienter et bene informatum de virtutibus et diligentia ipsius magistri Ioannis Le Grant, bedelli praedictam provisionem, institutionem et collationem de praedicto officio, ut in litteris collationis et institutionis quibus haec praesens diffinitio annectitur, latius continetur, cum omnibus et singulis clausulis, gratiis, privilegiis, libertatibus, fructibus, emolumentis et praerogativis in eisdem litteris contentis, tam dicto magistro Ioanni Le Grant, quam etiam magistro Ioanni Marsot in dictis litteris nominato, ratificavit, confirmavit et approbavit, ratificatque, confirmat et approbat, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

18. Praesens generale Capitulum dat et concedit fratri Ioanni Berengarii, abbati monasterii B. M. Leoncelli, Valentinensis dioecesis, nostri Cisterciensis Ordinis, licentiam resignando dignitatem abbatialem dicti monasterii de Leoncello, secundum formam et tenorem statutorum et privilegiorum Ordinis nostri Cisterciensis.

19. Committit idem generale Capitulum dominos abbates de Sancto Andrea et de Ponte Danielis commissiarios in spiritualibus tantum super regimine et directione monachorum in monasterio de Savigniaco deservientium, usque ad finem litis, inhibendo priori et omnibus dicti monasterii regularibus personis, sub poenis et censuris Ordinis, ne se quovismodo de negotio dicti monasterii de Savigniaco absque dictorum commissariorum voluntate, tam intus quam extra, intromittant.

20. Generale Capitulum graviter ferens quamplures monachos

in diversis monasteriis Ordinis adversus proprios abbates stimulo calcitrare molientes, irreverentes et molestos esse; huic pesti pro viribus obviare cupiens statuit, ordinat et diffinit quod frater... *(locus vacuus)* monachus de Altacomba vadat ad studium Tolosanum usque ad triennium, aut ad monasterium de Bardonis in comitatu de Starach; alias ubique denuntiatur tamquam contumax et excommunicatus, necnon fugitivorum poenae subiaceat.

21. Attentis abusibus fratrum Ioannis Mallete et Archangeli Madrignani, nostri Cisterciensis Ordinis monachorum, commissariorum Rmi D. N. Cisterciensis, in partibus Italicis, ut dicebant, praesens generale Capitulum omnes commissiones et procurationes dictorum fratrum, si quas habeant, cassat, annullat et revocat, in plenaria Ordinis potestate.

22. Quia plerumque olerum plantae eradicatae crescunt transpositae, praesens generale Capitulum saluti animarum consulere volens, statuit, ordinat et diffinit, quatinus frater Ioannes d'Abeville, monasterii de Gardo professus, de quo cum alio quodam fratre dicto Iuliano querimoniam fecerunt abbas de Gardo et abbas monasterii de Caroloco, eiusdem monasterii de Gardo pater abbas, vadet ad monasterium de Boquiano in Britannia, et alter dictus frater Iulianus ad monasterium de Sancto Albino in eadem povincia, quae ambo monasteria monachis indigent.

23. Auditis per dominos Diffinitores domino abbate de Sancto Andrea et fratre Michaele Hanart, religioso eiusdem monasterii, super quibusdam controversiis inter eos habitis ratione promotionis dicti abbatis, praesens generale Capitulum statuit, ordinat et diffinit, quatinus dictus frater Michael recipiatur in dicto monasterio de Sancto Andrea, aut si non vult eum dictus abbas recipere, provideat sibi de alio benivolo receptore, cum debitis provisionibus iuxta ordinationem statutorum, in plenaria Ordinis potestate.

24. Fratri Iacobo Colard praecipit praesens generale Capitulum ne vagando animam suam perdat, quodinfra trimestre alicui abbati Ordinis nostri Cisterciensis professionem faciat, absque tamen praeiudicio obligationis qua dicit se obnoxium abbati de Villalonga nostri Cisterciensis Ordinis, in Castrensi dioecesi, alias sententiae excommunicationis et fugitivorum poenae subiaceat.

25. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis nolens nec intendens, nec unquam intentionis existens Rmum N. D. Cistercii, eiusque domum seu monasterium teneri, obligari aut quovismodo

inquietari pro debitis et facto Ordinis, fecit et promulgavit super hoc superioribus annis certas diffinitiones, praecipue anno Domini 1496 unam, quae incpit : Licet in computationibus, etc. Et anno tunc sequenti 97 aliam quae incipit : Generale Capitulum desiderans, etc. Quas diffinitiones et alias similes tamquam veras et rationi consonas praesens generale Capitulum laudans, approbans et ratificans, diffinit iterato, ac de novo declarat, si et in quantum opus est, eumdem Rmum D. et eius Cistercii domum minime teneri, obligari, neque debere in aliquo molestari in particulari pro debitis communibus Ordinis, potissime pro redditu et arreragiis aliisque pecuniarum summis, debitis aut debendis per Ordinem nostrum monasteriis de Firmitate et de Claravalle, vel aliis quibuslibet. Quamquam ipse Rmus D. aliquas pecuniarum communium Ordinis summas, tamquam generalis custos et administrator earumdem, receperit et administraverit seu expenderit, recipiatque et expendat pro communibus eiusdem Ordinis negotiis ; quamvisque in computationibus suis vel Ordinis ex urbanitate et amore paterno, quos habet ad Ordinem dictas summas et debita in expensas posuerit aut computaverit, ac si iam receptae pecuniae et per manus suas persolutae forent. Licetque adhuc nedum solutae neque datae fuerint pecuniae pro huiusmodi debitorum solutione, imo nec pagamento, aut in diminutionem amplioris et multo maioris summae a longo tempore sibi et suae domui per eumdem Ordinem debitae ex antiquo et novo debitis, ex veris et iustissimis causis Ordinis Rmo domino suaeque domui quam aliis pluribus negotiis et necessitatibus quotidie emergentibus, quibus nullus melius eo providere aut in promptu obviare valeret, quae omnia in eius et domus Cistercii detrimentum nequaquam cedere debent, cum non debeat quis pro bono opere dilapidari, nec inde damnum pati unde commodum reportare deberet. Quas ob res generale Capitulum praedictum Rmum D. Cisterciensem eiusque domum omnino indemnes et innoxios vult esse et remanere, prout semper voluit et intentionis fuit, ne in aliquod vitium ingratitudinis aut iniustitiae incidere censeatur quovis pacto.

26. Capitulum generale Ordinis Cisterciensis negotia omnia et particularia semper voluit et censuit cum certitudine iustitiae et aequitate geri, ut unicuique ius suum servetur, et nihil erroneum aut erroris nota suspectum, quod ipsum Ordinem tangat, relinquatur. Hinc est quod post notificationem eidem generali Capitulo ex parte Rmi D. Cisterciensis eiusque conventus hodie coram

Diffinitionibus in diffinitorio ad Ordinis negotia tractanda more solito congregatis factam ; quod cum a quibusdam personis Ordinis praesertim ab illis de Claravalle, tum in discursu processus per eosdem inito et adhuc pendente indeciso in curia Parlamenti Parisiis, super redditu et arreragiis, quem et quae praetendunt sibi deberi super contributionibus Ordinis, quam extra ipsum processum saepe et frequenter dictum, scriptum et exclamatum extitit, quod computa seu computationes pecuniarum communium Ordinis, necnon rationes factae et redditae maxime per Rmum D. a tempore quo fuit abbas Cistercii, sunt evidenter et in multis passibus erroneae, quodque in eis error evidens calculi intervenit in praeiudicium totius Ordinis, quamquam fuerit inadvertenter a Diffinitoribus, qui pro tempore fuerint aut eorum deputatis, ad audiendum, claudendum et arrestandum praedictas computationes seu stationes arrestatae, clausae, terminatae et signatae, necnon ab eodem generali Capitulo laudatae, confirmatae et approbatae. Qui quidem Rmus et eius conventus, ut adversus eosdem omnis cesset sinistra suspicio fraudis et deceptionis, et ut veritas in lucem absque erroris aut ambiguitatis obnubilatione appareat, ut quoque talibus exceptionibus et rumoribus variis, detractionemque famae sapientibus obvietur, et si error appareat corrigatur, obtulerunt et instanter petierunt ut praedictae computationes iterum ab ipso generali Capitulo, aut ab eo deputatis videantur et audiantur, omniaque ad rem spectantia tam in recepta quam in expensa, recte cum omni iustitia et aequitate advertantur et calculentur, ut nihil remaneat, quod in futurum erroris aut iniquitatis vitio notari valeat. Ut igitur Ordini et domui Cisterci ius suum tribuatur, et in nihilo laedantur aut damnificentur, idem generale Capitulum praedictis ceterisque ad rem spectantibus diligenter attentis, statuit, diffinit et ordinat, quod praedictae computationes et rationes iterum videantur et audiantur, et omnia quae calculanda, computanda et deducenda venerint, prout iuris et rationis erit et aequitatis calculentur, computentur et deducantur. Quodque ipsae computationes sic prout expediti auditae claudantur, arrestentur et signentur per quatuor abbates Ordinis, in congregatione patrum ipsius apud Parisios vicesima mensis novembris proxime venturi, ordinatione Capituli congregandorum nominandos, quos super his agendis et perficiendis idem generale Capitulum deputat, committit et ordinat, Rmo D. N. Cistercii, iuxta morem, tamquam supremo patre Ordinis,

in omnibus ut sibi bonum videbitur, praesidente. Dans eisdem tunc nominandis abbatibus super his et dependentibus plenam potestatem et auctoritatem ut Parisiis, vel alio loco non suspecto, praedictae partes in dicto processu contendentes coram se vocare possint, et eosdem cogere super praedictis aut inde dependentibus coram ipsis procedere. Quod quidem Capitulum generale ex nunc prout ex tunc laudat, ratificat et approbat clausuras et arresta ipsarum computationum, quae fient et signabuntur per eosdem deputandos, eamdemque approbationem et tantam auctoritatem praestat et impartitur eisdem computationibus sicut praemittitur, auditis, calculatis et signatis, ac si ab eodem Capitulo generali eiusque Diffinitoribus noviter fierent et perficerentur.

27. Cupiens praesens generale Capitulum collegium Ordinis, quod nuper in civitate Avinionensi per venerabilem patrem dominum abbatem de Sinanqua, eiusdem Ordinis, fondatum et institutum est, ut cetera Ordinis studia regulariter gubernari et manuteneri possit, tam in parietibus quam in vivis lapidibus, quam in salubribus Ordinis praeceptis et statutis, per abbatem et fundatorem antedictum confecta, quorum praesens duplum in archivis Cistercii remanet, ratificat, approbat et confirmat, eaque ab eisdem collegii scolaribus et regularibus personis, aut quibuslibet aliis ibidem habitantibus secundum sui tenorem perpetuis temporibus inviolabiliter observari praecipit et mandat, auctoritate Rmi D. N. Abbatis Cistercii et Capituli generalis super omnibus in eis contentis semper servata.

COMMISSIONES

28. Abbatibus de Sancto Sulpitio, de Stamedio, de Cassania, necnon universis abbatibus, prioribus, cellerariis, procuratoribus in provincia Sabaudiae, in dioecesibus Lugdunensi, Gebennensi, Bellicensi, praesens generale Capitulum mandat et praecipit sub poenis et censuris Ordinis, quatinus et quibusvis mediis possint, laborent per se et per suos capere fratrem Anthonium Luysteti, monachum Altaecumbae, Gebennensis dioecesis, et eum carceribus arctis et strictis mancipent et detineant ; quod si non possint, eum auctoritate Capituli generalis excommunicatum ubique denuntient, quousque se obedientem abbati suo reddiderit.

29. Commissionem anno transacto concessam reverendis in Christo patribus dominis abbatibus de Firmitate, de Claravalle,

de Caroliloco et de Bonoportu, et unicuique eorum in solidum, ad se informandum de vita et moribus fratris Anthonii Blesy, religiosi de Belloprato, generale Capitulum revocat in forma.

30. Generale Capitulum graviter ferens discursus et recursus varios fratris Wendelini, monachi de Uterinavalle, per Rmum D. N. Cisterciensem remissi ad dictum monasterium de Uterinavalle, praecipiens abbati et conventui supradicti monasterii sub poenis et censuris Ordinis, quatinus fratrem reciperent et eidem providerent, quod facere renuerunt. Ob quam causam mandat et praecipit abbati de Villerio Metensi, quatinus se super praedictis informet diligenter et nihilominus compellat dictos abbatem et conventum de Uterinavalle, ut ipsum fratrem Wendelinum recipiant et sibi provideant, secundum Ordinis formam, in plenaria Ordinis potestate.

31. Abbatibus de Balerna, de Caroloco, de Bellavalle, de Roseriis, et duobus eorum, praesens Capitulum generale committit, quatinus se diligenter informent super quibusdam tractatibus contentis in quibusdam litteris, quas generali Capitulo abbas de Aceyo videndas tradidit ; quos si rationabiles et dicto monasterio de Aceyo utiles invenerint, dicti Capituli generalis auctoritate confirment, sin autem infirment, in plenaria Ordinis potestate.

32. Commissio domini de Bonavalle, Pictaviensis dioecesis, renovata est secundum tempus sui vigoris, scilicet per biennium a data praesentium.

33. Generale Capitulum committit abbati de Leoncello, quatinus reconciliet fratrem Claudium Perier, conversum monasterii B. M. de Hays prope Granopolim, abbatissae dicti monasterii prohibendo dictae abbatissae, ne dictum fratrem Claudium amplius in curia quacumque, praeterquam in Ordine nostro, tractet aut vocet, in plenaria Ordinis potestate.

34. Abbati de Schonawia praesens generale Capitulum committit et mandat, quatinus se super invasione privilegiorum Ordinis nostri in partibus suis informet diligenter, et iuxta apostolica privilegia, prout invenerit dignum, consilio bonorum virorum admisso, tamquam verus tyro pro Ordine suo resistat, mercedem et gloriam ab omni retributione reportaturus.

35. Abbati de Vetericampo praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quatinus se diligenter informet super modo vivendi in quibusdam prioratibus sibi subiectis et Ordini adiunctis, ut si inveniat eos aliter quam uniformitas Ordinis continet vivere,

ipsos in plenaria Ordinis potestate, reducat et compellat ad Ordinis unitatem.

36. Graviter ferens praesens generale Capitulum querimoniam Rmi in Christo patris domini episcopi Mimatensis, monasterii B. M. de Bonacumba abbatis commendatarii, super multis et gravibus excessibus in moribus et vita monachorum dicti monasterii, et cupiens eosdem sub regularibus observantiis arcere, abbatibus de Candelio et de Ardorello committit praecipiendo, ut eosdem monachos, si eosdem aliter quam viros religiosos decet vivere invenerint, ad regularis obedientiae observantiam et sanctimoniam vitae redire compellant, in plenaria Ordinis potestate.

37. Abbatibus de Morimundo et de Crista committit generale Capitulum lites omnes et controversias inter abbatissas de Stangia et de Colungiis ortas, ut auctoritate dicti Capituli generalis, veritate cognita, faciant partibus ius, in plenaria Ordinis potestate.

38. Quia ex parte abbatis et conventus monasterii B. M. de Bellabrancha praesenti generali Capitulo extitit expositum, quod quidam Ordinis filii quasdam pecuniarum incertas summas et thesauros, dicto monasterio pertinentes, et sub custodia fratris Ioannis Rochier, dudum eiusdem monasterii abbatis, secrete, eo mortuo, exportaverunt, nec successori aut conventui reddere voluerunt, in hoc furti crimen incurrendo, et adhuc in sua malitia perdurantes nullam de eisdem facere volendo restitutionem. Hinc est quod praesens generale Capitulum abbatibus de Claromonte, de Villanova et de Bonavalle, aut duobus eorum, committit et ordinat quatinus diligenter inquisititione facta super furto huiusmodi, quos invenerint deliquisse puniant, et ad restitutionem secundum nostri Ordinis constitutiones et formam compellere non omittant, in plenaria Ordinis potestate.

39. Generale Capitulum dominis de Firmitate, de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, et duobus eorum, mandat et committit, ut scolaribus de Alcobatia, de Rigniaco, de Langoneyo, de Nigrolacu et de Reliquiis, ut suum valeant continuare et perficere in scientiis et gradibus consuetis studium in venerabili collegio Sancti Bernardi Parisiis, assignent aliquos abbates, cuilibet secundum quod viderint expedire, de his tantum qui scolares ad dictum collegium mittere omittunt, eosque in plenaria Ordinis potestate compellant summas per eos taxatas Parisiis transmittere.

40. Committit generale Capitulum abbatibus de Claromonte,

de Gratia Dei et de Sancto Leonardo, et duobus eorum, quatinus in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, vocatis partibus, cassent et annullent processus omnes intentatos per viam appellationis aut alias, inter fratrem Ioannem Marchionem, qui se pro abbate de Pinu gerit ex una, et dominum abbatem de Bonavalle Pictaviensi et fratrem Ludovicum Borii partibus ex altera, coram quibuscumque iudicibus aliis quam ab Ordine deputatis, datque eisdem nominatis abbatibus auctoritatem omnes et singulas querelas inter dictas partes motas et movendas decidendi, terminandi et diffiniendi, compellendi etiam per censuras Ordinis dictas partes, non obstantibus appellationibus quibuscumque, Ordinis iudicio assistendi, comparendi et obediendi.

41. Diffinitionem Capituli generalis anno Domini 1493, decima quarta septembris apud Cisterciumcelebrati, cui praesentes annectuntur, Capitulum generale confirmat et renovat, praecipiens nominatis in eadem commissariis dominis abbatibus de Schonawia et de Mulbronn, ut solito diligentius dictam diffinitionem et suam commissionem executioni demandare studeant, ne in ea nominatum collegium propter defectum inhabitantium desolatum et sine exercitio scolastico remaneat. Et licet monasteria de Veterimonte, de Campo Mariae, de Hesterbach, de Loco Mariae de Castro Aquilae, de Otterburg, de Disibodi, de Hegna et de Vetericampo, si Parisiis scolares non habeant, etiam si in dicta commissione minime sint nominata, ea tamen subici et comprehendi vult et praecipit idem Capitulum generale.

42. Committit praesens generale Capitulum abbati de Vetericampo, quatinus vocatis partibus, lites, controversias et querelas omnes inter abbatem de Campo B. M. et abbatissam seniorem monasterii Gravenhoest terminet, in plenaria Ordinis potestate.

43. Generale Capitulum cupiens viros in scientiis perfectos multiplicari [c], per quos possit Ordo noster et pabulo doctrinae suos nutrire filios, et adversus contradictores opere et sermone resistere, abbati de Claratumba, in toto regno Poloniae commissario, praecipit et committit idem Capitulum, quatinus indissimulanter cogat omnes et singulos abbates Ordinis antedicti regni Poloniae, Slesiae et Prussiae [d], secundum suorum monasteriorum facultates ad mittendum scolares et eis providendum de necessi-

[c] enutrire : L^6. [d] *W add.* : videlicet Oliva, Pelplin positos.

tatibus in collegio Ordinis, quod fundatum est in Universitate Cracoviensi, rebelles per censuras arcendo, in plenaria Ordinis potestate [e].

44. Dolenter accepit praesens generale Capitulum domini senioris de Eberaco querimoniam super multis sibi factis oppositionibus, et non solutione pensionis, per dominum Morimundi abbatem commissarium dicti generalis Capituli assignatae ; et quia non est tolerabilis tantus error et excessus, ideo in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, sub poenis inobedientiae et sub censuris Ordinis, praecipiendo abbatibus de Fonte salutis, de Bildhusen et de Lankem, quatinus super dictis gravaminibus dicto seniori illatis se informent, et debita diligentique inquisitione facta, tales excessus corrigant et emendent, puniendo quos invenerint in his deliquisse, provideantque eidem seniori, quatinus terminis assignatis persolvatur pensio antedicta, caveantque ne ad nos eum amplius redire pro talibus oporteat, sed sic cum eo faciant ne indigentiam quantulamcumque patiatur.

45. Dominis abbatibus de Prulliaco, de Caroliloco, de Regalimonte et de Frigidomonte, et tribus eorum, committit praesens generale Capitulum ut debite se informent, si tractatus initus et passatus inter abbatem et conventum de Vallibus Sernaii, et dominum Ludovicum de Granville, sit in utilitatem vel damnum monasterii praedicti, et debita informatione desuper facta, referant fideliter in futuro proximo generali Capitulo quod invenerint ; et nihilominus praecipit idem generale Capitulum abbati dicti loci ut ad idem generale Capitulum venire non omittat, praedictorum commissariorum relationem pariter ordinationem generalis Capituli auditurus.

46. Non potuit praesens generale Capitulum litteras licentiae et requestas his annexis sub dicti Capituli sigillo absque mala suspicione partium, videlicet abbatis de Lococrescenti et fratris Petri Lebault, eiusdem monasterii professi, recipere ; ideo praecipit et mandat ipsum generale Capitulum abbati de Bellavalle, quatinus super contentis in eis se bene et diligenter informet, et sub censuris Ordinis, in plenaria Ordinis potestate, cogat dictum abbatem de Lococrescenti recipere praedictum fratrem Petrum, nisi obstet causa emissionis per eum commissa, secundum diffinitiones et statuta dicti Ordinis ; quod si quid in eo reper-

---

[e] *W add.* : Peregrinus abbas de Chr... ont.

tum fuerit, propter quod emitti debeat, provideat eidem fratri abbas de aliquo monasterio, in quo sub obedientia regulari vivere possit et suae salutis exercere officia, usque ad aliam Capituli generalis ordinationem.

47. Cupiens generale Capitulum nullum Ordinis monasterium damnificari per contractus illicitos, inutiles et damnosos, abbatibus de Altofonte et de Cheminione et de Monasteriis in Argona, aut duobus eorum praecipit et mandat, ut contractum factum inter abbatem et conventum monasterii de Tribus fontibus ex una, et honestum virum Nicoluam Avot et Coletam eius coniugem partibus ex altera, visitent, et se diligenter fideliterque informent, quatinus si ad utilitatem dicti monasterii cedat, iustitia et aequitate servata, eumdem contractum confirment et ratificent ; sin alias cassent et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

48. Visitationem et reformationem omnium et singulorum utriusque sexus monasteriorum in ducatu Britanniae situatorum, generale Capitulum desiderans, abbati de Precibus benigne committendo praecipit et mandat, quatinus ubi personaliter vacare, et alias in casu gravis infirmitatis detentus, aut legitimis monasterii sui aut Ordinis occupatus negotiis, per dilectum nobis in Christo filium fratrem Raymundum, s. th. pr., et monasterii praedicti de Precibus religiosum, vocato et assumpto in partibus illis aliquo Ordinis nostri abbate secum assistente, ad infrascripta agenda et exercenda, ipse abbas de Precibus aut in eius absentia dictus frater Raymundus, et vocato aliquo Ordinis abbate, ut praemittitur, et quilibet eorum in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus ad omnia et singula monasteria in praefato ducatu existentia, totiens quotiens opus et necesse fuerit, personaliter accedant, seu eorum alter accedat, in eisdem visitando, reformando, corrigendo, instituendo et destituendo omnia et singula, quae secundum Deum et nostrae religionis salutaria instituta, visitanda, reformanda, corrigenda, instituenda et destituenda, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus invenerint, abbates quoque et officiarios praedictorum monasteriorum per censuras Ordinis ad solvendum contributiones viriliter et exacte iuxta quittantias suas compellant, seu compellat eorum alter, iuxta diffinitionis tenorem super hoc anno 99° confectam, necnon omnes et singulas regulares personas in foro conscientiae audiant seu audiat eorum alter, et ab omnibus peccatis, casibus

nobis et nostro generali Capitulo reservatis cum poenitentia salutari semel quolibet anno absolvant seu absolvat eorum alter. Apostatas quoque et alias regulares personas Ordinis honorem denigrantes detineant seu detineat eorum atler, et sic puniant secundum suorum exigentiam delictorum, quod aliis cedat in exemplum. Et generaliter omnia alia et singula circa praemissa et ea tangentia agant et faciant, seu agat et faciat eorum alter, quae agere et facere posset idem generale Capitulum; invocato ad hoc, etc. praesentibus vero per immediatum sequens biennium in suo robore duraturis.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

49. Auctoritate praesentis Capituli generalis confirmatur provisio facta fratri Richardo de Bosco, s. th. pr., per commissarium Rmi D. N. Cisterciensis, de monasterio B. M. de Strata, nostri Cisterciensis Ordinis, Ebroicensis dioecesis, cui praesens diffinitio, *etc.* supplendo *etc.*

50. Cessionem domini Wernerii nuper abbatis monasterii B. M.... *(locus vacuus)* necnon electionem, promotionem et installationem fratris Henrici, eiusdem monasterii bursarii inde secutam, generale Capitulum tamquam canonicas confirmat et approbat.

51. Cessionem et resignationem venerabilis patris domini Henrici de Valbar, nuper abbatis Veteris campi, Ordinis nostri Cisterciensis, Coloniensis dioecesis, necnon electionem et promotionem domini Theoderici de Waesalia, eiusdem monasterii professi, praesens generale Capitulum tamquam ratam et canonicam ratificat, approbat et confirmat.

52. Institutionem, provisionem seu ordinationem R. P. D. Claudii de Dinteville ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Savigniaco, Ordinis nostri in Abricensi dioecesi, tamquam canonicam, *etc.*

53. Electionem, installationem et promotionem fratris Ioannis Reitter ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Plassis, monasterio de Lanquem immediate subiecti, per privationem fratris Sebastiani, eiusdem monasterii novissimi abbatis, per dominum Ioannem Aulae regiae commissarium praedicti abbatis de Lanquem factam, rite et canonice, *etc.* supplendo, *etc.*

54. Pensionem annuam fratris Petri de la Rue, nuper abbatis

monasterii B. M. de Strata, initam et passatam inter dictum dominum Petrum seniorem abbatem eiusdem loci, et abbatem modernum ac conventum dicti loci, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

55. Voluntariam cessionem seu resignationem dignitatis abbatialis monasterii B. M. de Strata, Ordinis nostri Cisterciensis, Ebroicensis dioecesis, factam per venerabilem abbatem et confratrem nostrum dominum Petrum de la Rue, abbatem eiusdem loci de Strata, propter suam senectutem et alias certas ac rationabiles causas in manibus venerabilis coabbatis nostri de Bonoportu, Rmi D. N. Cisterciensis et Capituli generalis commissarii, praesens generale Capitulum approbando pensionem eidem per dictum commissarium assignatam, cuius pensionis litteris praesens diffinitio est annexa, tamquam rationabilem approbat, ratificat et confirmat.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

56. Confirmat praesens generale Capitulum tractatum passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii de Bonavalle, et dominam Margaretam Danoboise, relictam domini Ioannis de la Malitis.

57. Generale Capitulum, etc. Visis et diligenter examinatis litteris concordiae seu appunctuamenti per modum arresti supremae curiae Parlamenti Parisiis, inter Rmum D. N. Cisterciensem, suumque conventum ex una, et venerabiles religiosos viros dominos abbatem commendatarium Sancti Germani de Pratis prope Parisiis eiusdemque loci conventum partibus ex altera, initi, facti, passati et accordati, cui nostrae praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum debite et sufficienter informatum de utilitate, commodo, pace et quiete monasterii Cisterciensis matris nostrae et de contentis in eodem tractatu seu arresto praedicto, ipsum pro maioris cautelae suffragio ex sua certa scientia maturaque deliberatione praemissa, insequendo diffinitiones annis superioribus super hoc editas, ratificavit, confirmavit et approbavit, ratificatque, confirmat et approbat per praesentes, in plenaria totius Ordinis et Capituli generalis potestate.

58. Generale Capitulum dispensat cum abbate et conventu de Moris super iuramento pro quodam contractu de grangia de Montcheureul cum iuribus suis, quem habuerunt cum Petro Gibe,

Ioanne Gibe, Margareta eius uxore, Guillelmo Gibe, Jacoba eius coniuge, Matheo Gibe, et aliis quibusdam nominatis in dicto contractu, dando eis licentiam per omnes iuris et iustitiae vias retrahendi dictam grangiam de manibus dictorum Gibe et aliorum nominatorum in dicto tractatu, et inde faciendi quod utilius iudicaverint pro bono monasterii sui, in plenaria Ordinis potestate.

59. Ad idem, cum R. P. D. abbate de Tribus fontibus et suo conventu, de quadam grangia nominata Le Chaisne situata in provincia Barrensi, prope Longamvillam.

60. Ad idem, cum domino abbate de Frigidomonte et suo conventu de grangia de Grandmainny.

61. Ad idem, cum domino abbate de Sancto Andrea et eius conventu, ratione quarumdam pensionum immoderatarum.

REHABILITATIONES

62. Supplicationi R. P. abbatis de Sancto Andrea in Gouffer annuens praesens generale Capitulum, dispensat cum fratre Henrico Germani, quod non obstantibus casibus per ipsum commissis in sua supplicatione contentis, rehabilitetur ad omnes Ordinis actus, etc. abbatiali dignitate inclusa.

63. Generale Capitulum compatiens laboribus fratris Germani monachi de Walquenreide, bene opinando de vita sua futura, ut benefaciendi causam accipiat, rehabilitat eum ad omnes Ordinis actus, abbatiali dignitate inclusa.

64. Capitulum generale compatiens senectuti fratris Anthonii Combabessosa, monachi de Valeta, Tutelensis dioecesis, nostri Cisterciensis Ordinis, eumdem absolutum a casibus in sua licentia contentis ad dictum monasterium de Valeta, ibidem cum fratribus suis regulariter victurum remittit, praecipiendo domino commendatario dicti monasterii, necnon omnibus regularibus personis eiusdem, quatinus eum recipiant et humaniter tractant, prout se dignum exhibuerit.

IUDICES

65. Abbatibus de Ursicampo, de Bellobecco et de Regalimonte, et duobus eorum, committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent super quadam controversia inter dominos abbates de Belloprato et de Lanneyo, nostri Cisterciensis

Ordinis, de quibusdam terris situatis in territorio Desinameux, cum potestate post huiusmodi diligentem inquisitionem de controversia huiusmodi determinandi, diffiniendi et eidem liti finem, si possibile sit, imponendi, in plenaria Ordinis potestate.

EXCUSATIONES ABBATUM A VIA PRAESENTIS CAPITULI GENERALIS

66. Excusantur a via Capituli generalis praesentis anni domini abbates de Monasteriis in Argona, de Altofonte, de Vallelucenti, de Claromonte, de Begario, de Persenia, de Sylvamelonis, de Igniaco, de Bellabrancha, de Moris, de Bebenhusen, de Candelio, de Loco Dei, de Barbereyo, s. th. pr., de Lanneyo, de Valleclara, de Mulebron, et omnes abbates allemanici, qui suas excusationes miserunt per litteras suas patentes sigillatas sigillis suis, de Langoneyo, de Monte Sanctae Mariae, de Roseriis, de Caroliloco, de Montepetroso, de Bella aqua, de Claroloco.

CONTUMACES

67. Quia praesenti nostro celeberrimo generali Capitulo legitime et cum evidenti certitudine constitit fratrem Matheum Six, monachum professum monasterii Claraevallis, fuisse competenter ad praesens generale Capitulum, ad requestam venerabilis P. D. abbatis de Bullione personaliter et peremptorie citatum; qui quidem frater Matheus statutis nostri sacri Ordinis Cisterciensis spretis comparere neglexit, aut contempsit, propter quod ipsum generale Capitulum dictum fratrem Matheum omnibus et singulis, ad quorum notitiam hae praesentes devenerint, denuntiat, reputat et declarat inobedientem, rebellem, contumacem et excommunicatum.

68. Ad idem, contra fratrem Iacobum de Peramartra se pro abbate Vallis bonae gerentem, citatum ad primam diem praesentis Capituli, virtute mandati domini abbatis de Candelio, commissarii Rmi D. N. et Capituli generalis.

69. Ad idem, contra fratrem Petrum Masse, priorem de Fonte frigido, citatum ut supra, qui tamen misit procuratorem ad comparendum et appellandum, volens obedientiam Ordinis effugere, contra Ordinis instituta.

70. Ad idem, contra fratrem Ioannem Marchilion, citatum

peremptorie ad primam diem Capituli generalis per dominum de Bonavalle, Pictaviensis dioecesis, commissarium Ordinis, responsurum promotori Ordinis, qui non misit neque comparuit.

71. Ad idem, contra fratrem Claudium de Paris, religiosum de Barbello, et remittitur domino de Firmitate absolvendus, de consensu domini Prulliaci, patris abbatis sui.

SUFFRAGIA

72. Cum nuperrime domina Perona de Villers, ad nostrum Ordinem devota, suum animum et devotionem, quam habuit dum viveret, in suae ultimae voluntatis articulo posita testamentum faciens, concesserit centum libras monasterio B. M. de Lanneyo, alias de Briostel, sperans et requirens participationem habere omnium et singulorum bonorum spiritualium, quae per singulos dies fiunt et in futurum, Deo auxiliante, fient. Ea propter voluntatem dictae Peronae per insinuationem abbatis et conventus dicti loci, generale Capitulum agnoscens, et numquam benefactoribus locorum dicti Ordinis deesse cupiens, concedit eidem plenam participationem eorum omnium bonorum spiritualium, quae fiunt et fient per universum Ordinem, videlicet missarum, vigiliarum, horarum canonicarum, orationum, suffragiorum, disciplinarum, ieiuniorum, abstinentiarum, sermonum, lectionum, hospitalitatum, elemosinarum, laborum, ceterorumque divini cultus officiorum.

73. Ad instantiam abbatis de Ioyaco, idem Capitulum venerabili viro magistro Ioanni Geimart, in legibus licentiato, apud Parlamentum regis advocato, eiusque consorti, eamdem et similem participationem concedit.

74. Ad idem, pro Dyonisio Nervot et uxore eius, pro Petro Fleury et eius consorte. — Item, pro domino Stephano Monnion. — Item, pro domino Philippo, milite de Mortemer, et eius uxore Guynonna de Perusse. — Item, pro honorabili viro magistro Ioanne Baillet, utriusque iuris doctore, Ordinis advocato et pensionario, matre, uxore et liberis.

75. Ad idem, pro honorabili mercatore Divionensi Henrico de Montformois. — Item, generale Capitulum ad quinquennium concedit eadem participationem confratribus et sororibus confratriae Sanctae Crucis in prioratu de Espicia, Ordinis Grandimontensis. — Ad idem, omnibus benefactoribus de Bullencuria. —

Ad idem, pro Bertrando Franchqui, ad instantiam abbatis de Pontefrigido.

76. Conceditur suffragium et participatio Ordinis benefactoribus monasterii S. Pauli prope Senonensem civitatem, et hoc pro triennio, ad requestam domini procuratoris domini nostri regis eiusdem urbis. — Ad idem, Nicolao canonico Sandomionensi. — Ad idem, Ioanni notario et plebano Pobi (?). — Ad idem, pro Guillelmo de Sancto Symone, eius uxore et liberis, ad instantiam abbatis de Regalimonte. — Ad idem, pro Ioanne Pierrard. — Ad idem, pro domino Ogerio Lucqueron. — Ad idem, pro Catharina de Landreville. — Ad idem, pro nobili viro Ioanne de Sable, uxore et liberis eiusdem. — Ad idem, pro magistro Helya Moisson. — Ad idem, pro honorabili viro Guillemo Reynard, burgensi Montisbarri, et eius consorte.

77. Suffragium pro prioratu de Espicia, Ordinis Grandimontensis, ad quinquennium.

— Etsi templa, delubra, omniaque alia pia loca divino cultui mancipata et dedicata, maxime ubi diversorum sanctorum Christo in coelis conregnantium sacrae habentur reliquiae, summa sint christicolis veneratione prosequenda et requirenda, cum eorumdem meritis et piis precibus copiosa ibidem peccatorum venia adipisci posse credatur, illa tamen potissimum frequentanda veniunt, omnique devotione recolenda, in quibus Dei et Domini Nostri Iesu Christi sanctissimae passionis piissima recunduntur insignia, suique pretiosissimi sanguinis, quo universa nostra lavit crimina, sacrosancta vestigia plenius apparent. Cum itaque sicut accepimus, ac pie credimus in devoto prioratu de Espicia, Ordinis Grandimontensis, honorifice reservetur pretiosissimum illud Dominicae passionis memoriale sacratissimum crucis lignum, in magna quantitate seu portione, in quo idem Deus ac Dominus Noster Iesus Christus mortem nostram moriendo destruxit, et ea morte die tertia victor surrexit, atque gloriosissima sua resurrectio angelico testimonio sanctis mulieribus fuit demonstrata ; cupiens ut idem locus, qui huic nostro sacro monasterio Cistercii, matri nostrae, vicinus, una cum devota confraternitate seu congregatione quae in honore eiusdem victoriosissimae et salutiferae crucis in eodem prioratu erecta et fundata extitit in suis structuris et aedificiis, librisque, calicibus, iocalibus et aliis ornamentis ecclesiasticis pro divino cultu magis decenter manuteneatur ; et etiam ut Christi fideles libentius, causa devotionis, illuc confluentes ad

praemissa pietatis opera, eo promptius manus porrigant adiutrices, quo ex hoc dono coelestis gratiae uberius se conspexerint esse dotatos, honorabilis viri, magistri Iacobi Gastereau, christianissimi domini nostri regis secretarii, oppidi Divionensis burgensis, et dicti prioratus ac confratriae praedictae specialis patroni et fautoris, priorique eiusdem loci et devotorum confratrum utriusque sexus congregationis praedictae Sanctae Crucis devotis et humilibus supplicationibus inclinati, de Omnipotentis Dei liberalitate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus, qui se dictae confratriae seu congregationis fratres seu sorores constituerint, et die qua ipsa confraternitas a suppositis eiusdem confratriae celebratur, et prioratum praedictum devote per immediatum sequens quinquennium a data praesentium computendum visitaverint, ac de bonis sibi a Deo collatis aliquid contulerint, omnium bonorum spiritualium, videlicet horarum canonicarum, missarum, vigiliarum, orationum, suffragiorum, lachrimarum, suspiriorum, contemplationum, meditationum, obedientiarum, poenitentiarum, abstinentiarum, ieiuniorum, cerimoniarum, elemosinarum, hospitalitatum, laborum, ceterorumque divini cultus obsequiorum, quae fiunt, ac Deo concedente, de cetero in toto Ordine nostro, per orbem universum late disperso, fient, in vita sua pariter et in morte plenariam concedimus participationem et associationem.

Datum in nostro diffinitorio Cisterciensi sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, die 14 mensis septembris anno Domini 1499.

78. Frater Ioannes, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Ordinis Cisterciensis in generali Capitulo congregatus, honesto viro Nicolao... Salutem in omnium Salvatore. Quamquam lege divinae charitatis ad intercedendum pro omnibus generaliter obligemur, pro illis tamen multo singularius astringimur, qui nobis ac Ordini nostro, necnon locis et personis regularibus ipsius affici dignoscuntur. Quapropter exigente piae devotionis affectu, quem ad nos et ad Ordinem nostrum intelleximus te habere, piae petitioni tuae, nobis per venerabilem et discretum virum magistrum Petrum Reynardi, dicti nostri Ordinis benevolum zelatorem ac continuum servitorem, oblatae, devoto concurrente assensu, tibi omnium bonorum spiritualium, videlicet, horarum canonicarum, etc. *ut supra*, participationem, ita quod cum obitus tuus, utinam in Domino felix,

nostro fuerit generali Capitulo nuntiatus, ibidem sicut unus nostrum absolvaris, omniumque missarum et orationum quas pro nobis, fratribusque familiaribus ac benefactoribus nostris, annis singulis iniungimus faciendas efficiaris particeps et consors.

Datum in diffinitorio nostro Cisterciensi, *etc. ut supra.*

1500

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo, in generali Capitulo apud Cistercium, statuta et diffinita sunt ea quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... etc. ut 1499.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc. ut 1499.
3. Insuper pro burgensibus ... etc. ut 1499.
4. Ceterum pro pace ... etc. ut 1499.
5. Demum pro felicis ... etc. etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster ... necnon in summa 14075 libr. 2 solid. 2 den. tur. pro resta computationum ... etc. ut 1497.

7. Considerans et attente revolvens generale Capitulum diversas temporum et personarum conditiones et varietates, propter rationes in diffinitione Capituli generalis subscriptas edita in Capitulo generali anno Domini 1439 contentas, et alias multiplices rationes, post longas et profundas deliberationes, una cum omnium consensu, celebritatem seu celebrationem Capituli generalis transfert seu transportat in mense septembris pro tempore futuro ad tres dies Rogationum gloriosae D. N. Iesu Christi Ascensionem praecedentes, expresse praecipiens et ordinans, ut deinceps ipsum generale Capitulum Ordinis Cisterciensis celebretur apud Cistercium ipsis tribus diebus Rogationum, in et sub

---

1500. *Fontes* : L^6 : 1-68 ; P^2 : 1, 7 *(abbr.)*, 10 *(abbr.)*, 21, 24.
[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Alexandro 6°, *etc. ut ann. praec.* : P^2.

eadem forma, qua hactenus celebratum fuit in mense septembris, die Exaltationis S. Crucis existente ultima die Capituli, nihil penitus de consuetis solemnitatibus, iuribus et privilegiis assuetis diminuendo seu perdendo per huiumosdi translationem seu transportationem, hoc uno dempto seu addito, videlicet quod tam abbates quam alii ad huiusmodi Capituli Ordinis ritum venientes seu accedentes, dominica praecedente dictos tres dies Rogationum, circa vesperum et non ante, intrare poterunt Cistercium cum servitoribus et evecturis rationabilibus, coenam religiosam ibidem facturi et dormituri, ut abbates pausati et quietati sequenti die de mane rebus Ordinis et Capituli generalis liberius et promptius intendere et vacare possint. Sequitur tenor praenominatae diffinitionis. Cum omnes abbates... *etc. ut ann.* 1439, n° 26.

8. Piis ac salutaribus monitis et exhortationibus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Alexandri Papae VI, praesens generale Capitulum devote permotum, infelicissimae gentis Turcorum, barbarorumque et aliorum christiani nominis hostium expugnationem, et Domino favente, conversione, ordinari mandat et praecipit collectam quae incipit : *Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates*, deinceps dici ad missam conventualem quolibet die, immediate post collectam *Ecclesiae*. Et quando dicta collecta *Ecclesiae* non dicitur, ista suo loco in omnibus et singulis monasteriis et prioratibus Ordinis, ac etiam qualibet prima dominica cuiuslibet mensis fieri processionem per ecclesiam, more Ordinis, sine stationibus, tantummodo responsoria *Tua est potentia*, vel *Aspice Domine*, vel *Congregati sunt inimici nostri*. Et in fine dictae processionis, conventu existente in choro et versa facie ad altare, sacerdos existens ante altare dicat alta voce versiculos et collectas, quas quilibet abbas in monasterio suo ordinabit. Celebrantes autem missas privatas dictam collectam dicere poterunt, et si forte eam non dicunt, saltem aliquo loco intentionem suam ad Deum super praemissis dirigant; itidemque faciant non sacerdotes, tam explendo poenitentias in sanctissima bulla indulgentiarum Iubilaei, et aliis temporibus vacantibus memores gratiarum, alias ut dicitur, talia facientibus concessarum.

9. Dolens vehementer generale Capitulum quod, propter non solutionem debitam contributionum, quae pro tardiori persolvi debeant in praesenti generali Capitulo, necessarium fuit recurrere ad bancum pro impetratione gratiarum seu indulgentiarum amplis-

simarum Iubilaei [c] pro universis personis Ordinis, ne personae Ordinis tanto bono privarentur, aut certe per saeculum more saecularium per mundum vagari cogerentur. Ratione cuius recursus ad bancum Ordo non modicum reportavit incommodum. Ne autem interesse seu utilitas mercatorum diutius super Ordinem currat, generale Capitulum universis et singulis commissariis deputatis ad receptionem seu collectionem subsidiorum et contributionum districtius mandat et praecipit in virtute salutaris obedientiae, ac sub excommunicationis [latae] sententiae poena, quatinus quamprimum fuerit possibile, omni excusatione voluntaria postposita, omnem possibilem faciant diligentiam petendi, exigendi, levandi et recipiendi, per se vel per deputatos suos restas dicti subsidii. Contradictores, si qui forsan, quod absit, fuerint, per Ordinis, necnon per sanctae matris Ecclesiae censuras, iuxta Ordinis statuta, et Ordinis privilegia, tam apostolica quam regularia, ad solvendum viriliter et indissimulanter per omnes iuris et iustitiae vias compellendo. Receptasque dicti subsidii a monasteriis Galliae mittant Parisios ad dominum de Firmitate, aut ad alium ad hoc per patres congregationis Parisiis novissimae celebratae deputatum, ut illis de Claravalle satisfaciat iuxta arresti curiae Parlamenti Parisiensis tenorem. Aliae vero nationes receptam huiusmodi subsidii diligentissime mittant aut ad Rmum D. N. Cisterciensem, aut ad honestum et providum mercatorem Revedey, apud Lugdunum commorantem, pro solutione huiusmodi Iubilaei, ita ut pecuniae ipsius subsidii alterarum nationum, si quomodocumque fieri potest, sint in manibus praefatorum domini Cisterciensis aut Revedey infra festum beati Andreae proxime venturum, ad solutionem praefati Iubilaei. Verum quoniam dicta recepta subsidii gratiosi ultimate super Ordinem impositi minime sufficiet ad solutionem integram praefati Iubilaei, generale Capituum mandat et praecipit sub censuris praedictis, universis et singulis commissariis ad receptam contributionum deputatis ubicumque existentibus, quatinus omni excusatione postposita possibilem faciant diligentiam per se vel per deputatos suos petendi, levandi, recipiendi ac colligendi omnes et singulas contributiones cum restis seu arreragiis, quae pro tardiori in praesenti Capitulo solvi debebant, illasque pro tardiori quantum possibile fuerit,

[c] Cf. CIST.-CHRONIK, 1901, *p.* 184 *litterae abbatis de Sanctae Cruce in Austria, quarum argumentum est etiam de hoc Iubilaeo et eius contributionibus.*

reddant seu reddi faciant ad manus praefati Rmi D. N. Cisterciensis, pro persolutione dicti Iubilaei, et pro aliis communibus necessitatibus Ordinis transmittant, excepta dumtaxat commissione illis de Claravalle, iuxta dictae curiae ordinationem tradita, de qua tamen cum fideli computo rationem reddant in proximo generali Capitulo coram auditoribus computorum per generale Capitulum deputatis seu deputandis. Contradictores aut solvere nolentes seu differentes dictas contributiones, ad solvendum eas cum restis, ac etiam expensas rationabiles, ut dictum est, per Ordinis et sanctae matris Ecclesiae censuras et poenas, iuxta Ordinis nostri privilegia, statuta et decreta, viriliter et indissimulanter compellendo ; eisdem etiam commissariis et eorum cuilibet mandat et praecipit generale Capitulum, quatinus sufficienter significent et intiment universis abbatibus in sua commissione comprehensis, quod sunt citati ad comparendum personaliter ad proximum generale Capitulum, quod, divino favente auxilio, celebrabitur apud Cistercium diebus Rogationum proxime venturis, ut ibidem compareant et contributiones in generali Capitulo debitas indefectibiliter afferant. Aloquin compellentur ad solvendum duplicem contributionem, iuxta piae recordationis domini Benedicti Papae XII, et aliorum Summorum Pontificum, ac generalis Capituli ordinationem, quibus quidem commissariis, et eorum cuilibet districtius praecipit generale Capitulum, ut de omnibus quae in praemissis fecerint et invenerint, fideliter et diligenter proximum generale Capitulum informent.

10. Ut, Deo opitulante, communia Ordinis negotia utilius, sanctius et laudabilius solito tractentur, et consuetae confusiones maxime circa receptam contributionum emendentur, praesens generale Capitulum saepius iteratas monitiones Rmi D. N. Cisciensis tandem insequendo unanimi omnium consensu decreto irrevocabili statuit et ordinat, ut deinceps in singulis Capitulis generalibus deputentur aliqui notabiles abbates, zelum Dei et Ordinis habentes, ingenio pollentes, et in disputationibus computorum experti, qui singulis annis per litteras aut per quatuor dies praeveniant generale Capitulum apud Cistercium, ut examinent fideliter statum computationum communium, et subsidiorum, quando occurrent, notando per scriptum, qui commissariorum et abbatum seu commendatariorum solverint, et qui non, necnon quantum sit debitum et a quibus, ut de his omnibus generale Capitulum plenius informent. Et hoc erit primum eorum officium ;

secundum vero eorumdem auditorum officium erit tempore Capituli generalis, et quo Diffinitores intendent rebus Ordinis in diffitorio simul audire, examinare, approbare vel improbare computationes singulorum commissariorum, ad receptas deputatorum diligenter notandum per scriptum, quid et quantum non fuerit solutum et a quibus, iungens restas annorum praecedentium quolibet anno, ut per eos, ipso Capitulo generali sedente, fiant computationes communes dictarum contributionum et subsidiorum ; alias sicut praefatus Rmus D. N. Cistercii saepius in diffinitorio publice et singillatim apud infinitos declaravit, est impossibile ipsis dictas computationes communes debite facere posse, tum quia sine eo diffinitorium cessat, tum quia etiam ipso tempore, quo non est in diffinitorio, oportet eum innumerabilibus aliis rebus, litteris et nuntiis intendere, tum quia communiter pecuniae et contributiones particulares receptorum et commissariorum tempore Capituli afferuntur, et sic est impossible in tam brevi tempore tot res bene posse fieri quasi simul, pro praesenti autem generali Capitulo et per immediate sequens ad executionem praedictorum electi et nominati fuerunt abbates de Fonteneto, de Ursicampo, de Sancto Andrea in Goffer et de Signiaco, quibus et eorum tribus generale Capitulum dat auctoritatem et mandatum speciale devote praemissa implendi ; discretio autem Capituli generalis stipendia assignabit quolibet anno tam dictis auditoribus computorum quam commissariis et receptoribus in diversis mundi partibus constitutis, iuxta cuiuslibet eorum diligentiam et merita, et talibus mediis cessare debent antiquae querelae seu rumores inter personas Ordinis, tam praefati Rmi D. Cisterciensis, qui insuper conqueritur quod nulli de Ordine vel admodum pauci volunt eum in praemissis adiuvare, tam aliorum de Ordine qui cum Ordinis statum ignorent a murmurationibus et detractionibus tam verbis quam scriptis abstinere nolunt. Tunc enim omnia statum Ordinis concernentia omnibus erunt aut esse poterunt nota et clara, et status Ordinis prosperabitur et florebit.

11. Generale Capitulum Ordinis Cisterciensis. Notum facimus universis, quod in eodem..., etc. Praesens generale Capitulum audita narratione seu relatione venerabilium et religiosorum ex parte devotae congregationis confratrum nostrorum in Italia, tam Mediolanensium quam Florentinorum missorum, et habita desuper maturiori deliberatione, eorum petitiones seu obligationes et requisitiones gratas habuit, reconciliationem seu unio-

nem quorumlibet membrorum Ordinis cum capite et cum residuo corporis mystici desiderans, unum tamen potissimum inter cetera super hoc perpendit et cognovit obstaculum, quasdam videlicet impetrationes seu expeditiones nuper ad instantiam religiosi viri fratris Archangeli, professi monasterii Caraevallis Mediolanensis per Rmum D. N. Cisterciensem super nonnullis eiusdem congregationis monasteriis factas, per quas reconciliatio dictorum fratrum praelibatae congregationis impediri posset, et quia generale Capitulum pro certissimo tenet cuncta in his per praefatum Rmum D. expedita bona et sancta intentione fuisse peracta ex parte sua, forsitan vero praefatus frater Archangelus ipsum blandis sermonibus circumveniens multa se facturum pollicens seu promittens pro sacri Ordinis nostri utilitate et honore, si huiusmodi impetrationes expedirentur, praefati vero legati dictae congregationis firmiter asserunt huiusmodi impetrata per dictum fratrem Archangelum difficilia et forte impossibilia ut ad effectum deducantur, et exinde iurgia simul et dissensiones grandes inter personas Ordinis oriri possent, quibus generale Capitulum libenter obviaret. Idcirco pro bono pacis et concordiae decrevit rerum istarum cognitionem simul et decisionem nonnullis notabilibus personis illarum regionum esse committendam. Cum nonnisi rarissimi sint in partibus illis abbates de Ordine nostro, maxime partibus ipsis non suspecti occasione commendarum ad alios venerabiles et egregios viros alterius status seu religionis, proh dolor ! recurrere cogitur, et ob hoc confidens de sufficientia, bonitate, prudentia et circumspectione R. in Christo R. D. abbatis Sancti Petri Ingleciasci, Ordinis beatissimi P. N. Benedicti, affectuosius ipsum rogat, quatinus rei huius onus, ut sequitur, intuitu sacrae religionis cum religioso viro fratre... priore devoti monasterii nostri Locedii pro hac vice assumere dignetur, quibus coniunctim generale Capitulum dat auctoritatem citandi coram se ad diem et locum competentes, ad instantiam procuratoris fratrum dictae congregationis, praefatum fratrem Archangelum cum impetrationibus seu expeditionibus huiusmodi, quas obtinuit a praefato Rmo D. N. Cisterciensi super monasteriis praefatae congregationis. Et illis visis, habitaque diligenti consideratione ac conferentia cum bonis, expertis et doctis viris, si impetrationes huiusmodi invenerint inefficaces, et potius confusionem monasteriorum et personarum quam consolationem seu aedificationem generare, ipsum fratrem Archangelum ac alios in eisdem expeditionibus

nominatos, ut ulterius ab huiusmodi prosecutione desistere velit, charitative inducant, ne forte foveam derisionis sibi et aliis multis parare videantur. Quod si forsan, quod absit, viderint dictas expeditiones seu impetrationes fore inefficaces, et ipsum fratrem Archangelum aut alium in eisdem impetrationibus nominatum irrationabiliter esse obstinatum, seu in sua opinione durum, nec a coeptis desistere velle in damnum dictorum monasteriorum, et in scandalum ac irrisionem multorum Christi fidelium, informationes super veritate rerum istarum faciant, quas cum providorum consilio mittant ad praefatum Rmum D. Cisterciensem, ut iuxta prudentiam a Deo sibi collatam, super his provideat, habito respectu ad Ordinis privilegia et statuta, ne propter affectiones inordinatas tot et tantae domus Dei, quae officinae salutis esse debent, indebite perturbentur.

12. Cum iam dudum diversis annis in Capitulis generalibus praeteritis factae et ordinatae fuerint quaedam diffinitiones, tam generales quam particulares, quae omnino iustae, sanctae et rationabiles et Ordini commodae atque perutiles hactenus visae fuerunt, secundum negotiorum exigentiam, quae pro tunc emerserunt, quarum quidem diffinitionum tenores de verbo ad verbum inferius sequuntur, secundum quod ex registris diffinitionum extractae fuerunt et ad originalia collationatae, videlicet : Sacrosanctae Basileensis synodi ... etc. ut habetur anno 1433, nº 39, 1 §. Dicta diffinitio fuit renovata de verbo ad verbum anno Domini 1439.

13. Extracta ex statutis in generali Capitulo Ordinis Cisterciensis apud Cistercium celebrato anno Domini 1500 (*sic*). Patribus abbatibus praesens generale Capitulum concedit quatinus quilibet eorum in sua generatione, hoc dumtaxat anno durante, recipere valeat et acceptare cessiones seu resignationes abbatum eisdem immediate subiectorum, in plenaria Ordinis potestate.

14. Ex statutis in eodem Capitulo anno Domini 1459. — Abbati de Lucella committit generale Capitulum, quatinus cessionem seu resignationem abbatis monasterii de Novocastro sibi immediate subiecti recipere possit, cum potestate rehabilitandi inhabiles in ipso monasterio pro hac vice dumtaxat, in plenaria Ordinis potestate.

15. Abbati de Campania conceditur per generale Capitulum, quatinus suum monasterium resignare valeat in manus sui patris

abbatis, aut eius commissarii, qui pater abbas vel commissarius pensionem abbatibus sponte cedentibus et bene meritis assignari solitam, sibi assignare possit, in plenaria Ordinis potestate.

16. Extracta de registris diffinitionum Capituli generalis Cist. Ord. — Et primo de statutis in eodem generali Capitulo anno Domini 1425. « Quoniam monasterium Vallis Sanctae... *etc. ut anno* 1425, nº 51. — Ex statutis eiusdem generalis Cap. anno 1427. « Cum multorum fide dignorum ... *etc. ut anno* 1427 *nº* 27. — Ex statutis in eodem Capitulo generali anno Domini 1478. « Quia saepius per anni circulum ... *etc.* ut anno 1478, nº 39. — Ex anno 1479, nº 10, « Electionem, institutionem, *etc.* — Ex anno 1480, nº 53, «Capitulum generale decernit quod abbates per Rmum D. N. Cisterc. habentem potestatem Cap. gen. confirmati, non indigent amplius confirmari per ipsum gen. Capitulum. — Ex anno 1487, nº 20 « Quamquam examinata, *etc.* — Ex anno 1450, nº 46 « Generalis Capituli complectitur providentia, *etc.*

Quia tamen nihil est tam iustum, tamque clarum, quod malignari et difficultari a nimium curiosis et scrupulosis non possit aut valeat ; idcirco ne tam clarae tamque iustae et rationabiles Ordinisque perutiles diffinitiones imposterum malignentur, aut in dubium revocentur, praesens generale Capitulum pro emergentibus negotiis tam praesentibus quam futuris voluit et ordinavit, vult quoque et ordinat diffinitiones praedictas omnino et inviolabiliter esse observandas in ipsorum negotiorum decisionibus eatinus quatinus poterant adaptari, et ut firmius et indubitabilius observentur, easdem diffinitiones confirmavit et approbavit, confirmat et approbat, iubet quoque praecipit et ordinat quatinus de cetero ab omnibus in causarum et negotiorum decisionibus secundum casuum emergentiam et contingentiam tamquam perutiles, iustae, sanctae ac rationabiles, necnon bonum publicum communemque utilitatem Ordinis respicientes pro indubitationibus confirmentur et custodiantur.

17. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum super computationibus generalibus Ordinis postremis temporibus redditis, receptis et approbatis, easdem approbat et confirmat tamquam iustas, bonas et validas, annullando quascumque alias contradictiones, a quibuscumque personis Ordinis, praesertim per seniorem abbatem Claraevallis et sibi adhaerentes, tam verbo quam scripto factas, in plenaria Ordinis potestate.

18. Ad tollendum errores super annua recepta contributionum

et subsidiorum Ordinis, praesens Capitulum generale statuit, ordinat et diffinit, quod de cetero singulis annis in ordinatione et dispositione officiariorum Capituli generalis, pro singulis regionibus deputentur aliqui et committantur ad receptionem contributionum, subsidiorum et aliorum denariorum Ordinis, necnon et alios tres aut quatuor abbates auditores computationum in dicto generali Capitulo fiendarum, et praesenti anno ordinantur auditores dictarum computationum de Fonteneto, de Ursicampo, de Signiaco et de Sancto Andrea monasteriorum abbates.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

19. Priorissae monasterii monialium de Moritonio praecepit praesens generale Capitulum, et sub poenis et censuris Ordinis inhibet, ne de cetero permittat accipere terram ex qua fit ferrum, a quocumque hominum, quin potius convertatur ipsa terra ad utilitatem et profectum dicti monasterii secundum religiosarum dicti monasterii *(sic)*.

20. Fratri Egidio Bourdon, monacho monasterii de Savigniaco, praecipit et committit generale Capitulum, quatinus conservet et protegat, custosque sit et distributor existat omnium nemorum praefati monasterii, ne in futurum vendant, dissipent aut alienent bona dicti monasterii, aut ne huic nostrae ordinationi in aliquo contradicant, concedendo eidem fratri Egidio licentiam, quotiens expedierit eundi ad praefata nemora.

21. Ordinatur et praecipitur abbati de Vaucellis, notario Capituli generalis, ex parte Capituli generalis, quod ante exitum suum de villa Divionensi, praecipiat fratri Nicolao Perret, professo monasterii Claraevallis, sub censuris et poenis Ordinis, ac ne praesumat se vocare doctorem theologum, aut quomodolibet sub illo titulo praedicare publice, vel in cathedra saltem, donec fidem fecerit Rmo D. N. Cisterciensi, qua auctoritate haec facere praesumit, cum iuxta Ordinis privilegia nullus ad tales gradus ascendere debeat, etiam in collegio Parisiensi, nisi cum et ex speciali licentia et beneplacito Rmi D. Cisterciensis.

22. Ad aures Capituli generalis fide dignorum relatu pervenit fratrem ... se pro abbate monasterii Novimonasterii in Anglia gerentem, multas conspirationes, multasque novitates a via sanctorum patrum exorbitantes introducere seu introduxisse molitum fuisse, ita ut propriis sensibus innitens, aut seditiosorum consiliis

acquiescens, in enervationem auctoritatis eti urisdictionis Capituli generalis et totius Ordinis praesumpserit dirigere litteras inhibitorias ad abbates monasteriorum de Rupe et de Pipewell, dicti monasterii sui filios, ut dicit immediatos, ne permitterent se aut dicta monasteria visitari a visitatoribus Ordinis in Anglia deputatis ; et hoc si proprio nisu fecerit sine difficultate tenendum est, id a parte mendacii provenisse ; si autem ab alio processerit, ab eodem principe tenebrarum per medium alicuius sui ministri accidisse certum est, ut suo more seminet zizania in agro dominico, necnon ut dictus inventor rerum novarum sine alicuius cognitione seu timore faciat et utatur in illis monasteriis ad libitum, cum tamen ab origine Ordinis usque in praesens, pro ipsius Ordinis conservatione et integritate, generale Capitulum vel Rmus D. Cisterciensis plenaria Ordinis potestate fungens semper in eodem regno, aliisque universis mundi regionibus pro Ordinis conservatione, pro praeservatione subditorum ab expressionibus multorum patrum abbatum, qui saepius plus utuntur in subditos voluntate inordinata quam ratione, necnon pro integra defensione et tuitione privilegiorum Ordinis, pro conservatione unionis membrorum Ordinis ad caput, et ad residuum corporis mystici Ordinis, insuper pro sublevandis et recipiendis contributionibus et iuribus Ordinis, et ea ad generale Capitulum mittendis, necnon multis aliis rationabilibus causis semper in eodem regno et aliis provinciis generale Capitulum commissarios generales ad fines praedictos habuerit seu deputaverit. Iste autem inventor contributionum [d] non veritus est conturbare fundamenta et quietem Ordinis, ut praemittitur, quemadmodum evidenter constitit generali Capitulo per litteras suas praedictas. Quibus novitatibus et periculosis inventionibus generale Capitulum obviare cupiens, committendo mandat abbatibus de Fontibus et de Gratiis, quatinus se diligenter informent super praemissis, et si invenerint eumdem abbatem Novimonasterii talia fecisse, aut praesumpsisse, declarent eum conspiratorem contra Ordinem, suspendantque omnem iurisdictionem seu auctoritatem, quam habet aut habere praetendit in dictis duobus monasteriis de Rupe et de Pipewell, usque ad aliam Capituli generalis determinationem ; ipsumque citent peremptorie et personaliter ad proximum generale Capitulum cum intimationibus consuetis, inhibendo expressius abbatibus

---

[d] *leg.* constitutionum (?)

et conventibus eorumdem monasteriorum, sub censuris Ordinis per dictos abbates commissarios declarandis, ne interim et usque ad aliam Capituli generalis dispositionem, quomodolibet dicto abbati Novimonasterii aut suis deputatis in aliquo obediant. De omnibus autem quae dicti abbates fecerint in praemissis, ad longum informabunt generale Capitulum. Datum in diffinitorio Cistercii sub appensione sigilli Diffinitorum dicti Capituli generalis, anno, die, mense et loco supradictis.

23. Frater Ioannes, etc. Committit generale Capitulum abbatibus de Fontibus et de Gratiis, et cuilibet eorum, districtius praecipiendo, quatinus diligenter se informent, si frater Ioannes Daltram, nuper cellerarius monasterii de Furnesio, per validam et manifestam confederationem seu conspirationem suscitavit contra venerabilem fratrem Alexandrum, abbatem eiusdem monasterii, seditiones, ipsum false diffamando apud principes et magnates, cum articulis fictis trahendo et dicendo dictum abbatem coram laicali potestate, spreta Ordinis iurisdictione, et, si adhuc temporibus istis, quasi manu hostili contra rationem custodiat seu custodiri faciat monasterium ipsum contra Ordinis formam et honestatem, et debita informatione habita, ipsoque fratre Ioanne sufficienter ac competenter citato et audito, contra et adversus ipsum procedant, eum iuxta demeritorum exigentiam puniendo taliter quod ceteris cedat in exemplum.

24. Non potuit generale Capitulum sine magno cordi amaritudine accepisse, nonnullos fratres Ordinis scolares in collegio Oxoniensi [e], quamprimum ad gradum baccalaureatus fuerint promoti, non humiliter sed alta aut veracius superba sapientes, mox ut eumdem gradum attingerint seipsos super ceteros, tam iuniores quam seniores, suorum monasteriorum extollere, cunctos despicere, et primum locum seu stallum in omni sessione, tam in choro quam alibi, immediate post abbates usurpare, quasi non ex abbatum gratia, sed ex ipsius gradus merito et dignitate, simplicitatem et honestatem religionis abdicantes, publicum usum bireti discoperti in abusum convertere, ut quasi Rabbi a ceteris adorentur, seu honorificentur, potius ad saeculi vanitatem, quam ad religionis aedificationem convertentes, ita ut sanctissimae regulae patrumque nostrorum statuta circa formam caputii, cucullae vel scapularis condemnare videantur, in maximum scandalum

---

[e] **Auxoniensi** : *P*[2].

populi et in confusionem seu deiectionem ceterorum religiosorum, etiam suorum conventuum, in servitio divino dies suos die noctuque exponentium, ita ut iam videatur, quod gradus ipse baccalaureatus eos eximat ab observantia regulari. Quamobrem confidens de prudentia et honestate abbatum de Fontibus, de Stratfordia et de Gratiis, eis et duobus eorum committit generale Capitulum, quatinus se informent super difformitatibus praedictis, et veritate comperta, abutentes de praeterito puniant, de futuro vero talem ordinem et dispositionem instituant, quod deinceps scandalorum occasiones omnino pellantur, habito respectu ad Ordinis statuta et diffinitiones nuper editas, necnon ad ad qualitates et perfectiones personarum, conditionesque locorum et temporum, non obstantibus quibuscumque diffinitionibus seu gratiis aut declarationibus forsan in contrarium factis [f].

25. Generale Capitulum ad petitionem abbatis de Fontibus, de Stratfordia et de Gratiis misericorditer agens cum fratre Alexandro Bauk, abbate de Furnesio, dispensat cum eo, ut non obstante incontinentia, irregularitate, symonia et aliis criminibus in eo dudum comprobatis, ipsumque ab huiusmodi criminibus lavat, purgat et emundat, attentis poenitentiae et emendationis signis, quae praefati abbates perpendunt, et generali Capitulo denuntiaverunt, et abbatem ipsum de Furnesio per omnia rehabilitat, habilemque reddit ad omnes actus, voces, dignitates et administrationes Ordinis, inhibendo sub poena talionis universis personis Ordinis, ne de praemissis iam praeteritis quidquam sibi obiicere seu improperare praesumant.

COMMISSIONES

26. Fratri Ioanni Malete, monasterii Caraevallis Mediolanensis monacho professo et in sacerdotali ordine constituto, data fuit quaedam commissio ad triennium ad visitandum et reformandum omnia et singula monasteria a Pedemontium inclusive per totam Italiam, a mari usque ad mare et usque ad terminos orbis situata, cuiuscumque conditionis, congregationis, status et filiationis existant, sive sint commendata, sive non, praecellenter dominio Venetorum comprehenso.

27. Eidem fratri Ioanni Malete data fuit commissio ad reci-

---

[f] P^2 *add.* : Sic signatum : Remgius, abbas Chari loci.

piendum contributiones in Italia, Lombardia, in Tuscia, in provincia Veneta, in Marchia Travisana, in Patrimonio Ecclesiae, in Aprusio, in Campania, in Marchia Anchonitana, in Apulia, in Calabria, in Sicilia, prout continetur in minuta apud Rmum D. N. Cisterciensem reservata.

28. Claraevallensi data fuit commissio ad recipiendum contributiones in Francia, Flandria, etc. ut patet in minuta penes Rmum D. Cisterciensem reservata.

29. Committitur dominis abbatibus de Firmitate, de Caroliloco et de Regalimonte, et duobus eorum, quatinus se debite informent super quibusdam tractatibus, mercatibus et arrendationibus sub annuo censu, in collegio Sancti Bernardi Parisiis per abbatem de Cheminione, tunc cellerarium dicti collegii factis, et si invenerint de consilio seniorum dicti collegii et aliorum consiliariorum utiles, validas et proficuas ad commodum dicti collegii factos, eosdem tractatus cum suis dependentiis ratificent, approbent et confirment, in plenaria Ordinis et generalis Capituli potestate.

30. Capitulum generale committit abbatibus de Septem fontibus et de Valle benedicta, et cuilibet eorum, quatinus diligenter se informent super tractatibus eisdem per dominum Pontigniaci exhibendis.

31. Committitur abbatibus de Morimundo et de Cheminione super quadam impignoratione cuiusdam stagni de Monasteriis in Argona.

32. Ad requestam domini de Pontigniaco seu eius procuratori, committuntur iudices de Firmitate, de Ursicampo et de Frigidomonte, s. th. pr. eorumque duobus, altero legitime praepedito, contra et adversus abbatem de Ioyaco.

33. Abbatibus de Fontemorum et Septem fontibus committitur, quatinus se informent super quosdam abusus in postulatione magistri Francisci de Peschmi in monasterio de Boschet, per quosdam religiosos dicti monasterii, et partibus vocatis quae per suas informationes invenerint, proximo generali Capitulo, aut domino nostro Cisterciensi referant.

34. Abbatibus de Bellavalle et de Charitate committit praesens generale Capitulum, quatinus debite et diligenter se informent super tractatu inito et habito inter Rmum D. Baptistam, miseratione divina episcopum Tusculanum, S. R. E. cardinalem, Sanctae Mariae in Porticu vulgariter nuncupatum, commendata-

rium monasterii de Alpibus in Sabaudia, per procuratorem suum nomine procuratorio utentem Franciscum de Muris, legum doctorem, et conventum eiusdem loci ex una, et honestum virum Guynetum Cussemenet burgensem Salinensem partibus ex altera, sicuti patet in litteris super hoc confectis ; et si invenerint tractatum fore ad utilitatem praefati monasterii, eumdem corroborent et confirment, seu alias infirment, in plenaria Ordinis potestate.

35. Abbatibus Veteris campi et de Campo Mariae committit praesens generale Capitulum, quatinus propere se transferentes ad monasterium monialium de Gravenhoest, in dioecesi Osnaburgensi, et facta ibidem diligenti inquisitione seu informatione super moribus et vita sororis Odae de Suetlage, quondam abbatissae eiusdem loci, quam intelleximus pro sua improbitate molestam esse tam modernae abbatissae quam toti illi congregationi, in grave detrimentum religionis et disciplinae ; id quod utile et necessarium decernant pro huiusmodi defectus emendatione per censuras et correctiones Ordinis ab eadem sorore Oda indissimulanter faciant observari, vel ipsam si ita expedierit ad primum suum monasterium compellant redire, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

36. Abbati monasterii in Hersbitehusen praecipit et ordinat Capitulum generale, quatinus solerti et vigilanti diligentia studeat et laboret indissimulanter citius quo poterit, suum monasterium secundum regulam sancti Benedicti et statuta nostrae sacrae religionis in utroque statu reformare, inhibendo singulis regularibus personis huius monasterii, ne huic sancto et devoto operi praesumant contraire, sub poena conspiratoribus debita, invocato ad hoc, si opus fuerit, consilio, auxilio et favore tam ecclesiastico quam saeculari, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

37. Generale Capitulum sufficienter et diligenter informatum de electione, promotione, institutione et installatione fratris Bernardi ... in monasterio B. M. in Linda, per abbatem monasterii in Wangrowitz, commissarium in hac parte Rmi R. D. N. Cisterciensis, factam, prout plenius, *etc.* confirmat, *etc.* supplendo, *etc.*

38. Forma simili confirmat Capitulum electionem fratris Geor-

gii in monasterio de Oliva, praesidente abbate monasterii Nemoris Mariae, commissario Rmi D. Cisterciensis.

39. Provisionem et promotionem fratris Ioannis de Malete, monasterii Caraevallis Mediolamensis religiosi professi, factam in monasterio Sanctorum Petri et Andreae de Ripalta, per dominos Firmitatis et Savigniaci, generale Capitulum confirmat, *etc.*

40. Provisionem, promotionem et installationem fratris Martialis Combes factam in monasterio de Fonte frigido, dioecesis Narbonensis, per Rmum D. Cisterciensem, iure devoluto, praesens generale Capitulum ... confirmat, *etc.*

41. Electionem, promotionem et installationem in monasterio de Novacella, per abbatem Veteris cellae factam de persona fratris Lucae, prout in decreto habetur, Capitulum generale confirmat.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

42. Praesens generale Capitulum ordinat abbatem de Mulbronn, commissarium monasterii monialium de Regisponte, super casu venditionis aliquorum bonorum immobilium per easdem moniales vendendorum, dum tamen pecuniae praedictae venditionis convertantur in uberiores usus iuxta formam *Benedictinae*, et si invenerit eamdem venditionem fore ad maiorem utilitatem praetacti monasterii, ipsam confirmet et corroboret, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

43. Considerans Capitulum generale diffinitionem praecedentis anni super moderatione pensionis concessae antiquo abbati Sancti Andreae, ipsam confirmat et corroborat auctoritate Capituli generalis.

44. Ad supplicationem abbatis monasterii in Monte Sancti Disibodi, cupiens aliqua bona immobilia eidem monasterio, ut praefert, minus utilia vendere, et in melius commutare, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Eberbaco et de Schonavia, quatinus debita informatione praemissa, si invenerit illa commutari in maiorem utilitatem praedicti monasterii, ipsam venditionem seu permutationem confirment et corroborent, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

REHABILITATIONES

45. Ad instantiam abbatis monasterii de Pietate, de gratia

speciali, praesens generale Capitulum fratrem Adam de Vraypassin, eiusdem monasterii expresse professum, ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula, quam contraxit seu contrahere potuit, pluries a proprio monasterio apostatando, et incontinentiae crimen tam infra monasterium quam extra incurrendo; quia etiam de manu violenta in aliquos religiosos fratres suos mittendo, idem generale Capitulum eumdem fratrem Adam relevat et rehabilitat, cum eo misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia et beneficia promoveri possit et valeat, abbatiali dignitate seclusa.

46. Praesens generale Capitulum super contritione et poenitentia fratris Ioannis Hallmer, religiosi monasterii Raythenhaslach, in ordine sacerdotali constituti, ad instantiam abbatis eiusdem loci, super eo quod apostasiam, et in ea celebrando irregularitatem incurrit, necnon super retentione aut detentione de quibus non reddiderat ad tempus debitam computationem aliquarum pecuniarum, his praetactis non obstantibus, cum eodem fratre misericorditer dispensat, quatinus ad omnes actus, officia, beneficia, abbatiali etiam dignitate inclusa, possit et valeat promoveri et admitti, ipsum ab omni infamiae nota et inhabilitatis macula relevando et rehabilitando, etc.

47. Ad humilem supplicationem abbatis de Valcellis, Capitulum rehabilitavit quatuor religiosos cuiusdam monasterii, videlicet fratres Carolum Germain, Iacobum Lescutin, Dyonisium du Trasnoit et Thomam de Nobecourt, ad omnes actus legitimos et dignitates Ordinis, inclusa abbatiali dignitate.

48. Ad humilem supplicationem abbatissae monasterii monialium de Belloprato super Lizam, praesens generale Capitulum sororem Elisabeth, religiosam professam eiusdem monasterii, ab omnibus infamiae et inhabilitatis maculis et notis relevat et rehabilitat, cum eadem dispensando, ut non obstante quod ante plures annos illicentiata asportando cum quodam armigero exierit monasterium per aliquot menses, possit et valeat ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus, officia, beneficia et dignitates promoveri et admitti, etiam abbatiali dignitate inclusa.

IUDICES

49. Dantur iudices pro Cistercio domini de Firmitate, de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, et quilibet eorum.

50. Ad idem, pro Cistercio (?), de Morimundo, de Maceriis et de Fonteneto, et quilibet.

51. Ad idem, pro Charitate, de Asseyo et Theoloco, et quilibet.

52. Honestus vir Denisius Ylarii, civis Pictavis habuit a Capitulo iudicem abbatem de Bonavalle.

53. Dantur iudices pro fratre Petro de Braseyo, Cistercii monacho, abbas de Villariis, de Grandiprato et de Valle Sancti Lamberti.

SUFFRAGIA

54. Ad humilem et devotam supplicationem honorabilis viri Remigi de Cirey, burgensis et mercatoris Divionensis, generale Capitulum confert confratribus confratriae seu confraternitatis fundatae in loco qui dicitur Saulx Le Duc, Lingonensis dioecesis, in honorem Conceptionis B. M. Virginis, in favorem et subsidium cuiusdam capellae apud eumdem locum aedificandae et construendae, participationem omnium bonorum spiritualium fiendorum in toto nostro Cisterciensi Ordine, per primum decennium.

55. Suffragium concessum ad supplicationem domini de Ursicampo, pro nobili et strenuo milite domino de Mailly et eius coniuge, in forma communi.

56. Pro inclyto et nobili viro domino Georgio Verre milite et consorte sua.

57. Pro honorabili viro domino Ioanne Shabo milite et consorte sua.

58. Pro domina Elisabeth, abbatissa de Berkyng et omnibus sororibus suis, Ordinis sancti Benedicti.

59. Pro Thoma Nidues et consorte sua.

60. Pro domino Ioanne Jobab milite locumtenente ex parte regis in villa Rupellae.

61. Pro Roberto de Merle et uxore sua.

62. Pro Radulpho Dorce et uxore usa.

63. Pro domino Ioanne de Mailly milite et uxore, ad instantiam abbatis Ursicampi.

64. Pro constructione et manutentione ecclesiae beati Petri de Moreyo, prope Cascolum, benefactoribus et manus porrigentibus adiutrices, Capitulum dat participationem omnium bonorum spiritualium in toto Ordine fiendorum.

65. Pro praeparatione dormitorii monasterii monialium de Bellomonte omnibus benefactoribus, Capitulum generale dat

participationem omnium bonorum spiritualium per proximum quinquennium.

66. Pro aedificatione capellae de Saulx Le Duc in honorem Conceptionis B. M., participationem omnium bonorum per proximum decennium.

67. Pro Io. Guyon, Rmi. D. N. barbitonsore et eius consorti, concedit Capitulum participationem omnium bonorum spiritualium in vita pariter et in morte.

68. Suffragium pro Christina Augsten moranti in Confluentia.

1501

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo primo, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b] ... etc. *ut in anno praeced.*
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster ... necnon in summa 10 315 libr. 12 solid. 4 denar. turon. absque errore commisso in computationibus anni immediate praecedentis, et etiam absque expensa Iubilaei pro toto Ordine, dominus Cistercii fideliter computabit et computat mixtim cum contributionibus quidquid recepit ex nationibus distantibus, quia de tota Gallia nihil recepit de dicto subsidio et remotiores regiones duci non possunt ad formam compu-

---

1501. *Fontes* : *He* : 35, 73 *cit. ex edit. in* CISTER.-CHRONIK, 1901, *p.* 185 ; L^5 : 1-28, 30-37 ; L^6 : 1-72, 74-83 ; P^2 : 1, 7, 24.

[a] *Titulus apud* L^5L^6. [b] Sub Alexandro 6°, *etc. ut in ann. praeced.* : P^2.

tationum Galliae, distinguendo subsidium a contributionibus, et tamen de expensa per eum facta pro dicto Iubilaeo nihil adhuc Ordini computavit, et venit computanda anno praesenti pro resta contributionum Capituli generalis anni immediate praecedentis et praecedentium de et pro tempore praeterito, et oporteat Ordinem ipsum varia et gravissima onera quotidie ultra consuetudinem occasione diversarum infractionum privilegiorum Ordinis et vexationum plurium insolitarum succrescentia necessaria supportare, quae absque multiplicibus et solito gravioribus expensis solvi, tractari et supportari non possunt, praesens generale Capitulum, apostolica sequendo praecepta, quibus sub gravissimis censuris praecipitur Capitulo generali et Diffinitoribus, ut post debitam informationem dictas contributiones de novo taxarent, limitarent, astallarent et imponerent cuilibet monasterio, iuxta cuiuslibet monasterii facultatem seu substantiam, quottam suam assignando ; ita ut ex eis expensae Capituli generalis ante omnia, deinde aliae communes expensae praedictae, et dicta Ordinis agenda, tam in Curia romana, in collegiis et aliis quibuslibet locis pertractari ac dirigi, dictique Ordinis privilegia et libertates commode tueri et defendi valeant, dictum generale Capitulum eo devotius et promptius adimplere et ad effectum deducere cupiens, per aliam diffinitionem et ordinationem specialem super huiusmodi contributionum distributione et astallatione anno Domini 1489 laboravit, quo cognovit astallationem, declarationem et taxationem huiusmodi in maximam totius Ordinis cedere utilitatem, antiquum sanctorum patrum super hoc ritum et formam prosequens, summas in dictis astallatione, taxatione et distributione contributionum expressas cuilibet monasterio in particulari tam apostolica quam totius Ordinis auctoritate imposuit, taxavit et astallavit, prout expressius continetur in registro per generale Capitulum super hoc cum deliberatione, ut praemittitur, facto et concluso, annis ex tunc sequentibus taxationem seu astallationem huiusmodi laudavit, approbavit et confirmavit, ac praesenti diffinitione, si et in quantum opus est, laudat, approbat et confirmat. Universis et singulis abbatibus, commendatariis, prioribus, cellerariis, bursariis, receptoribus, procuratoribus et officiariis monasteriorum sub poenis in litteris apostolicis, et in dicta diffinitione anno 89° edita quae incipit : Cum sicut in singulis, etc. *cum clausulis consuetis.*

7. Diffinitionem alio superiori Capitulo editam super transla-

tione Capituli generalis de septembri ad tempus Rogationum, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, etc.

8. Diffinitionem anno superiori de auditoribus computorum Ordinis per generale Capitulum factam, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, continuando auctoritatem ipsorum auditorum datam, de quibus praesens generale Capitulum contentatur.

9. Ordinis nostri dismembrationem et divisionem, maxime in transmontanis partibus, propter a Sancta Sede apostolica varias impetrationes, in Ordinis evidentissimum et enorme praeiudicium flebiliter deplangens praesens generale Capitulum diffinit et ordinat, quod ad regiam maiestatem christianissimi domini nostri regis, et aliis illustrissimis regibus, ducibus et magnatibus fiant supplicationes et requestae cum humilitate postulando, quatinus intuitu spiritualium bonorum, quae in Ordine universo fiunt, quorum sunt participes, sanctissimo domino nostro Summo Pontifici in favorem Ordinis scribant, maxime pro exemptorum ad Ordinem reductione, reunione et incorporatione, et pro privilegiis et indultis Ordini nostro a Summis Pontificibus concessis manutenentia et tuitione.

10. Capitulum generale volens animo pervigili et ardenti cura et sollicitudine intendere defensioni libertatum et privilegiorum Ordinis universi propter continua et evidentia pericula quotidie, proh dolor! universo Ordini emergentia in maximum Ordinis detrimentum, ordinavit, determinavit et diffinivit in diversis mundi climatibus, et signanter in Parlamentis Parisiis, Tolosae, Burdegalensis, et alibi ubi necesse fuerit, regnis, ducatibus, et ceteris christianae fidei partibus, creare, facere, constituere et passare, nomine dicti Ordinis, certas et validas procurationes coram quibuscumque regibus, ducibus, comitibus, baronibus, militibus, nobilibus et aliis quibuscumque pro iudicio sedentibus pro firmissima tuitione et defensione Ordinis universi, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

11. Quia huic praesenti generali Capitulo Ordinis rebus praematuris deliberationibus cogitatis, post earum omnium diuturnam et longam discussionem, tandem patribus Diffinitoribus visum est omnino expedire quod Ordinis commissarii generales in diversis mundi partibus deputandi sunt, tam in Francia, Burgundia, Britannia, Picardia, Normannia, Anglia, Scotia, Alemannia, Flandria, Italia, et aliis diversorum climatum regionibus,

praesens generale Capitulum ut nunc declarat et diffinit, quod per Rmum D. N. eligendos, quando opus eidem Rmo videbitur expedire, ordinet et committat, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

12. Generale Capitulum Ordinis negotia feliciter tractari paternis affectibus desiderans et mentis intuitum ad romanam Curiam dirigens, unde Ordini plura emanaverunt et derivantur incommoda, nisi de opportuno remedio provideatur, procuratori generali Ordinis in dicta Curia romana existenti districte mandat et praecipit, quatinus diligenter et fideliter per se vel per deputatum recipiat et colligat contributiones partium Italicarum et transalpinarum, et annis singulis ad generale Capitulum deferat vel deferri faciat, ut inde iuxta dicti Capituli deliberationem stipendiis Rmi D. protectoris nostri pro privilegiorum et libertatum nostrarum tutela et defensione, similiter eidem procuratori et aliis Ordinis pensionariis satisfiat et subveniatur.

13. Generalis Capituli providentia et sollicitudo animo gratissimo suscepit praesentias et relationes venerabilium patrum et abbatum de Rivosicco et de Sancto Petro in Gomello, plurimumque integritatem amicorum suorum laudavit et laudat. Qui etsi pro bono Ordinis nostri peterent et suaderent, quod daretur patribus inclytissimorum regnorum Hispaniae facultas et potestas congregandi se singulis annis in uno vel pluribus monasterio vel monasteriis Ordinis, celebrandique capitula provincialia, tam ad reformationem monasteriorum utriusque sexus, quam ad conservationem privilegiorum Ordinis, et ad alia quae videntur opportuna pro felici regimine monasteriorum et personarum, reductionemque eorum et earum ad pristinam formam et puritatem religionis, et ad alia quae viderint expedire statui Ordinis, in communi et in particulari, absque laesura statutorum et uniformitatis antiquae Ordinis. Nihilominus quia se praeparantes ad sui praesentis Capituli non potuerunt habere opportunitatem congregandi alios patres numero sufficienti ad praemissa, et ex parte aliorum abbatum nullum exhibuerunt in scriptis documentum, exceptis quibusdam litteris clausis abbatum de Populeto, de Petra, de Sanctis Crucibus, et quorumdam aliorum, in quibus fit mentio de multis statum Ordinis salubriter concernentibus, et

similiter de petitione huiusmodi capitulorum provincialium; sed dicti patres solum proprio et non reliquorum nomine in eisdem litteris loqui videntur. Super quibus generale Capitulum diutius cogitavit, et tandem deliberavit et conclusit petitiones huiusmodi iudicare laudabiles, desideriumque sanctum et intentionem rectam; tamen pro sereniori quietatione patrum et amicarum personarum Ordinis in partibus illis conclusit et diffinitione praesenti concludit, dando eisdem abbatibus de Rivosicco et de Sancto Petro in Gomello, et eorum cuilibet, potestatem, facultatem et mandatum speciale eisdem duobus abbatibus congregandi patres Ordinis in uno, in duobus, in tribus, in quatuor, in quinque aut in sex locis, prout eis expediens videbitur, communicandique et declarandi eis amicitiam et cordialitatem Capituli generalis et personarum Ordinis ad ipsos, deinde requirendi voluntatem et sententiam ipsorum super dictis capitulis provincialibus, conditionemque et dependentiam infra proximum generale Capitulum, quorum declarationem seu conclusionem ipsi duo patres vel apportabunt vel mittent ad proximum generale Capitulum pro habenda finali et pacifica conclusione; declaratque ipsum Capitulum prosecutiones istas fieri debere expensis communibus Ordinis, praecipiendo universis et singulis abbatibus, prioribus et ceteris personis regularibus monasteriorum eorumdem regnorum, quatinus humiliter et devote dictis commissariis Ordinis pareant et obediant in praemissis et ea tangentibus; nec omittant in conscientiis eorum nominare generali Capitulo abbates illorum regnorum quos iudicaverint esse magis idoneos ad deinceps habendum commissiones Ordinis in partibus illis, necnon ad praesidendum in futuris regularibus congregationibus, et aliis opus Dei concernentibus, ut in domo Dei unanimi consensu omnia fiant. Datum, etc.

14. Huic praesenti generali Capitulo ex parte abbatis de Claromonte, Cenomanensis dioecesis, extitit supplicatum, quatinus eidem monasterium suum in manibus Summi Pontificis vel Ordinarii licentia resignandi impertiri dignaretur; eius devotae petitioni tamquam rationabili et iustae, praesens generale Capitulum, iusta petentibus nusquam negare solitum, eidem benigne resignandi et cedendi donat et concedit licentiam et potestatem, in plenaria, etc.

15. Item, abbati Sconaviensi [e] ad eius humilem supplicationem

---

[e] *deest apud* L^5.

datur similiter licentia suum monasterium in manibus alicuius patrum Ordinis resignandi in favorem tamen personae in Ordine professae.

16. Inter abbatem de Pinu et eius pensionarium suborta quadam querela super solutione decimae novissime per S. D. N. Summum Pontificem impositae, pensionario ipso renuente solvere, se tandem ambo super huiusmodi negotio huic praesenti Capitulo arbitrio submiserunt, praesens generale Capitulum Ordinis supposita et personas in unitate, pace et concordia, cuilibet iustitiam ministrando, nutrire desiderans, re circumspecte agitata, diffinit et declarat quod pensionarius ipse iuvare tenebitur abbatem pro solutione dictae decimae in decem libris turonensibus, maxime attenta ipsius monasterii propter processuum diuturnam fatigationem paupertate.

17. Praesenti celebri generali Capitulo piae devotionis affectu ex parte sororum et abbatissae et conventus monasterii monialium de Argensoliis extitit supplicatum, quatinus eisdem licentiam celebrandi festum sanctae Barbarae, cuius venerandas habent reliquias, cum XII lectionibus et missa, ac etiam singulis diebus post Laudes et Vesperas commemorationem faciendi, impertiri dignaretur ; earum petitioni devotae praesens generale Capitulum salubriter annuit, et quod huiusmodi festum, ut praemittitur, celebrare possint et valeant.

18. Item, ex parte abbatis et conventus Sancti Andreae in Goffer extitit supplicatum, quatinus ob honorem et reverentiam beatissimi apostoli sancti Andreae, cuius venerandas habent reliquias et in dies ibidem corruscat miraculis, licentiam de cetero festum translationis eiusdem apostoli, cum XII lectionibus et missa, similiter celebrandi impertiri dignaretur, quod, ut praemittitur, permisit praesens generale Capitulum.

19. Item, abbati et conventui de Populeto ad eorum humilem supplicationem permittitur quod festum sancti Georgii cum XII lectionibus et missa, sicut in natali unius martyris non pontificis in Ordine solitum est, celebrare possint et valeant.

20. Conventui de Populeto ad eorum humilem supplicationem dat licentiam, quod quotiescumque monasterium ipsorum vacare contigerit, ad novam electionem patre abbate, cum sit saecularis, non vocato et inconsulto, procedere possint et valeant, sed pro eorum praesidente Ordinis commissarium, si quomodo potest

haberi, vel propinquiorem abbatem super hoc requirendum, recipiant.

21. Generale Capitulum totis praecordiorum affectibus querularum inter Rmum D. N. Cisterciensem et dominum Claraevallensem existentium finem anhelans et desiderans pacificationem consentit, approbat, et gratum habet, quod ad dictatum scientificorum virorum fiat aliquis communis actus, qui paci et concordiae conducere seu proficere possit et valeat, in plenaria, etc.

22. Ex parte abbatis et conventus monasterii de Barberio [a] huic praesenti generali Capitulo extitit expositum, quod praedictum monasterium, tam in manutenentia scolarium in Universitate Cadomensi, quam aedificiorum reparatione et nova eorum constructione, processuum gravamine, et alias diversas graves et excessivas sustinuit expensas, humiliter requirendo a missione scolarium ad Ordinis collegia usque ad immediate sequens quinquennium excusari, praemissis diligenter excussis et examinatis, ne ipsum monasterium nimis gravari videatur et importabilia sustineat incommoda, praesens generale Capitulum eum excusat et exonerat super missione scolarium ad quaecumque Ordinis collegia, usque ad quinquennium.

23. Item, propter processuum gravamina et pensionarios, quos sustinet monasterium de Sancto Andrea in Gofern, excusatur etiam ab huiusmodi scolarium missione, usque ad immediate sequens biennium.

24. Pro parte devotarum in Christo filiarum priorissae et conventus de Villaribus Caniveti huic praesenti generali Capitulo extitit expositum, quod retroactis temporibus, per antiquas et diversas priorissas pluribus et diversis personis etiam minus dignis plures fuerint dati vicariatus ad beneficia saecularia collationem earum obtinenda, humiliter requirendo, quatinus sic concessi vicariatus in Ordinis potestate revocarentur, dandi personis amicis Ordinis et ipsi monasterio ; quocirca abbati de Sancto Andrea praesens generale Capitulum committendo mandat et praecipit, quatinus omnes sic concessos vicariatus annullet et revocet, in plenaria, etc.

25. Attentis pieque per generale Capitulum consideratis gravaminibus, damnis et oppressionibus quae monasteria de Fusniaco, de Signiaco, de Boheriis et de Valle regis, in regni Franciae

---

[a] Lambeno : *L*5.

extremitatibus situata vexant occasione guerrarum, dictorum monasteriorum abbatibus concedit ut scolarem unum et non plures in collegio Sancti Bernardi Parisiis, cum provisionibus debitis usque ad immediate sequens triennium, ipsi pariter teneant, non obstantibus Ordinis diffinitionibus in contrarium editis.

26. Generale Capitulum sufficienter informatum de his quae fuerunt per Rmum D. N. Cisterciensem et per suos commissarios circa monasterium monialium de Hays, ac etiam de abusibus ibidem perpetratis per abbates de Stamedio, asserentes ipsum monasterium monialium subiectum esse eidem monasterio de Stamedio, laudat, acceptat, confirmat ea quae, ut praemittitur, acta fuerunt in dicto monasterio de Hays per praefatum Rmum D. et per commissarios suos, committendo regimen et administrationem dicti monasterii abbati de Vallecrescenti, ad hoc per praefatum R. D. deputato, usque ad aliam eiusdem R. D. vel Capituli generalis dispositionem, ac inhibendo districtius sub excommunicationis latae sententiae poena et aliis censuris ecclesiasticis abbati de Stamedio ne deinceps, per se vel per alium, directe vel indirecte, quomodolibet se occupet circa quamcumque visitationem aut administrationem, cuiuscumque generis fuerit in dicto monasterio de Hays, usque ad aliam D. Cisterciensis vel Capituli generalis dispositionem ; suspendit enim ipsum generale Capitulum usque tunc omnem iurisdictionem, quam abbas de Stamedio in eodem monasterio monialium praetendere potest, propter causas praedictas, absque tamen praeiudicio futuri temporis, cassatque et revocat omnia quae fuerunt facta in ipso monasterio monialium per dictos de Stamedio, aut deputatos seu commissos eorum, maxime a tempore quo praefatus dominus Cistercii manum apposuit, praecipiendo etiam abbatissae et monialibus eiusdem monasterii ne quomodolibet ipsi de Stamedio obediant usque ad aliam praefati R. D. Cistercii vel Capituli generalis dispositionem, committendo executionem praesentium universis personis Ordinis in sacro sacerdotali ordine constitutis necnon presbyteris omnibus et notis ecclesiasticis.

27. Ad praesentis generalis Capituli pervenit audientiam querela quaedam inter dominum abbatem de Altacumba, iuris canonici doctorem, et religiosos sui monasterii de Altacumba, asserentibus ipsis religiosis quamdam ipsi monasterio donationem seu fundationem 200 francorum auri annui et perpetui redditus factam per bonae memoriae illustrissimam dominam Bonam de Bor-

bonio, quondam Sabaudiae comitissam, pro certis missis anniversariis, psalteriis, singulis annis per praefatos monachos dicendis, per eosdem recipi debere et suis usibus applicari, dicto domino abbate oppositum arguente ; praesens generale Capitulum, re ipsa matura deliberatione utrinque discussa, diffinit, ordinat et decretat, quod religiosi ipsi de cetero iuxta religionis praecipuorum votorum emissionem, in communi et sine talibus particularitatibus vivent, et praefata fundatio deinceps per bursarium per ipsum abbatem deputandum recipietur, ipsi domino abbati ordinando, quatinus ipsis in infirmitate existentibus inde vel alias quibuscumque usui religioso necessariis, quod eisdem non remaneat occasio conquerendi, aut necessariis defectum quovismodo patiatur.

COMMISSIONES

28. Benedictus rex gloriae, qui ad divini cultus augmentum et sacri Ordinis nostri monasteriorum felicia incrementa, generosissimae menti nobilis viri Richardi de Merode, et Helenae eius generosae conthorali inspiravit, ut ipsi, fervore devotionis accensi, Ordinis nostri novum monasterium suis sumptibus fundare praetendant ; eorum super hoc devotis supplicationibus praesens generale Capitulum benignissime favens, abbatibus de Alna, de Iardineto et de Sancto Remigio, et duobus eorum committit, quatinus se personaliter transferant ad locum ubi de novo situandum est monasterium, illico diligenter inspecturi, si locus ipse sit aptus, decens et congruus, debitis et requisitis commoditatibus, iuxta Ordinis nostri formam et aliorum monasteriorum antiquam constructionem, munitus et refertus. Et similiter si a dioecesani iurisdictione emancipatus et exemptus, prout sunt cetera Ordinis monasteria. Quibus omnibus praehabitis ipsum monasterium construi procurent et permittant, in plenaria, etc.

29. Graviter ferens generale Capitulum querulosos rumores qui saepius in diversis locis promulgantur super ruina et desolatione, tam spirituali quam temporali monasterii Fontis Ioannis, adeo ut universa aedificia, etiam ipsa ecclesia in terram ruere et redditus ipsius ac pertinentiae deperditi dicantur, prout evidentius apparet per diversa munimenta in uno sacco sub sigillo Diffinitorum conclusa, committendo mandat et praecipit abbatibus de Barbereyo, s. th. pr., et de Sancto Andrea in Gofer, quatinus

accepto dicto sacco seu sacculo, in quo praemissa munimenta includuntur sub sigillo Diffinitorum, personaliter se transferant ad dictum monasterium Fontis Ioannis, et visis dictis munimentis seu pliculis, se super universis diligenter et fideliter informent per personas non suspectas, informationemque suam in scriptis sufficienter reducant et super his provisionem in eis possibilem adhibeant, in plenaria Ordinis potestate, visitando, reformando, corrigendo, praecipiendo et ordinando omnia et singula, quae secundum Deum et nostri Ordinis statuta ad utilitatem dicti monasterii viderint esse visitanda et corrigenda in capite et in membris. Si autem inveniant aliqua in quibus pro tunc opportune providere non valeant, ea ad proximum generale Capitulum remittant, citando citandos cum intimationibus consuetis, in quo dictas suas informationes cum providis consiliis suis aportabunt, ut Deo auxiliante de remediis provideant opportunis. Datum, etc.

30. Gratissimum habens generale Capitulum commissiones datas et assignatas per Rmum D. N. Cisterciensem abbati de Altacumba, sacr. can. doctori, tam super potestate visitandi, reformandi, etc. quam etiam super levatione seu perceptione contributionum, tenore praesentium dat eidem abbati de Altacumba potestatem et facultatem, per immediatum sequens triennium, recipiendi et admittendi cessiones seu resignationes omnium abbatum et abbatissarum monasteriorum in ducatu Sabaudiae et partibus circumvicinis situatorum, ipsisque monasteriis sic vel alias quomodolibet vacantibus per electionem canonicam, sive iure ad quemlibet Ordinis superiorem devoluto, de aliis abbatibus qualificatis sufficientibus et idoneis, in Ordine nostro professis, provisosque vel provisas, ut praemittitur, instituendi et installandi, institutionesque seu promotiones huiusmodi pro ampliori securitate dictorum monasteriorum confirmandi, necnon abbatibus et abbatissis cedentibus et benemeritis, iuxta monasteriorum qualitatem pensiones gratiosas et rationabiles assignandi, cum universis clausulis ad hoc opportunis.

31. Dominis abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus abbates de Ursicampo, de Veterivilla, de Sancto Mauritio et de Landavalle, quamdiu scolares in collegio Sancti Bernardi Parisiis non habebunt, compellant ad solvendum taxas subsequentes scolari de Langoneyo quolibet anno usque ad licentiatus gradum inclusive, abbatem de Ursicampo ad solutio-

nem septem librarum turonen. de Veterivilla septem, de Sancto Mauritio septem, de Landavalle quinque, et ad residuum praefati scolaris de Langoneyo cogatur abbas proprius, in plenaria, etc.

32. Committitur abbatibus de Bellavalle et de Charitate, quatinus se diligenter informent super certis alienationibus nonnullorum membrorum monasterii de Bitania factis per fratrem Ioannem de Salinis, quondam ipsius monasterii abbatem, in evidens detrimentum eiusdem monasterii, maxime super alienatione perpetua alicuius stagni et molendini, et tractatus desuper confectos si iniustos repererint, virtute privilegiorum nostrorum, cassent et annullent, in plenaria, etc.

33. Commissiones dudum datas abbatibus de Faesia [e] et de Ardorello praesens generale Capitulum ratificans et approbans ulterius diffiniendo, dat eis auctoritatem, quod ipsi auctoritate Capituli generalis in vacantibus monasteriis in suis commissionibus contentis, iure ad superiorem devoluto, ubi opus esse videbunt, provideant, cuiuscumque filiationis aut generationis, et ad quemcumque superiorem spectent praedicta monasteria, et eorum dispositio.

34. Praesens generale Capitulum dudum in Ordine confectas diffinitiones inconcussas servari desiderans, committit abbatibus de Igniaco et de Regalimonte, et cuilibet eorum, quatinus abbatem de Gardo compellant et cogant ad solutionem decem librarum turonen. commendatorio de Boquiano, ad quod monasterium quidam religiosus praefati abbatis de Gardo, nomine Ioannes d'Abeville, certis de causis, usque ad Ordinis dispositionem per Capitulum generale transmissus est.

35. Praesenti generali Capitulo ex parte abbatis de Sancta Cruce extitit expositum, quod certos fundos ad monasterium eius pertinentes, quos pacifice possidere non potest eosdem cum vicinis baronibus, in melius [f] et monasterii utilitatem permutare desiderat super hoc patrum [g] habita deliberatione praematura, committitur abbatibus de Zwetl [h] et de Novomonte, quod se super huiusmodi fienda permutatione diligenter informent [i] et pro dicti monasterii commodo [j], in aequitate quod [k] fieri debebit, faciant et procurent, in plenaria, etc [l].

---

[e] Farzia : L^5. [f] *deest He.* [g] petitum : *He.* [h] Zireta : L^5 ; Zivetl : L^6. [i] informarent : *He.* [j] utilitate : *He.* [k] quid in aequitate fuerit, debebunt facienda, in plenaria... : *He.* [l] *Ex orig. perg. He add.* : Datum in diffinitorio... *etc.*, Abbas Caritatis, m. p.

36. Abbatibus de Bardonis, de Loco Dei, de Fonte frigido et de Ardorello, et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent super abusibus et excessibus quorumdam religiosorum monasterii de Candelio, maxime eorum qui post decessum piae memoriae abbatis novissime defuncti, in multis dicuntur errasse, et multa bona dicti monasterii violenter diripuisse et consumpsisse, et etiam super regimine cuiusdam fratris Reymondi, qui inter alios asseritur multum deliquisse, et debitis informationibus factis secundum quod in aequitate iustitiae corrigendum et puniendum repererint, corrigant, puniant et emendent, iuxta sacri Ordinis nostri constitutiones et statuta, in plenaria, etc.

37. Item, abbatibus de Trisayo et de Charone committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informent super articulis per promotorem causarum Ordinis datis contra fratrem Radulphum Bardoyum, religiosum de Gratia Dei, qui huic Capitulo personaliter citatus, infirmitate praeventus, per procuratorem legitimum comparuit, et quae super huiusmodi articulis receperint eorum informationibus ad futurum et proximum, ipso citato referant et portent.

38. Item, abbatibus de Misericordia Dei et de Stella committitur quod se super articulis eisdem proponendis ex parte promotoris causarum contra religiosos de Valentia, videlicet fratrem Ioachim priorem, Ioannem Gentil et Maturinum Carteyn se diligenter informent, et quae super his corrigenda cognoverint, corrigant et emendent, etam si opus sit per corporum suorum incarcerationem, officiorum privationem, et a proprio monasterio emissionem, corrigant et emendent, in plenaria, etc.

39. Domino abbati de Altacumba, sacr. can. doctori, committit praesens generale Capitulum, quatinus se diligenter informet super controversis et querela monasterii monialium de Brione, et tam in causis appellationis, si quae emanaverint, quam materia principali, eius dependentibus et eam tangentibus, citatis citandis et auditis audiendis, cognoscat et procedat, diffiniat, terminet et exsequatur, revocando quantum ad hoc specialiter potestatem et auctoritatem quorumcumque aliorum iudicum seu Ordinis commissariorum, ipsi soli domino abbati de Altacumba huius negotii decisionem, dispositionem et ordinationem remittendo.

40. Item, eidem domino abbati de Altacumba cum aequali

potestate committitur super monasterio monialium Sanctae Amicae de Hest.

41. Ex parte abbatis et conventus monasterii de Eberbaco huic praesenti generali Capitulo extitit supplicatum, quatinus eisdem aliqua sui monasterii bona ipsi monasterio minus utilia licentia alienandi ac in melius commutandi concederetur, praesens generale Capitulum abbatibus de Sconavia et de Monte Sancti Disibodi committit, quatinus se diligenter informent super huiusmodi fienda alienatione, et quod in aequitate, si pro eiusdem monasterii utilitate faciendum cognoverint, faciant, in plenaria, etc.

42. Ex parte fratris Ludovici du Temple pro abbate monasterii de Buxeria Andegavensi se gerentis, ad praesentis generalis Capituli audientiam extitit appellatum a certis gravaminibus eidem factis et inflictis, tam ratione novae electionis religiosorum eiusdem monasterii de novo abbate facta, quam confirmationis eiusdem, quibus ratione iuris per eum ad ipsius monasterii dignitatem abbatis provisi asserit se gravatum, praesens generale Capitulum unicuique iustitiam ministrare desiderans, dominis abbatibus de Prulliaco et de Caroliloco, s. th. pr., committit, quatinus se diligenter informent super huiusmodi gravaminibus, planius in instrumento appellatorio super hoc confecto habitis et contentis, et re agnita dictae appellationis causam finiant et terminent, in plenaria, etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

43. Electionem, provisionem, iustitutionem, promotionem et installationem de persona fratris Ludovici de Rupe ad monasterium Boniradii, Ordinis nostri, per dominum Pontigniaci, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii, rite... approbat, supplendo, etc.

44. Provisionem, institutionem et installationem de persona fratris Anthonii Dubout, ad dignitatem abbatialem monasterii de Gratia Dei, Pictaviensis dioecesis, factam per abbatem de Bonavalle Pictaviensi, vicario in hac parte domini Claraevallis, patris abbatis ipsius monasterii de Gratia Dei... confirmat, etc.

45. Idem generale Capitulum electionem de persona fratris Radulphi Huart ad monasterium de Tironello, Cenomanensis dioecesis, factam per abbatem Sancti Andreae in Goffer... ratificat, supplendo, etc.

46. Idem Capitulum generale provisionem de persona fratris Henrici Muset ad monasterium Dalbdnen [*Dobranense*] Corwermens [*Sverinensis*] dioecesis, per abbatem de Vermelumegesboen [*Amelunxborn*] patrem abbatem ... confirmat, supplendo, etc.

47. Idem Capitulum provisionem de persona fratris Henrici Nocten, monasterii Boni [*Novi* ?] campi per abbatem de Gilda [*Hilda* ?] vicarium Rmi D. N. factam... confirmat, etc., supplendo, etc.

48. Idem generale Capitulum electionem de persona fratris Mathiae ad monasterium de Gilda [*Hilda ?*] per abbatem Tuberanensem [*Esromensem*] eiusdem monasterii patrem abbatem... confirmat, etc., supplendo etc.

49. Idem Capitulum, electionem de persona fratris Symonis Blidmen ad monasterium Hilibuhusen [*Hiddensee*] per abbatem de Novocampo, patrem abbatem eiusdem monasterii... confirmat, etc., supplendo, etc.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

50. Praesens generale Capitulum committit domino abbati de Altacumba, iuris can. doct., ut se diligenter et sollicite informet super tractatu habito et passato inter abbatissam et conventum monialium de Bons ex una,et Petrum Aparin laicum parte ex altera, de quibusdam molendinis dictis du Vernet situatis prope dictum monasterium de Bons, prout plenius constat in litteris, quibus praesens diffinitio annectitur, et si invenerit huiusmodi tractatum utilem monasterio, confirmet, ratificet et approbet, in plenaria, etc.

51. Item, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Fonteneto et de Quinciaco, quatinus super donatione facta per fratrem Petrum Castellani, religiosum monasterii de Rigniaco, ante religionis ingressum, pro fundatione trium missarum qualibet hebdomada in ipso monasterio de Rigniaco, sollicite et diligenter se informent, et quidquid super huiusmodi donatione seu fundatione prout in tractatu, cui praesens diffinitio annectitur expressius habetur faciendum repererint, confirment vel infirment, in plenaria, etc.

52. Item, abbati de Maceriis committitur quatinus super tractatu inito, facto et passato inter abbatissam et conventum de Loco Dei, et Dionysium Colin de Nuciaco, super quodam mo-

lendino dicto le Moulin de la duchesse, situato in suburbiis dicti Nuciaci, se fideliter et diligenter informet, et si dictum tractatum seu contractum utilem esse monasterio cognoverit, confirmet, etc.

53. Item, abbatibus de Quinciaco et de Longovado et cuilibet eorum committit praesens generale Capitulum, quatinus se informent super duobus tractatibus initis, factis et passatis inter abbatem de Fonteneto et Petrum Panier super venditione et actuamento unius peciae vineae sitae in finagio et territorio cuiusdam grangiae du Pressoir, prout in litteris super hoc confectis continetur, et unius prati sibi in finagio de Cornay vocati au prey Michiel, et si invenerint dictos tractatus confirmandos, illos confirment, etc.

54. Item, committitur abbatibus de Morimundo, s. th. pr., et de Caroloco et cuilibet eorum, quatinus se diligenter informent super affranchisamento cuiusdam villagii nuncupati Circis per abbatem de Crista facto, et quidquid per suas informationes faciendum repererint, proximo referant generali Capitulo.

55. Tractatum initum et passatum inter abbatissam et conventum monialium de Maloduno et sororem Perenetam Latellière, ratione duodecim librarum turonensium, eidem Perenetae pro trecentis libris per eam dictae abbatissae et conventui datis assignatarum, praesens generale Capitulum secundum sui formam et tenorem confirmat.

56. Ex parte abbatis et conventus monasterii de Caroloco huic praesenti generali Capitulo expositum fuit, quod pro monasterii eorum utilitate et pro gravibus debitis relevamento, super hoc praehabita deliberatione, vendiderunt et perpetuo alienaverunt quoddam stagnum dictum le Carnot, ipsis tamen iustitia manumortua annuo censu et potestate redimendi totiens quotiens reservatis, his per generale Capitulum diligenter examinatis committit abbatibus de Claromonte et de Valledulci, quatinus se super huiusmodi venditione seu perpetua alienatione diligenter informent, et si pro utilitate monasterii factam invenerit tractatus sive contractus inter partes initos, passatos et habitos, confirment ratificent et approbent, in plenaria, etc.

REHABILITATIONES

57. Humilis abbatis de Fonteneto huic praesenti celeberrimo

generali Capitulo porrecta supplicatio in favorem fratris Henrici Biguerne, professi eiusdem monasterii de Fonteneto promeretur, ut ipse praenominatus frater peculiari gratia habeatur commendatus. Sane praesenti Capitulo generali eiusdem abbatis supplicatione innotuit quod, humani generis hoste antiquo suadente, et ad hoc iuventutem suam propellente, praedictus frater Henricus, post emissum stabilitatis votum, iuvenili caeca aetate duce, monasterium ipsum de Fonteneto, licentia non habita, exivit habitu regulari relicto et dimisso, et per saeculum vagus per biennium extiterit ; propter quod iuxta Ordinis statuta inhabilitatis et infamiae notam incurrisse dignoscitur. Sed tamen, divina eum illustrante gratia Dei, ad cor rediens, suae professionis votum repetiit et sibi iniunctam pro modo culpae poenitentiam corde contrito suscepit et peregit, praesens generale Capitulum omnem inhabilitatis, apostasiae et infamiae notam penitus abolendo misericorditer et de gratia speciali cum eodem fratre Henrico dispensat, ut non obstantibus praemissis ad omnes et singulos Ordinis actus, voces, gradus, officia, beneficia, honores, dignitates, et administrationes, etiam dignitate abbatiali inclusa, promoveri et assumi possit et valeat, si sua aliunde exigant merita. Omnibus et singulis Ordinis nostri regularibus personis, sub censuris Ordinis et poena talionis prohibendo, ne eidem fratri praemissorum quidquam impropret, quominus hac praesenti gratia gaudeat et utatur, in plenaria, etc.

58. Licet in nostri Ordinis statutis et diffinitionibus caveatur ne personae, quae de legitimo matrimonio procreatae non fuerint, ad officia et dignitates Ordinis promoveantur, et frater Augustinus de Rabosco, expresse professus, huiusmodi defectum patitur, de eius religiositate, et morum gravitate, supplicatione proprii abbatis praesens generale Capitulum sufficienter informatum praedictum fratrem Augustinum, defectu natalium non obstante, rehabilitat, et ad omnes Ordinis gradus, voces, officia, etc. dignitate abbatiali nullatenus inclusa. Omnibus, etc.

59. Item, simili forma sororem Catherinam in monasterio monialium de Felici prato novitiam, in defectu natalium patientem, praesens generale Capitulum rehabilitat.

60. Item, fratrem Ioannem de Burgis, monasterii de Buxedo expresse professum, in defectu natalium patientem, praesens generale Capitulum rehabilitat, dignitate abbatiali seclusa.

61. Item, devotas sorores moniales monasterii de Villerio ex-

presse professas, Mariam de Ruralis et Mariam de Fryes, similiter rehabilitat praesens generale Capitulum, dignitate abbatiali seclusa.

62. Item, ad supplicationem abbatis de Ursicampo rehabilitatur frater Girardus de Coupes, super apostasia per eum contracta a monasterio praefato exeundo, et per quinquennium, habitu regulari reiecto, per saeculum vagando, dignitate abbatiali nullatenus inclusa.

63. Item, ad supplicationem abbatis Sconaviensis rehabilitatur frater Georgius, professus eiusdem monasterii, qui per septimanam dumtaxat per saeculum vagus sine licentia extitit, dignitate abbatiali nullatenus inclusa.

64. Ad supplicationem abbatis de Bonavalle Pictaviensi, praesens generale Capitulum dispensat cum fratre Henrico de Coursic, monasterii de Bonavalle professo, qui licet primo de Ordine Mendicantium ad nostrum, contra privilegia et Ordinis nostri statuta, se transtulerit, nihilominus et his non obstantibus ad Ordinis nostri gradum, voces et honores, etiam dignitate abbatiali inclusa, admitti possit et valeat.

IUDICES

65. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., de Regalimonte et de Charoloco et cuilibet eorum committitur, quatinus omnes et singulas Ordinis personas quas monasterio Cisterciensi per litteras testimoniales, munimenta, cedulas et alia legitima documenta, tam in pecuniis, vino, blado, etc. debitores repererint, coram se vocatis partibus, ad plenam solutionem cogant et compellant, in plenaria, etc.

66. Item, idem committit generale Capitulum abbatibus de Fonteneto et de Maceriis, et cuilibet eorum.

67. Committitur abbatibus de Prulliaco, de Regalimonte et cuilibet eorum, ut cogant et compellant abbatem de Sigilleriis ad restituendum omnia bona mobilia, litteras, cartas et munimenta, quae ex monasterio de Barbello dicitur asportasse.

68. Committuntur iudices abbates de Longovado et de Quinciaco.

69. Item, pro monasterio de Valcellis committitur iudex abbas de Laude, s. th. pr.

70. Pro monasterio de Valledulci, committuntur iudices abbates de Charoloco et de Acceyo.

71. Item, pro monasterio de Ardorello committuntur iudices abbates de Bardonis, de Loco Dei et de Fonte frigido, et quilibet eorum.

72. Item, pro monasterio de Rivosicco committuntur iudices abbates de Palaceolis, de Buxedo et quilibet eorum.

73. Nos frater Ioannes, abbas Cistercii... *etc.* et est talis: Committimus abbati de Sancta Cruce in Austria, quatinus, coram se vocatis quibuslibet, omnes et singulas Ordinis personas, quas monasterio de Zwetell per cedulas aut alia legitima documenta repererint debitores, ad solutionem cogant et compellant, in plenaria, *etc.* Datum, *etc.* Remigius abbas Cariloci, m. p.

EXCUSATIONES ABBATUM

74. Praesens generale Capitulum necessitatibus, infirmitatibus et certis abbatum propter victualium generalem caristiam expensis, excusat omnes et singulos Ordinis abbates a via Capituli pro hoc anno, dummodo id in Ordinis contemptum non fecerint.

SUFFRAGIA

75. Quamquam lege divina et mutua charitate qua sibi invicem universi christicolae iunguntur pro omnibus generaliter orare et intercedere teneamur et obligamur, pro illis tamen singularius astringimur qui nobis et Ordini nostro, necnon locis et personis regularibus eiusdem pia affectione affici dignoscuntur. Eapropter exigente piae devotionis affectu, quem ad Ordinem nostrum circumspectum et scientificum virum magistrum Edmundum Julien, iuris divini pariter et humani licentiatum, praesens generale Capitulum veridica relatione novit habere, supplicationi eius super hoc porrectae benigno concurrens assensu, eidem et suae conthorali plenariam concedit omnium bonorum spiritualium participationem, videlicet, *etc. enumeratio consueta,* ita quod cum obitus eorum, utinam in Domino felices, nostro generali Capitulo fuerint nuntiati, ibidem sicut nostrum absolventur, etc.

76. Ad idem, pro honesto viro Ogerio Lome et coniuge sua.

77. Ad idem, pro honorabili viro magistro Nicolao Gilles et consorte sua, christianissimi domini regis Parisiis computorum auditori.

78. Ad idem, pro confratribus confratriae Conceptionis B. M. Virginis in ecclesia de Contatini et Dandrenay.

79. Ad idem, pro nobili viro Hectore de Joue et uxore sua.

80. Ad idem, pro honorabili viro Ioanne Seuret et conthorali sua.

81. Ad idem, pro honorabili et circumspecto viro magistro Roberto de la Cormere, in utroque iure licentiato et officiali Sagiensi.

82. Ad idem, pro venerabili viro magistro Laurentio Gruel presbytero.

83. Ad idem, pro venerabili viro domino Roberto Brian, eleemosinario domini ducis Alenconii.

1502

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo secundo, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc. ut in anno praeced.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Cum Ordo noster... Iacobo abbati et conventui monasterii Cistercii ... necnon in summa 13 499 libr. 8 solid. 8 denar. turonensium pro resta computationum generalis Capituli ... *etc. ut in anno praec.*

7. Diffinitionem anno superiori a Capitulo editam super translatione Capituli generalis de septembri ad tempus Rogationum, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat.

8. Considerans [c] generale Capitulum necessitates et negotiorum

---

1502. *Fontes* : *A*⁴ : 16 *(abbr.)*, 69, 72 ; *He* : 62 ; *L*⁵ : 1-61, 63-72 ; *M* : 39 ; *P*² : 1, 6, 7, 8, 10, 12, 16 *(abbr.)*, 23, 24, 39, 67 ; *Va* : 40 ; *W* : 16 *(abbr.)*.

[a] *Titulus apud L*⁵. [b] Sub Alexandro 6º... Iacobo abb. Cistercii : *P*².

[c] Cf. Cistercienser-Chronik, t. XIII, 1901, p. 249, *Litt. patentes. Iacobi abb.*

multiplicitates, quae adhuc Ordinem premunt et se diebus singulis offerunt, taxam contributionum annis ultimis impositam ad subveniendum et succurrendum dictis negotiis usque ad sequens proximum triennium continuari mandat, propter causas ad plenum et clare in diffinitorio expositas, necnon ad solvendum expensas quae hoc anno factae fuerunt in Curia ad obtinendum generalem privilegiorum Ordinis confirmationem, simulque ut Rmo domino protectori et generali Ordinis procuratori in Curia provideatur, et aliqua possit eis summa pecuniae ministrari, quod non fuit ultimis annis factum, obstante dicti Ordinis paupertate et agendorum multitudine.

9. Quia propter negligentiam commissariorum ab recipiendum contributiones ordinatorum, qui nec ad Capitulum venire, nec receptas pecunias simulque suas computationes mittere volunt, Ordo noster maximis implicatis est involutus, et maxime in ordinatione generalium computorum, adeo quod nescitur quid quis solverit et quantum. Eapropter in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, praecipit et ordinat praesens generale Capitulum, ut omnes et singuli Ordinis dictarum contributionum receptores, anno immediate sequenti receptam per eos integralem ad generale Capitulum una cum bonis et specificatis computationibus deferant, et statum suarum receptarum ad plenum manifestent, certa de restis debitis documenta afferant, ne excusationes quas quidam praetendunt super pecuniis Ordinis per eos concessas in praeiudicium et damnum reipublicae et status pecuniarii de cetero vergant. Similiter faciant dicti commissarii sub eisdem poenis de restis subsidii ultimo impositi.

10. Cum praecipua generalis Capituli cura sit et merito esse debeat melioratio monasteriorum et profectus virtutum, quibus ad salutis bravium subditos filiosque suos manuducat, cupiat

---

Cist. ad abbatem de Sancta Cruce, istam diffinitionem concern., et eumdem abb. delegantes ad recip. contrib. ; *in fine legitur* : Sequuntur nomina et taxae dictorum monast. : de Hylaria septem flor. ren., de Cella angelorum septem flor., Paunnetperg *(sic)* septem flor., de Valle Dei septem flor., de Zwetzla decem flor., de Sancta Cruce quindecim flor., de Sancta Trinitate sex flor., de Novomonte sex flor., de Runa quindecim flor., de Victoria decem flor., de Campoliliorum duodecim flor., de Psitich sex flor., de Landstras sex flor., de Altovado septem flor., de Altofonte quinque flor. Datum in monasterio nostro Cistercii sub appensione sigilli nostri die 14[a] mensis augusti anno Domini 1502. S. Sanson.

quoque summis desideriis exemplo summi Pastoris, qui ovem perditam propriis imponens humeris ad gregem reducere dignatus est, errantes a via recta et semitis a sanctis patribus ordinatis denuo in melius reformare, tramitem quoque semitarum Domini ostendere pro posse affectet, quatinus ubi abundavit delictum superabundet gratia, felicioribusque futuris actibus bonis deleri valeant quae perperam gesta fuere, et propter quae Deus merito in Ordinem nostrum et filios exercere posset vindictam et christianus populus scandalizari. Eapropter praesens generale Capitulum subscriptos articulos dudum videlicet anno Domini 1493 in congregatione patrum Ordinis Parisiis facta editos, et per tunc immediate sequens immediate generale Capitulum confirmatos, tamquam tempore praesenti convenientissimos, laudavit, approbavit ac de novo edidit et decrevit, ac praesenti diffinitione decernit, volens in eis contenta a singulis Ordinis regularibus personis observari sub poenis et censuris Ordinis, praecipiendo omnibus patribus abbatibus, visitatoribus et ad reformationem commissariis ordinatis, ut eisdem expositis et declaratis ad eorum executionem compellant, rebelles, contemnentes et contravenientes puniendo censuris et aliis Ordinis poenis.

11. Dolenter accepit praesens generale Capitulum quorumdam commendatariorum et episcoporum adinventionem in privilegiorum Ordinis totalem, ut merito timeri debet, enervationem, ac proinde in totius nostri Ordinis dissolutionem ; quamplures etenim ex illis obedientiam Capitulo generali, Rmo D. Cistercii, patribus abbatibus generalis Capituli et patrum ordinariorum commissariis a filiis Ordinis debitam, praetextu talium qualium apostolicorum indultorum extorquere et sibi debere praetendunt. Quibus incommodis obviare volens generale Capitulum, omnibus et singulis nostri Ordinis regularibus personis, in virtute obedientiae salutaris et sub excommunicationis latae sententiae poena, cuius absolutionem Rmo D. N. et Capitulo generali reservat, districte praecipit abbatibus et abbatissis, quorum monasteria monasteriis talibus commendatis subiecta sunt, ne de cetero eis visitationis officium exercere volentibus obediant, nec praesumat quisquam huiusmodi monasteriorum commendatorum aut Ordinis professus a dictis commendatariis officia in spiritualibus requirere vel oblata recipere, seu professiones facere, etiam si prima post probationem fuerit, sed haec omnia a patribus abbatibus et Ordinis commissariis recipiant, et sperent iuxta antiquorum pa-

trum maiorum nostrorum instituta, privilegiis sacrorum conciliorum et apostolicorum Ordini nostro indultorum confirmata.

12. Mandat et praecipit generale Capitulum omnibus abbatibus, abbatissis, et universis nostri Ordinis prioribus et priorissis, regimen et administrationem monasteriorum habentibus, ut nullus de cetero teneatur nec debeat quemcumque monachum aut monialem, conversum aut conversam, nisi sibi fuerint professus seu professa, in monasteriis suis, suis expensis, absque Rmi D. N. Cisterciensis expresso mandato tenere seu nutrire, nullos etiam hospites sine suorum abbatum aut patrum superiorum vel Ordinis commissariorum licentia et permissione, de quibus tamen in promptu facient apparere, sub poenis et censuris Ordinis respective recipere teneantur.

13. Quia propter negligentiam patrum abbatum et visitatorum Ordinis universi, qui monasteria suis monasteriis subiecta visitare annuatim omittunt, plures et varii casus, defectus quoque scandalosi in dictis monasteriis et Ordinis personis reperiuntur, unde Deus ultionem parare, nisi multum misericors esset, merito timeretur, scandaloque universo populo christiano sunt quamplures Ordinis praedicti loca et personae. Eapropter in virtute sanctae obedientiae, et sub censuris Ordinis talibus patribus abbatibus visitationem monasteriorum sibi immediate subiectorum habentibus, et commissariis a Rmo D. N. Cisterciensi, a Capitulo generali, vel a patribus abbatibus deputatis, districte praecipiendo mandat, quatinus de cetero visitationes suas singulis annis faciant, et super negligentia, si omiserint, sequenti generali Capitulo veniam petant.

14. Generale Capitulum mandat et praecipit sub censuris Ordinis et secundum *Benedictinam*, omnibus et singulis qui tenentur et astringuntur mittere suos scolares ad studium Parisiense, quatinus eosdem scolares absque dilatione infra festum sancti Remigii proxime futurum, mittant cum sufficientibus provisionibus ; compellantque eos patres abbates et commissarii ad hoc deputati, ut id facere non omittant.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

15. Generale Capitulum considerans abbatis de Lubens prudentiam, religionis zelum, suosque compositos mores, in solatium et levamen laborum quos pertulit veniendo ad praesens generale

Capitulum, benigne et gratiose eidem concedit, ut ipse possit et valeat omnes et singulas nostri sacri Ordinis regulares personas in Slesia, in foro conscientiae semel et pro hoc anno tantum a quibuscumque casibus Capitulo generali reservatis absolvere, et pro his salutares poenitentias, ut res exegerit, iniungere ; simulque ut possit hanc absolvendi gratiam abbatibus praedicti Ordinis nostri in dicta Slesiae patria existentibus quoad suos proprios religiosos impertiri, in plenaria Ordinis et Capituli potestate.

16. Dolenter accepit Capitulum generale querimoniam abbatis de Veteri cella, per quam exposuit quod quidam frater Fredericus Mertol non reveritus locum sacrum, non quod divinum celebrabitur officium, non divinum sacramentum, sacras quoque sanctorum reliquias, sed nec venerabilem dicti monasterii conventum, inter stallum abbatis et prioris latenter in ecclesia introcurrens, spiritu ductus diabolico, abbatem ex una, et priorem partibus ex altera laetaliter extracto cultello laesit, propter quam huiusmodi causam dictum Fredericum malefactorem ad carceres perpetuos in pane tristitiae et aqua doloris condemnat, ordinando suo abbati, ut pro eius absolutione Sedem Apostolicam requirat, ad quam dicti casus absolutio est reservata.

17. Supplicatione abbatum Ordinis nostri in Slesia et eorum paupertate per abbatem de Lubens praesenti Capitulo generali, enarrata et declarata misericorditer condolendo, dictum generale Capitulum cum eisdem sic dispensat, ut proximo triennio ad studia scolares mittere minime cogantur, monendo eosdem ut dicto tempore durante sic aliquos de suis monachis disponant, quod tempore expleto sine mora quod minus facere nunc possunt, compensent.

18. Mandat et praecipit Capitulum generale fratri Ioanni Mercheron, religioso de Pinu, sub poena excommunicationis, quatinus infra duos menses a data notificationis praesentium computandos habeat profiteri alicui Ordini abbati. Quod si profiteatur alibi et se transferat, nulla bona dicti monasterii secum deferat, nisi de consensu et beneplacito fratris Caroli de Montjournal abbatis moderni ipsius loci de Pinu, et adhuc sub inventario, ut possit postmodum quae sunt sui monasterii recuperare.

19. Cum praesenti Capitulo per abbatem de Lubens humiliter expositum fuerit, quod in monasteriis Slesiae plures ad nostrum Ordinem noviter venientes, novitiorumque habitum suscipientes,

moti utinam a Spiritu Sancto, ante annum probationis expletum regularem professionem et monachicum habitum a dictis abbatibus respective prout unumquemque eorum concernit, sibi concedi instantissime requirunt. Ideoque humiliter per praefatum abbatem, quatinus a nobis facultas id faciendi concederetur requisierunt. Quod quam periculosum sit, attendens praesens generale Capitulum diu an concedi deberet, propter fraudes et dolos nonnullorum ficte profitentium, haesitans permansit. Tandem tamen de dictorum abbatum discretione, prudentia, religionis zelo, simulque vigilantia confidens, benigne annuit dictum generale Capitulum, ut ipsi Slesiae abbates tales sic importune postulantes sic ad professionem recipere valeant, ita tamen si devotione et non simulatione id perpenderint postulari, super quo coram Domino Deo et Christo eius, Spiritu quoque Sancto, totaque curia superiorum civium, conscientias suas onerat, mandans atque praecipiens, ne illud praecipitanter et faciliter faciant. Ante omnia autem temporis non impleti mentionem faciant, talesque sic profiteri requirentes non prius recipiantur ad professionem, quam illi tempore anni probationis minime adimpleto renuntiaverint, et partem quam impleverunt pro toto acceptare firmaverint.

20. Quia praesens generale Capitulum abbatem et conventum monasterii B. M. de Ioyaco cognovit cum Ioanne Tabourot seniore, ad praesens vero defuncto, et Iacobo Tabourot, Ioanne etiam Tabourot iuniore, de quadam firma, cui le Pressoir de Rubentard nomen est, tractatum minus utilem, imo vero damnosum iniisse seu habuisse ; et quia non intendit idem generale Capitulum tales damnosos tractatus confirmare, sed potius pro viribus infirmare, per praesentes litteras praedictum tractatum cassat et revocat, adnihilat et annullat, dispensando cum eisdem abbate et conventu super iuramento praestito in dicto tractatu, in plenaria Capituli generalis et Ordinis potestate.

21. Ad petitionem abbatis de Lanneyo, per Frigidimontis abbatem expositam, qua gratiose requirebat secum super missione scolaris dispensari, omnibus quae super hoc consideranda erant pensatis, et matura patrum deliberatione digestis, sic cum eodem abbate gratiose dispensat generale Capitulum, quod per proximum biennium tenebit unum de suis iuvenibus religiosis ad litteras dispositum in aliqua scola grammaticae, et loco honesto collocare, ubi in primitivis scientiis studiis sic imbui valeat, ut post

huiusmodi biennium capax sit ad maiores capessendas scientias in collegio nostro Sancti Bernardi Parisiis, dando eidem licentiam et mandatum sic faciendi, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

22. Attenta temeritate et irreverentia seu inobedientia fratrum Reginaldi Flonoy et Thomae Guérin, religiosorum monasterii de Barbereyo, praesens Capitulum generale abbati dicti monasterii praecipit et mandat, ut quamprimum et possibile fuerit, eosdem mancipet carceribus et indissimulanter eos iuxta suorum exigentiam demeritorum puniat et emendet ; et quia in tantum eorum execrabilis audacia excrevit, ut merito formidetur ne spiritu diabolico impulsi vim inferre praesumant, districte praecipiendo mandat dictum generale Capitulum vicinis abbatibus, quos vocare voluerit antedictus abbas de Barbereyo, quatinus eidem adiutorium et favorem praebeant, invocato ad hoc, si opus fuerit, et viderit expedire, saecularis brachii consilio, auxilio et favore.

23. Quia ad notitiam Capituli generalis pervenit, quod monachi monasterii B. M. de Prato benedicto, tamquam iniquitatis et inobedientiae filii, mandatum cartae visitationis primum per Rmum D. N. Ioannem Cisterciensem, et annexae postea per abbatem Claraevallis, commissarium abbatis Pontigniaci, ad eorum regimen et mores componendos, ordinatarum, obtemperare seu obedire nolunt, exquirentes excusationes in peccatis, praetextu cessionis praedicti Rmi domini, malis huiusmodi occurere volens dictum Capitulum generale, districte praecipiendo mandat in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, omnibus et singulis dicti monasterii de Prato bendito regularibus personis, quatinus nonobstante cessione praedicta et quibusvis aliis, quae frivole allegare possent, praeceptis et ordinationibus dictarum cartae visitationis et annexae, secundum ipsarum tenores obediant, et quae in eis mandantur pro viribus exsequi non negligant.

24. Capitulum generale debite informatum de merito causae seu processus pendentis moram domino Praeposito [d] Parisiensi, aut eius locum tenente, inter fratrem Radulphum Huart actorem ex una, et Ludovicum Le Breton reum seu defensorem partibus ex altera, ratione monasterii B. M. de Thironello, dat in mandatis

---

[d] Papa : *P*[2].

et ordinat discreto viro magistro Ioanni de la Porte, dicti Capituli generalis et Ordinis in curis Castelleti Parisiis procuratori, ut cum dicto Radulpho Huart dicti monasterii electo et confirmato, in dicto processu pro iuris et privilegiorum auctoritate et interesse dicti Ordinis et Capituli generalis se adiungat, dicti Radulphi tamen expensis.

25. Visis litteris compulsoriis domini Petri de Acoliis de Aresio, iuris utriusque doctoris, ac causarum sacri Palatii apostolici a Sanctissimo D. N. Papa auditoris deputati, sub data Romae in Palatio apostolico 11 mensis aprilis anno Domini 1502 emanatis, impetratis et obtentis pro parte dilectae nobis in Christo filiae sororis Bernardinae de Thuardis, assumptae abbatissae monasterii nostri B. M. de Spina, alias de Brion nostri Ordinis, Taurinensis diocesis, eisdem obtemperando serie praesentium abbatibus de Frigidomonte et de Valle dulci praesentis Capituli notariis, et cuilibet eorum ordinando praecipit, quatinus omnia acta et diffinitiones dudum in nostris Capitulis generalibus editas, et in registris Ordinis registratas, de quibus dicta soror Bernardina se et ius suum praetensum in dicto monasterio de Brione defendere intendit, sibi sub sigillo nostro aut alias per modum extracti, transsumpti aut vidimus, suis expensis, dare et tradere non omittant, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

26. Cum nuper Capitulo generali extiterit manifestum durante sessione patrum ipsius Capituli generalis, apud Divionem, quod frater Nicolaus Darcy, religiosus expresse professus monasterii B. M. de Voto, licentiam ab abbate dicti monasterii de Voto haberet, quaecumque beneficia ecclesiastica, si apostolica auctoritate vel cuiuslibet alterius ad id potestatem habentis, eidem canonice conferantur, per se vel per procuratorem acceptare et retinere valeat, meritorum ipsius Darcy intuitu, prout in litteris patentibus desuper confectis et nobis ostensis, sigillo dicti abbatis sigillatis, et suo signo manuali signatis, et datis die 14ª mensis ianuarii anni 1501, continebatur, quarum quidem litterarum tenor postea coram notario apostolico et testibus, prout in instrumento nobis similiter ostenso et desuper facto habetur de assensu, certa scientia et voluntate ipsius abbatis facta fuisse et passata, per saepe dictum abbatem et recognita et dictis primis litteris addicta est, prout tenor instrumenti tenet et ostendit. Licentia etiam quaedam alia nobis est ostensa per alias litteras patentes abbatis Firmitatis, Rmi D. N. Cisterciensis et Capituli generalis plenaria

potestate fungentis, sigillo dicti de Firmitate sigillatas et subscriptione notarii sui subsignatas, de data ultimae diei mensis martii post Pascha anni 1502. Volendo benigne et gratiose cum dicto Darcy agere, concedit generale Capitulum intuitu servitiorum per eumdem Darcy Ordini nostro factorum in defensione dicti monasterii contra commendatarium et conventum commendatario faventem, in defensione privilegiorum et statutorum Ordinis, et aliarum diligentiarum suarum, ut possit et valeat huiusmodi licentiis gaudere, suam onerando conscientiam et monendo prudentiam simulque discretionem, ut non ad perniciem suae salutis tali nostra licentia abutatur, sed ut vir bonus et sapiens, secundum Dei et Ordinis praecepta regulariter vivendo, utatur. Praecipiendo sub poenis et censuris Ordinis, omnibus et singulis nostri saepedicti Ordinis regularibus personis, ceteros vero rogando quatinus cum hac nostra praesenti gratia seu licentia gaudere faciant et permittant.

27. Ad insinuationem promotoris causarum notum factum est praesenti generali Capitulo, quod abbas de Insula de Ré in praeiudicio privilegiorum et statutorum Ordinis abbatem de Moroliis, ratione cuiusdam frustratoriae appellationis coram domino archidiacono Alniciensi iudice apostolico procedere compellit, Ordinis iudicibus spretis. Eapropter mandat praesens generale Capitulum districte praecipiendo omnibus et singulis regularibus personis Ordinis universi, ceteros vero Ordini non subiectos rogando, quatinus dictum abbatem de Insula de Ré ad nostrum futurum proximum generale Capitulum peremptorie compariturum citent, sub poenis et censuris Ordinis. De hiis quae super praemissis exsecuti fuerint aut alter eorum fuerit exsecutus certificando.

28. Abbati de Castellariis praecipit generale Capitulum, quatinus fratrem Ioannem Billardi suosque consortes, quos in magnum Ordinis scandalum et suae salutis praeiudicium vitiose et male vivere significatum est, per inspectionem quarumdam informationum super vita et moribus eorumdem per eumdem de Castellariis eorum abbatem factarum, sub sigillo diffinitorii reclusarum cum praesentibus, ordinando ut quamprimum ei possibile fuerit, ad monasterium praedictum revocet, et vocato secum abbate de Bonavalle Pictaviensi iuxta suae discretionis dictamen, et ut eorum demerita exigunt, puniet ita quod ceteris cedat in

exemplum, poteritque interim eosdem carceribus mancipare, in plenaria Ordinis potestate.

29. Quod factum est per abbates de Bonoportu, Rmi D. N. Cisterciensis in partibus Normanniae commissarium in plenaria Ordinis potestate, necnon de Strata, de Barbereyo, s. th. pr. in monasteriis de Thesauro, de Gomerifonte, et de Fonte Guerardi, Ordinis nostri, super facto reformationis dictorum monasteriorum, commissioni seu cartae visitationis D. N. Rmi Cisterciensis inhaerendo, easque sequendo, praesens generale Capitulum ratificat et approbat, eisdem abbatibus dando auctoritatem et plenarium posse puniendi et corrigendi cuncta quae punienda et corrigenda invenerint, in contravenientes et rebelles dictarum ordinationum vindictam exercendo, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

COMMISSIONES

30. Committitur abbatibus de Firmitate, de Frigidomonte, de Regalimonte et de Caroliloco, quatinus habeant ordinare super contentis in supplicatione praesentibus sub contrasigillo alterius notariorum Capituli generalis annexa, compellendo per omnes iuris et iustitiae vias omnes quos factum in eis mentionatum concernit, determinationi eorumdem commissariorum obedire, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

31. Quoniam ex parte bursarii collegii Sancti Bernardi fuit humiliter praesenti Capitulo expositum, quod nonnulli Ordinis abbates, tam paucas et tardas provisiones suis scolaribus in dicto collegio existentibus mittant, ut ipse bursarius apud mercatores obligatus remaneat in multis pecuniarum summis, ratione victualium et aliarum rerum necessariarum ad dictorum scolarium sustentationem acceptarum, in Ordinis plurimum dedecus et scandalum. Eapropter volens generale Capitulum huic subvenire incommodo, et collegium Sancti Bernardi Parisiensis a periculis debitorum, quae accidere possunt ex eo quod plurimi scolarium exeunt, suis debitis non solutis, abbatibus de Firmitate, de Regalimonte et Frigidimontis praecipit et mandat, ut per omnes iuris et iustitiae vias, sub poenis etiam et censuris Ordinis viriliter compellant ad solvendum eidem bursario debita omnia a quibuscumque Ordinis personis, ratione praemissorum, in plenaria Ordinis potestate.

32. Generale Capitulum relatu fide dignorum certioratum de

vita, honestate et litteratura fratris Petri Morrandi, religiosi B. M. de Grandisilva, sperans uberiores studii sui fructus in posterum suscipere, abbatibus de Firmitate, de Frigidomonte et Regalimonte, et cuilibet in solidum committit, quatinus abbates de Trappa, de Loco Dei in Pontino, de Ellancio et de Vallibus Sernay, compellant ad solvendum eidem fratri Petro pro sui continuatione studii quilibet summam decem librarum turon. annuatim, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

33. Quia praesenti generali Capitulo per abbatem de Candelio fuit humiliter expositum, quod fratres Antonius Patocis et Antonius de Fonte, et alius cui Cambrescat nomen est, dicti monasterii de Candelio expresse professi, posteaquam... [c] dominum cardinalem Dalebiet [?] contra Ordinis nostri privilegia et ordinationes, periculum animarum suarum, per Summum Pontificem et Ordinem latarum contemnendo postulaverunt sine obedientia, imo contra abbatis et prioris dicti praeceptum, seu prohibitionem, terras et dominia domino comiti de Castres spectantia vagabundi inhabitant, in maximum nostri Ordinis et dicti monasterii dedecus et scandalum, dictorum fratrum abusibus contravenire et animarum saluti consulere cupiens generale Capitulum, abbatibus de Faesia, de Bardonis, de Loco Dei et de Fonte frigido eiusdem Ordinis, firmiter dat in mandatis et in virtute salutaris obedientiae praecipit, ut eosdem fratres sic scandalose viventes, per citationem aut corporis captionem, quamprimum id se facere posse cognoverint coram se venire faciant, ut per omnes iuris et iustitiae vias, simulque Ordinis censuras et poenas, secundum eorum demerita puniant et corrigant, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

34. Praesens Capitulum generale committit abbatibus de Bellavalle, de Charitate, de Bithania et de Gratia Dei, aut eorum duobus, quatinus super diversis controversiis et querimoniis iam a longo tempore ortis, occasione negatae iustitiae, inter potentissimum dominum de Novocastro ex una, et abbatem de Lococrescenti partibus ex altera, se diligenter et debite informent, et quidquid invenerint proximo generali Capitulo referant.

35. Committitur abbatibus de Theoloco et de Charitate, et eorum cuilibet in solidum, quatinus super fundatione et aedificatione novarum forgiarum super ripariam de Loignon, monaste-

[c] Quaedam verba excidisse videntur.

rio B. M. de Bellavalle loci situatione spectantis, pro termino 29 annorum, pro pretio annuali 18 librarum turon., et 200 libr. ferri per magistrum Crelin, magistrum forgiarum aedificandarum, se diligenter et debite informent, et si dictam aedificationem dicto monasterio Bellaevallis utilem et fructuosam invenerint, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

36. Ad relationem Rmi in Christo patris domini abbatis Cistercii, s. th. pr., qui se debite et diligenter informavit, informationesque fecit tum per religiosos de Crista quam etiam per nonnullos alios testes probos, fide dignos, super affranchissamento villagii de Sireis, ipsi dicto monasterio de Crista spectantis, et quia dictum affranchissamentum perutile et fructuosum dicto monasterio de Crista invenit, idem Rmus D. Cisterciensis, prout retulit praesenti generali Capitulo, dictum tractatum affranchissamenti, prout in litteris quibus praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

37. Visa supplicatione generali Capitulo pro parte abbatis et conventus de Signiaco porrecta, praesentique diffinitioni alligata, matureque pensatis causis et rationibus in eo narratis, generale Capitulum abbatibus de Ellancio et de Ygniaco dicti Ordinis, Remensis dioecesis, et eorum cuilibet in solidum praecipit et committit, quatinus omnes et singulas eiusdem monasterii de Signiaco computationes, cum debito examine calculi ac vigore, vocatis vocandis, videant, examinent, et eas prout rationabiliter faciendum agnoverint approbent, corrigent et expediant, salva in ceteris iurisdictione patris abbatis in eodem Signiacensi monasterio, et absque praeiudicio eiusdem Capituli generalis, in plenaria Ordinis potestate.

38. Cum nuper ad notitiam nostram pervenerit, quod vacante monasterio monialium de Blandeca, Morinensis dioecesis, dicti nostri Ordinis Cisterciensis, abbati Claraevallis immediate subiecto, per mortem defunctae sororis Ioannae Dazincourt, ultimae dicti monasterii abbatissae, priorissa et conventus eiusdem monasterii in praesentia et de licentia coabbatis nostri de Claromarisco, commissarii et visitatoris a praedicto abbate Claraevallis aut eius vicariis generalibus specialiter deputati, die ad eligendum futuram abbatissam in dicto monasterio de Blandeca praefixa, via scrutinii electa, ad electionem processerunt, et votis singularum eligentium in scriptis redactis, collectis et publicatis, com-

muni collatione habita, inventum est, quod maior numerus seu duplo maior pars dicti conventus, prout continet decretum electionis praedictae, in sororem Claram Crapitte, eiusdem monasterii de Blandeca expresse professam, consensit, et in suam futuram abbatissam nominavit seu elegit ; minor vero pars aliam sororem Ioannam du Mersnit, eiusdem etiam monasterii professam nominavit. Quam quidem electionem dictae sororis Clarae uti a maiori numero et duplo maiori parte factam, praefatus commissarius abbas de Claromarisco, virtute suae commissionis eamdem sororem Claram praedicto monasterio de Blandeca praefecit, eam installando ac regularem administrationem in spiritualibus et temporalibus eidem committendo. Cui quidem sic electae omnes singulae eligentes, dempta praenominata Ioanna du Marsuit *(sic)*, obedientiam fecerunt, et in suam abbatissam receperunt. Remisit tamen praedictus commissarius confirmationem vel infirmationem praedictae electionis ad praefatum abbatem Claraevallis, cuius vicarii generales, videlicet senior abbas et prior monasterii Claraevallensis, virtute sui vicariatus dilectis coabbatibus nostris de Longovillari et de Caricampo, et eorum cuilibet, causae cognitionem, causamque confirmationis vel infirmationis praedictae electionis commiserunt et delegaverunt. Qui quidem commissarii, iuxta suae formam commissionis, informationes seu inquisitiones fecerunt super contentis in decreto electionis praedictae, necnon super circumstantiis et qualitatibus ad negotium electionis canonicae spectantibus, tam circa formam in electione observatam, quam insufficientiam, sufficientiam, habilitatem vel inhabilitatem personarum, tam electarum quam eligentium. Et quia partibus auditis, difficultatem invenerunt, totum negotium ad dictum abbatem Claraevallis remiserunt, cuius praedicti vicarii rursus commiserunt et iniunxerunt praenominatis abbatibus de Longovillari et de Caricampo, ut negotium prout iuris foret et rationis, terminarent. Ratione cuius quidem reiteratae commissionis praedictus abbas de Longovillari solus processit ad ulteriora, a quo fuit ex parte dictae sororis Clarae appellatum, sicque negotium dimisit praedictus commissarius imperfectum. Et post venerandus pater, frater Ioannes de Divione, senior abbas Claraevallis, virtute appellationis praedictae et alias ad instantiam et querimoniam praedictae sororis Clarae Crapette *(sic)*, quosdam deputabit et delegavit iudices commissarios, videlicet abbates de Dunis et de Laude, quibus materiam

una cum principali negotio confirmationis vel infirmationis, necnon alias providendi de abbatissa dicto monasterio de Blandeca commisit, cum clausula revocatoria aliorum quorumcumque commissariorum, ceterisque clausulis opportunis. Virtute cuius quidem commissionis, praefati abbates de Dunis et de Laude citationem decreverunt cum intimatione revocationis commissionis directae abbati de Longovillari. Sed interim dictus senior abbas Claraevallis se sufficienter informatum et de negotio sufficienter instructum asserens, quoscumque a se deputatos commissarios revocando, quamdam sententiam suam protulit declarando saepedictam sororem Claram inhabilem ; electionem de ipsa factam cassando, et eam, quae de persona praefatae sororis Ioannae facta fuit, quamvis a minori parte conventus et eligentium, approbando et confirmando, eamque ex abundanti praedicto monasterio de Blandeca praeficiendo, regimen quoque et administrationem sibi committendo, ac eamdem in possessionem realem et actualem mitti et induci mandando. Verum quia praedictam sententiam, tamquam parte non vocata, postquam commissionem dicti nuper abbatis Claraevallis non legitime latam viribus non subsistere censemus, neque negotium super praedictis et pertinentiis fuisse sufficienter et plene, prout iustitia exigit, discussum, tamquam etiam partibus non plene auditis processum fuerit, eisdem partibus aut earum procuratoribus seu nuntiis super praemissis invicem altercantibus, prout nobis in Capitulo nostro generali fuit expositum, iustitiam instanter postulando. Hinc est quod praedictis processibus attentis et consideratis, cum hiis quae nobis verbo exposita fuerunt a praedictarum partium nuntiis, volentes totum negotium rite et recte rerumque veritate plene discussa et cognita, summarie tamen et de plano, secundum Ordinis nostri statuta et privilegia esse terminandum et decidendum. Et ne diutius propter altercationem et contentionem praedictarum partium, monasterium praememoratum remaneat improvisum, et ne nimis patiatur aut diutina vacationis dispendia, de earumdem partium procuratorum seu nuntiorum assensu, vobis abbatibus de Firmitate et Caroliloco pro parte dictae Ioannae du Maisnit *(sic)*, et de Laude ac de Valcellis pro parte dictae Clarae Crappette nominatos et acceptatos, nostra auctoritate utrique et alteri vestrum a singulis partibus vel eorum procuratoribus seu nuntiis nominatis et acceptatis, committendo mandamus, ceteras quascumque commissiones super negotiis prae-

dictis revocando, quatinus partibus praedictis aut earum procuratoribus vocatis et auditis, seu in sufficienti contumacia positis, cuncta causae merita discutiatis, et super toto negotio, tam appenditiis quam principali procedatis, prout iuris erit et rationis, iurisperitorum adhibito consilio, omnibusque visis et singulis diligenter perspectis et consideratis partium titulis, instrumentis, documentis, informationibus, inquestis, ceterisque quibuscumque munimentis, ad sententiam diffinitivam inclusive super confirmatione vel infirmatione electionis, controversiis quibuscumque cum appellatione remotis, praedictam sententiam vestram executioni plenarie demandando. Quod si neutram praedictarum electarum ius habuisse ex electionibus praetactis inveneritis, aut neutram electionem fuisse iuridicam reperitis, ex defectu formae, inhabilium personarum, vel ex alio quocumque vitio annullativo, si eligentes in eligendo mutue peccasse ad discussionem processus inveneritis, ad easdem eligentes electionem faciendam remittatis, eisdem super hoc terminum competentem praefigendo, et abbatem non suspectum qui praesit iuxta Ordinis statuta deputando. Si vero pro ea vice privatas fuisse inveneritis, dicto monasterio de Blandeca de persona idonea et sufficienti, iuxta Ordinis statuta, providentis, ipsam in abbatissam per vos, sicut praemittitur, provisam praeficiendo, eamque in realem et actualem possessionem immittendo, aut immitti seu indui faciendo. Ceteraque omnia et singula circa praemissa et ab eis dependentia exesquendo, prout iuris fuerit et rationis, proviso quod in praedictis exsequendis ac terminandis, uterque aut saltem alter ex qualibet parte nominatis et acceptatis commissariis procedat, in plenaria Ordinis potestate. Omnibus igitur, *etc.*

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

39. Non potest praesens generale Capitulum sine gravi dolore commendarum voragines, quae diebus singulis per universum Ordinem dissipationes bonorum et morum depravationes inducunt, adeo quod non possint Ordinis regulares personae cum forsan fuerint pastore destitutae patres suos abbates adire, et ea quae ad novi pastoris substitutionem, secundum iuris et statutorum nostrorum institutionen requiruntur, peragere, importunis extraneorum ac potentum supplicationibus et minis praepediti. Eapropter provisionem, quae sub sigillo Diffinitorum praesenti-

bus est annexa, de monasterio B. M. de Flarano per abbatem de Faezia factam confirmat, et eiusdem roboris esse decernit ac si per patrem abbatem immediatum data fuisset, supplendo omnes et singulos defectus, si qui supervenerint aut supervenire poterint, attento quod idem de Faezia vicarius seu commissarius Rmi D. N. abbatis Cisterciensis illis in partibus ordinatus fuerat, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

40. Visis litteris decreti electionis, promotionis et institutionis fratris Ioannis du Presseur, ad dignitatem abbatialem monasterii de Valle Sancti Lamberti, Leodiensis dioecesis, via scrutinii per priorem et conventum coram abbate de Molinis, vigore commissionis abbatis de Signiaco eiusdem loci de Valle Sancti Lamberti patris abbatis immediati, rite electi et per dictum abbatem instituti ... *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

41. Electionem, installationem et confirmationem rite et canonice factam per abbatem Nemoris Mariae, virtute cuiusdam commissionis Rmi D. N. Ioannis abbatis Cistercii de persona fratris Ioannis Czudelitis in monasterio de Blesobb, prout in decreto, *etc.*

42. Quia ad notitiam praesentis generalis Capituli per litteras provisionis seu decreti, cui praesentes una cum redintegrationis litteris annectuntur, pervenit, quod abbas de Claratumba post institutionem fratris Stephani in monasterio de Corona primo facta, eumdem privare et destituere non est veritus, deiiciendo eumdem fratrem Stephanum ne praeesset in iam dicto monasterio de Corona. Eapropter generale Capitulum considerans omnia in dicti decreti litteris et redintegrationis mentionata, esse et fuisse facta secundum nostri sacri Ordinis iustituta, ea tamquam iuri consona et conformia ratificat et confirmat, nonobstante quacumque deiectione per dictum de Claratumba acta, quam nullius esse roboris aut valoris decernit idem generale Capitulum.

43. Quia Capitulo generali fuit ad instantiam R. P. D. episcopi Posnaniensis, una cum supplicatione magnifici domini Ambrosii de Pampair... *(cetera desunt)*.

44. Audita relatione quorumdam patrum super vita et moribus fratris Petri Romani, professi monasterii de Mansiade commendati, ordinat praesens generale Capitulum abbatissae de Clavasio, quatinus eumdem fratrem ad sui et suarum omniumque regularium personarum dicti monasterii confessiones audiendi recipiat, secundum sacri nostri Ordinis statuta et consuetudines,

ut ad officium confessoratus monialium dicti Ordinis et monasterii spectat cum privilegiis, libertatibus, emolumentis pro talibus dari et haberi consuetis, dum tamen dictum monasterium alio idoneo et sufficienti confessore non fuerit iam provisum, praeferendo dictum Petrum Romanum omnibus et singulis aliis quantumcumque sufficientibus per alios quam a Rmo D. N. Cisterciensi, patrem abbatem aut Ordinis commissarios deputatos, in plenaria Ordinis potestate.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

45. Tractatum seu conventionem annuae pensionis inter abbatem de Pinu et fratrem Ioannes Mercheron passatum de summa 80 libr. turon, annuatim solvenda et demum assignata super domo, grangia et capella de Bois Berthaud, pratis, terris, nemoribus, et aliis praediis et possessionibus, vineis, molendino de Bourceaut, magnis pratis Deschu de Baron et Philonya, modo et forma quibus hactenus et specialiter solvere et tenere assueverunt censuarii, necnon super viginti sextariis siliginis mensurae Montaveul boni super praeceptore de Lavanceail, 20 solidis turon. octo mensuris siliginis reditualibus debito per les Agnis, duabus chargiis frumenti sensualibus per les Pincaulx et Cohins debitis, sub pactibus in compositione et compositionibus inde successive ratificatis, praesens generale Capitulum confirmat in plenaria Ordinis potestate.

46. Tractatum, cui praesens diffinitio sub Diffinitorum sigillo annectitur, praesens generale Capitulum servitiorum, per fratrem Ciricum suo monasterio in ipsius tractatus litteris mentionato, factorum, sperando quod praefatus Ciricus persistet in utilitate et commodo monasterii Mansiadae et illius honorem, quantum sibi fuerit possibile procurabit, praemissorum intuitu, confirmat et approbat, permittens dictum Ciricum gaudere bonis et rebus proventibus et de bonis mentionatis in dicto tractatu.

47. Abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte et provisori collegii Sancti Bernardi Parisiensis, et eorum cuilibet in solidum, generale Capitulum committit ut super magnis debitis factis in domo cuiusdam hospitissae dictae Lagelée Rotissière, Parisiis commoranti, per certos scolares dicti collegii pro diversis et pluribus cibariis per eosdem scolares a dicta hospitissa acceptis pro eorum actibus, tam theologiae quam artium, se diligenter et debite in-

forment, tam per testes fide dignos, scedulas obligatorias, confessiones seu alia quaecumque legitima documenta noverint iuste teneri et obligari in quibuscumque pecuniarum summis, ad eidem dictae Lagelée plenarie realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

48. Abbatibus de Gardo et de Longovillari, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus debite et diligenter se informent super contentis in tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Valloliis ex una, et Claudium de Wieire scutiferum partibus ex altera, cui haec praesens diffinitio annectitur ; et si eumdem tractatum invenerint rationabilem et iustum ac utilem et fructuosum dicto monasterio de Valloliis, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

49. Abbatibus de Caricampo et de Gardo, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super tractatu partium in eodem mentionatarum, cui haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, se debite et diligenter informent, *etc. ut supra.*

50. Duos tractatus iunctos concordatos et passatos inter abbatem et conventum Benedictionis Dei ex una, et Ioannem Raphanelli partibus ex altera, super duabus accensationibus seu novis traditionibus, et nonnullis aliis terris incultis nullius aut modici valoris, prout in dictis tractatibus continetur, praesens generale Capitulum ratificat, *etc.*

REHABILITATIONES

51. Supplicationi abbatis Ursicampi condescendens generale Capitulum fratrem Odonem Normacii, dicti monasterii professum, attentis eiusdem fratris poenitentia salutari et morum emendatione, ab omni inhabilitatis et infamiae nota, pro et ex eo quod mulierem suspectam in ipsum monasterium introduxisse, inibique et alibi cum eadem in carnale contagium corruisse convictus est, contracta ; benigne relevando cum eodem fratre misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, si sua id in posterum exigant merita, suorumque superiorum intervenerit assensus, promoveri valeat et assumi. Universis et singulis eiusdem Ordinis personis inhibendo, ne

praedicto fratri praemissorum occasione quidquam improperent nec eum praepediant, quominus praesenti dispensationis gratia pacifice gaudeat et utatur.

52. Ad instantiam abbatis de Signiaco asserentis quod licet frater Pontius Goberti, dicti monasterii professus presbyter, quondam et spreto stabilitatis voto ab eodem monasterio quinquies illicentiatus exiens, per saeculum vagabundus per quatuor aut quinque menses, iteratis vicibus, erravit, insuper etiam ter in apostasia celebravit, unde inhabilitatis et irregularitatis notam incurrit. Quia tamen ad ipsum suae professionis locum sponte rediit, et iniunctam sibi pro excessibus huiusmodi poenitentiam devote peregit, et pristinos mores in melius commutavit, generale Capitulum cum eodem fratre misericorditer dispensavit, ut his non obstantibus ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, si sua id in posterum exigant merita, promoveri valeat et assumi. Universis *etc. ut supra.*

53. Generale Capitulum supplicationi abbatis de Bullencuria condescendens, attenta salutari poenitentia fratris Balduini Lauson, eiusdem loci professi, eumdem fratrem ab inhabilitatis nota per eum, cum adhuc adolescens esset, ab eodem monasterio sine licentia discedens, et per quatuor dies in saeculo existens, contracta eum benigne relevat, et cum eodem misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes *etc.* Universis, *etc. ut supra.*

54. Ad idem, pro sorore Arsenia de Benedicta valle, quae carnis contagium commisit, puerperio secuto, ad requestam domini abbatis de Longovado, rehabilitetur, ad omnes Ordinis actus legitimos gradus, voces, officia, beneficia, administrationes, abbatiali inclusa dignitate.

55. Ad idem, pro sorore Melenchta de Benedicta valle, ad instantiam domini abbatis de Longovado, super eodem casu.

56. Ad idem, pro fratre Simone de Arenbaren, professo monasterii de Longavado, ad instantiam dicti sui domini abbatis, super eodem casu.

IUDICES

57. Ad audientiam praesentis generalis Capituli pervenit, quod inter abbates de Firmitate ex una, et de Insula de Re, nostri Cisterciensis Ordinis, partibus ex altera, nonnullae querelae seu querellarum occasiones versantur, seu versari verisimiliter

praesumuntur. Eapropter abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, nostri praefati Ordinis, et cuilibet eorum in solidum damus per praesentes auctoritatem inquirendi, audiendi et diffiniendi, quae inquirenda, audienda et diffinienda secundum aequitatem invenerint ; etiam in quibuscumque causis et querelis quae inter eos versari et haberi possunt, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, partes ipsas per omnes iuris et iustitiae vias et Ordinis praefati statuta et diffinitiones ad faciendum et sufferendum, quae per sententiam, ordinationem et diffinitionem eorum sententiatum, ordinatum et diffinitum fuerit, compellendo.

58. Cum inter abbatem de Voto et fratrem Nicolaum Darcy, religiosum expresse professum dicti monasterii, graves et partibus scandalosae versarentur querelae et quaestiones, quae iam pro parte terminatae erant per Rmi D. N. commissarios, ut patere potest per iudicatum, sive sententiam datam per commissarios in capitulo dicti monasterii de Voto et totius dicti monasterii conventus et abbatis, nonnullorum quoque nobilium et ecclesiasticarum personarum praesentia, videbatur quatinus partes inter se pro reliqua parte et toto residuo amicabiliter componere debere, spe cuius et nonnullarum promissionum per dictum abbatem factarum, saepedicti commissarii intactam reliquerunt dictae commissionis partem. Sed nescitur qua maligni pacis impatientis et persecutoris suggestione, plures prioribus additae sunt scandalorum et discordiarum motiones, quae coram Rmo D. N. et dominis Diffinitoribus in partium praesentia declaratae fuissent, tandem partes ipsae ad suggestionem dictorum Rmi et Diffinitorum consenserunt, simulque convenerunt, quod compositio pacis eorum dominis abbatibus de Bonoportu, s. th. pr., de Noa, de Mortuomari, et de Bellobecco, et cuilibet eorum committeretur. Quibus sic nominatis pacis compositoribus praecipit et mandat praesens generale Capitulum, ut tamquam filii pacis discordantes praedictas partes ad unitatem et pacem secundum quod eos respective tangit, Deum prae oculis habentes, reducant, sicque eas componant iam iudicata et per commissarios Rmi D. N. abbatis Cistercii ordinata, prout poterunt, sequendo, quod postmodum dictus abbas dictum Darcy tamquam filium ad ubera matris lac salutis ebibiturum enutriat, et filius patrem cum omni obedientia et humilitate revereatur, et ei secundum suae professionis regulam obediat, pariat et obsequatur. Quibus partibus

in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, mandat saepe dictum Capitulum, ne de cetero ad aliud forum aut iudices, propter huiusmodi causas aut quascumque alias motas aut movendas, praeterquam coram Ordinis iudicibus praesentare seu invicem trahere audeant.

59. Abbatibus de Firmitate, de Igniaco, de Signiaco, de Boheriis, et eorum cuilibet per se et in solidum, et tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit et praecipit ut omnes Ordinis utriusque sexus personas, conventus et monasteria, quas, quos et quae per testes fide dignos, instrumenta, litteras obligatorias partium, confessiones, seu alia quaecumque legitima documenta invenerint abbatissae et conventui monasterii monialium de Salvatore iuxta Laudunum, aut singulis eiusdem monasterii personis debite teneri et obligatas seu obligata esse in quibuscumque pecuniarum summis seu aliis redditibus, aut quibuscumque bonis aut debitis, seu ea iniuste detinentes, ad eisdem plenarie, realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant.

60. Abbatibus de Faesia et de Charone, et eorum cuilibet per se et in solidum, et tam coniunctim quam divisim, praesens generale Capitulum committit et praecipit, et omnes Ordinis utriusque sexus personas, conventus et monasteria, quas, quos et quae, *etc. ut supra*, abbati et conventui monasterii de Moroliis, *etc. ut supra.*

61. Dolenter accepit generale Capitulum querimonias abbatis Altaeripae propter iniurias et diffamationes sibi illatas a priore Altae cristae, visitando et reformando dictum monasterium Altaecristae. Idcirco abbatibus de Altacumba, de Balerna et de Monte S. Mariae, et eorum cuilibet in solidum, praecipit et mandat praesens generale Capitulum, quatinus diligenter, realiter et cum effectu super nos se informent ; et si praedictum priorem reum, convictum per testes fide dignos invenerint, secundum regularia statuta Ordinis puniant et corrigant, in plenaria Ordinis potestate.

62. Nos frater Iacobus, abbas Cistercii... ceterique Diffinitores... quaedam diffinitio, cuius tenor sequitur et est talis : Abbatibus de Runa, de Sancta Cruce et de Monte Mariae, et cuilibet eorum in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus si per testes fide dignos, litteras obligatorias, scedulas aut recognitionem computationum, aresta, aut alia sufficientia docu-

menta, quemcumque abbatem seu conventum aut quascumque personas Ordinis, cuiuscumque nationis fuerint, in quibuscumque pecuniarum, vini, bladi, aut aliarum quarumcumque rerum summis, seu quantitatibus, iuste teneri et obligari Rmo D. N. Cisterciensi et eius conventui, seu quibuscumque sui monasterii religiosis, conversis, donatis et continuis commensalibus invenerint, seu eorum alter invenerit, ad eisdem Rmo D. N. suoque conventui et quibuslibet religiosis dicti monasteri Cistercii, seu eorumdem et cuiusvis religiosi procuratori aut certo nuntio, ab eisdem mandatum speciale habenti, integre solvendum et realiter satisfaciendum, citatis citandis et auditis audiendis, per omnes iuris et iustitiae vias ac Ordinis censuras, summarie, simpliciter et de plano, astringant et compellant, seu eorum alter astringat et compellat, in plenaria Ordinis potestate. Datum in diffinitorio nostro Cistercii, sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis sub anno, die et mense praedictis. S. Sanson.

CONTUMACES

63. Quia praesenti Capitulo generali evidenter constitit fratrem Guillermum Marcens, monachum et priorem monasterii Altaecristae, nostri Ordinis Cisterciensis, fuisse citatum per dominum abbatem de Balerna ad instans generale Capitulum, causa respondendi certis articulis per dictum dominum de Balerna sibi proponendis, qui citatus minime comparere voluit. Eapropter generale Capitulum eumdem fratrem Guillermum nuntiat et declarat contumacem, inobedientem, rebellem et excommunicatum. Omnibus igitur regularibus personis nostri Ordinis firmiter praecipiendo districte mandat, quatinus ipsum sic excommunicatum declarent, publicent et denuntient, in plenaria Ordinis potestate.

64. Citetur abbas de Bella aqua, commissarius ad recipiendum contributiones, quatinus infra tres menses veniat vel mittat nuntium cum computationibus sufficientibus de receptis per eum, tam de contributionibus quam subsidiis, una cum restis debitis et non solutis.

EXCUSATIONES ABBATUM

65. Capitulum generale compatiens miseriis et certis discri-

minibus quorumdam abbatum, qui hoc praesenti anno propter certas et rationabiles causas aut impedimenta venire distulerunt, nec comparuerunt in praesenti generali Capitulo, eos pro hac vice benigne supportat, dummodo hoc per contemptum non fecerint, attenta maxime Rmi D. N. Cistercii cessione et nova installatione, quia hoc gratiose facere voluit.

SUFFRAGIA

66. Generoso domino Iacobo de Horbey, domino de Girondelle eiusque consorti Catharinae suisque utriusque sexus liberis, ob singularem eorum affectionem ad monasteria et personas Ordinis, referente abbate de Signiaco, concessit et concedit praesens generale Capitulum associationem et participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt et de cetera fient in toto Ordine nostro, perpetuis temporibus.

67. Exigente piae devotionis affectu, quem ad nos et nostrum Ordinem intelleximus vos... *(locus vacuus)* habere, piae petitioni vestrae nobis per venerabilem coabbatem nostrum de Signiaco humiliter oblatae benigno concurrentes assensu, vobis ac liberis vestris sexus utriusque plenariam concedimus participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet, *etc. in forma consueta.*

68. Venerabili et discreto viro magistro Francisco Allard, canonico Ebroicensi, ob singularem eius affectionem ad monasteria et personas Ordinis, referente abbate de Noa, concessit et concedit praesens generale Capitulum associationem et participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt et de cetero fient in toto Ordine nostro perpetuis temporibus.

69. Abbate monasterii de Crista referente ad notitiam praesentis Capituli generalis, quod religiosi viri abbas et conventus de Septem fontibus, Ordinis Praemonstratensis, considerantes antiquam sui Ordinis ad nostrum Ordinem devotionem et affectum, humiliter et devote a nobis participationem seu associationem omnium bonorum, quae in eodem monasterio de Crista de cetero fient, sicut e converso, praedicti de Septem fontibus omnium etiam bonorum, quae apud eos perpetuis temporibus fient, eorum generali Capitulo consentiente, dictis fratribus de Crista concesserunt, prout per litteras super hoc confectas, sigillo dictorum abbatis et conventus Septem fontium sigillatas, ad plenum nobis innotuit, quorum devotioni praesens generale Capitulum congratu-

lans propositum quoque laudans concedit, ut dicti de Crista sua ex parte faciant, quae pro se alios facere cognoverint, in plenaria Ordinis potestate.

70. Ad idem, pro generoso milite domino Henrico de Croy, domino de Rentey, militi comitis Ortuensis primogenito, eiusque nobili consorte de Chattembuend [*Clarembaud*] ?

71. Generosae dominae Ysabellae quondam uxori nobilis domini Iacobi de Luxemburgo, domini de Richebourgh, idem concedit generale Capitulum.

72. Ad idem, pro R. in Christo patre domino Creslao, episcopo Wladislaviensi et regni Poloniae cancellario.

Sis signatum : Antonius abbas Frigidimontis.

1503

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo tertio, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster... *etc.* necnon in sumum 12335 libr. 10 solid. 9 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli ... *etc.* Invocato, etc. Datum, etc.

7. Antiquas patrum nostrorum ordinationes insequendo, ordinat et praecipit generale Capitulum, ut omnes noviter ad digni-

---

1503. *Fontes* : A^4 : 24 *(abbr.)* ; L^5 : 1-75 ; P^2 : 1, 7, 8, 10, 14, 22, 23, 26 *(abbr.)* 34, *et mentionem facit de subscript. per Ant. abb. Frigidim.*

[a] *Titulus apud* L^5. [b] Sub Alexandro 6°... *etc.* : P^2.

tatem abbatialem promoti, ad generale Capitulum immediate sequens suam promotionem et decretum huiusmodi suae promotionis afferant, sub depositionis aut gravioris punitionis poena, nec priusquam hoc fecerint ordinari poterunt ad officia generalis Capituli, nec etiam si per oblivionem forsan ordinarentur se ingerere ad dicta officia exercenda praesumant.

8. Summis desideriis cupiens generale Capitulum in unum reducere libellum multiplicem diffinitionum diversis annis editarum diversitatem, ac diversam earum multiplicitatem pro posse concordare, et omnem deinceps confusionem tollere, simulque considerans non unius esse opus diei nec alicuius qui in talibus parum antea versatus sit, sed eius tantum qui singula ad plenum quaeque intuitus est, sacrique nostri Ordinis profectum et honorem semper zelatus sit ; et quia neminem praeter Rmum D. huius sacrae domus Cisterciensis et matris nostrae seniorem abbatem cognoscit, qui hoc consummare magis lucidiusve implere possit, utpote qui haec et omnia quae dicti Ordinis negotia concernunt saepissime a puero rimatus est, eidem, quibus potest affectibus supplicat, quatinus post universos quos pro Ordine eodem sustinuit labores, huic negotio suae providae intelligentiae colla submittere dignetur, ab universorum Conditore simulque remuneratore maximum hoc ad suorum meritorum cumulum adiiciens mercedem recepturus, ordinando abbati de Firmitate ut dicto reverendo et multum omnibus Ordinis zelatoribus amando patri, quatinus assumpto secum uno abbate voluerit, quae accepit dicenda suggerat cum omni humilitate et reverentia.

9. Quantum inanis videtur esse per singulos annos Capituli clamor adversus commissarios Ordinis, qui ad generale Capitulum venire negligunt, simulque contra receptores communes, qui nullas aut confusas computationes in restis debitorum, ratione contributionum, dant aut mittunt, aliosque pene omnes abbates, qui nunquam vel raro dictum Capitulum visitant, sed per exquisitas excusationes nunc scripto, nunc per vicinos abbates se excusari a via Capituli requirunt, aut nullam veniendi aut se excusandi curam gerunt. Eapropter ne de cetero in vanum laborare censeatur, dictum generale Capitulum ordinat et diffinit, ac in virtute salutaris obedientiae praecipit, quatinus omni anno dictum generale Capitulum dicti commissarii certiorare de omnibus quae in suis commissionibus egerint, et causas omissorum intimare procurent, per se vel per alium, si non possunt accedere,

cum litteris sigillo aut contrasigillo proprio munitis. Idem etiam facere tenebuntur qui ad dictum omiserunt venire Capitulum, et nihilominus si eorum excusationes non fuerint adiudicatae sufficientes seu legitimae, dupliciter tenebuntur solvere contributionem.

10. Quia ad audientiam praesentis generalis Capituli pervenit, quod nonnulli Ordinis filii, non contenti promotionibus graduum, qui in scolasticis exercitiis per generalia Ordinis studia, et per Rmi D. N. Cisterciensis aut generalis Capituli licentiam cum studii fervore acquiri consueverunt, Sanctae Sedis auctoritate et gratia potius quam digno labore, sacri Ordinis nostri statuta et privilegia contemnentes, ut promoveantur satagunt. Eapropter omnes et singulos, qui sic promoveri procuraverunt, aut deinceps procurabunt, praerogativis talibus gradibus per Ordinis statuta et privilegia concessis quasi talibus indignos iudicans privat, nec quoquo modo sine dicti generalis Capituli aut Rmi D. N. licentia aliquando gaudere talibus praerogativis aut honoribus concedit, qui nihilominus suae praesumptionis poenas per Rmum D. N., aut saepedictum generale Capitulum recipiant, Benedicti XII insequendo reformationem.

11. Cum sollicitudine praecipua cupit generale Capitulum universum Ordinem in priorem gloriam per sanctae reformationis studium, Rmo D. N. Cistercii et dominis abbatibus de Claravalle et de Morimundo negotium praesentis reformationis, iuxta articulos editos prioribus annis et per generale Capitulum receptos et ordinatos, in regno Franciae et Germania exsequendum, cuilibet pro suae portionis spatio ipsis per dictum Rmum D. N. Cisterciensem distribuendo, committit in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

12. Propter diffinitionum novissime praeteriti anni rationabilitatem et ad praedecessorum nostrorum statuta earumdem conformitatem, praesens generale Capitulum dictas diffinitiones seu ordinationes in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate confirmat et roborat, universis praedicti Ordinis personis dando firmiter in mandatis, quatinus ad eorum executionem tamquam bonae voluntatis homines se aptare non negligant.

13. Ad quorumdam pro contributionibus recipiendis ordinatorum commissariorum tollendum praesumptuosam consuetudinem, qua cessant cum receptis aliorum contributionibus proprias dare contributiones, ordinat praesens generale Capitulum, ut de

cetero talia facere non praesumant, sed proprias etiam cum receptis aliorum contributionibus numerare, computare, solvereque teneantur.

14. Cum plura se obtulerint et offerant praesenti generali Capitulo Ordinis negotia, quam dies et tempus potuerunt expediendo sufficere ; eapropter quae indiscussa vel non ad plenum expedita et ordinata sunt, Rmo D. N. et quatuor primis et aliis quos secum vocare voluerit, terminanda in Divione committit, eadem terminanda ibi qua in Cistercio terminata seu terminari potuissent auctoritate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

15. Ad aures generalis Capituli abbatissa et conventus monasterii Pontis dominarum sugillaverunt, quod nobilis et scientificus quidam dominus locumtenens balliviatus Meldensis per suum testamentum legavit certum numerum pecuniarum et possessionum pro fundatione quarumdam missarum et aliorum officiorum in eodem monasterio Pontis dominarum, consensum seu potius deliberationem aut voluntatem Capituli generalis desuper requirentibus. Idcirco generale Capitulum abbati Caroliloci, s. th. pr., committit et mandat, ut quamprimum commode fieri poterit, se personaliter transferat ad dictum monasterium Pontis dominarum reformatum, seque super praemissis et ea tangentibus diligenter informet per abbatissam, moniales et quascumque alias personas, quae desuper veritatem enarrare poterunt, reducatque informationem suam sub signeto notarii et sigillo suo, et illam cum suo et aliquorum notabilium expertorum consiliariorum transmittat ad Rmum D. N. Cisterciensem, ut de praemissis, tam sua paterna auctoritate et iurisdictione, quae totius Ordinis et Capituli generalis qua plenaria fungitur, tutius provideat.

16. Generale Capitulum dat auctoritatem et potestatem abbati de Villari in Brabantia et de Igniaco, Leodiensis et Remensis dioecesium, ad eius instantiam et humilem supplicationem, rehabilitandi fratres Ioannem de Bonot, Aegidium de Cameraco, Hostem de Tornaco, Aegidium Jubin et Robertum de Symiis, praedicti Igniacensis monasterii religiosos, in plenaria Ordinis potestate.

17. Quia ad audientiam generalis Capituli pervenit quod nonnulli monasterii de Savigniaco religiosi, virtute talis qualis com-

missionis R. P. D. episcopi Abricensis, asserti abbatis commendatarii dicti monasterii de Savigniaco, venerabilem patrem abbatem monasterii de Veterivilla et suum monasterium conati sunt visitare, et ad forum aliud seu coram iudicibus aliis quam ab Ordine institutis, per citationem aut alias trahere contra Ordinis Cisterciensis iustituta et privilegia conuntur ; eapropter dictum generale Capitulum praecipit et ordinat priori et suppriori ac aliis religiosis dicti monasterii de Savigniaco et Ordinis universi subditis personis, in virtute obedientiae salutaris et sub excommunicationis latae sententiae poena, ne de cetero talia facere praesumant. Quod si forsan, quod absit, ipsi vel aliae Ordinis regulares personae attentare praesumpserint, censuras et dictas poenas prius monitionem per primum requisitum Ordinis abbatem incurrisse declarentur, in totius Ordinis et generalis Capituli potestate.

18. Generale Capitulum dat auctoritatem et potestatem abbati de Bildhausen, ad eius instantiam et humilem supplicationem, rehabilitandi omnes et singulas religiosas monasterii monialium de Marburghausen, in plenaria Ordinis potestate.

19. Cum dolore et gemitu accepit generale Capitulum quemdam abusum in collegio nostro domus Sancti Iacobi oppidi Heidelbergensis extra muros, per praesumptionem temerariam studentium ibidem existentium obortum, ita quod studentes supradicti collegii provisorem suum, si qui minor fuerit numerus scolarium, sua privant portione communis mensae, unde et dictus provisor deesse domui atque collegio nonnunquam cogitur, nec curam habere domus cernitur. Ideoque generale Capitulum dictis abusibus pro viribus occurrere cupiens, simul etiam illud *Iudicum* ultimo quod dicitur : In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat, praecavere volens praetensum abusum dictorum scolarium, sicut praefertur factum, revocat, per praesentesque vult et mandat dictis scolaribus et eorum cuilibet in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis, quatinus quamdiu fuerint in collegio supradicto, sive numero pauci sive plures scolares, ab ipsis et eorum quolibet dicto suo provisori pro tempore existenti communis atque consueta mensae exhibeatur praebenda, in plenaria Ordinis potestate.

20. Quia pervenit ad aures Rmi D. N. ac patrum Diffinitorum generalis Capituli veridica relatione, quod senior resignatus monasterii in Otterburg ex parte provisionis sibi per commissarios

et dominos abbates de Novocastro et de Schonavia gratiose et supra meritum factae, quam et in sua resignatione tunc ratam, gratam atque acceptam habuit, minus contentus sit, minusve contentari velit, quin potius modernum abbatem suum successorem ad dictum monasterium supra constitutionem praefatorum commissariorum, qui auctoritate totius generalis Capituli habuerunt, vexare et inquietare atque damnificare contendit, et contra patrum sancita eidem profiteri atque hodie differt. Eapropter ut pacis tranquillitas inter utrosque, id est inter seniorem et modernum abbatem Otterburg habeatur ac confirmetur, ratum habet generale Capitulum actum et factum per commissarios in dicta provisione, imo vult et praecipit, quatinus dictus senior in Otterburg contentus sit provisione sibi in Otterburg per eosdem dominos commissarios assignata, et post mensem a notitia praesentium ibidem si provisione dicta gaudere velit, professionem faciat regularem. Sin autem alibi alteri abbati infra tempus praefixum profiteri non differat. In casu vero quo saepedictus senior supra assignata, ut praefertur, sibi provisione amplius modernum abbatem pro tempore existentem aut conventum in Otterburg vexare aut inquietare vellet, dicta sua provisione se privatum sciat, in plenaria Ordinis potestate.

21. Abbatibus de Tribus fontibus et de Cheminione praesens generale Capitulum mandat et praecipit, quatinus se debite et diligenter informent super quibusdam balliis factis, temporibus retroactis, ad diversas personas de terris monasterii de Pietate, ad certas vitas et annos, et quidquid pro utilitate dicti monasterii de Pietate invenerint, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

22. Quoniam abbas et conventus monasterii de Alna dicebant dictum suum monasterium fuisse et esse maxime damnificatum prioribus diebus, dum bonae memoriae Aegidius dudum etiam abbas eiusdem loci, ratione expensarum factarum, dum idem Aegidius officio procuratoris generalis in Curia fungeretur, certarumque pecuniarum domino Iacobo du Breuquet, episcopo Nucerino, debitarum, petebant quod per Ordinem de damnis et interesse sibi satisfieri, quia praecipue haec incurrissent ratione expensarum per dictum Aegidium in dicto officio factarum, super quibus in praesentia Diffinitorum et abbatis moderni dicti monasterii de Alna, matura deliberatione, tandem inter dictos dominos Diffinitores et dictum abbatem in modum qui sequitur, con-

ventum est, videlicet quod dictus abbas pro se et suo monasterio quittant et quittat Ordinem et remittit omnia et singula quae, ratione dictorum damnorum et interesse, querelare possent, ex nunc et per omne tempus dictum quod domini Diffinitores eisdem quittaverunt contributiones sex annorum per suum dictum monasterium deberi, incipientium post complementum duodecim annorum mentionatorum in quadam diffinitione de hac materia facta anno Domini 1496 per quam assignabantur contributiones dicti monasterii dicto domino Nucerino episcopo. Quibus duodecim annis expletis, ordinat et praecipit generale Capitulum dictis abbati et conventui de Alna, ne dicto episcopo vel eius haeredibus quidquam solvant ratione seu occasione debitorum per eumdem episcopum seu eius haeredes praetensorum.

23. Cum frater Martinus Dyllies [c] noviter in monasterio et abbatia de Balerna promotus, decretum et titulos suae promotionis confirmari per generale Capitulum, cui illa exhibebat et praesentabat, secundum tenores privilegiorum et statutorum Ordinis, instantius requireret, ordinat praesens generale Capitulum quod non prius confirmabuntur, quam super controversia coram iudice laico mota super dignitate abbatiali dicti monasterii fuerit sententia data et pronuntiata.

24. Quoniam [d] quidem praesens generale Capitulum Cisterciense dolenter accepit, quosdam Allemaniae abbates collegio nostro Sancti Iacobi in alma Universitate oppidi Heidelbergensis, quos eis determinationem generalis Capituli dudum factam illo mittere tenebantur, adhuc hodie subtrahere scolares in Ordinis nostri enervationem et iacturam, et quod verius est, in totius corporis nostri dissolutionem. Eapropter dictum generale Capitulum, cui cura est et merito etiam debet melioratio morum ac profectus scientiae et virtutum, sine quibus ad salutis bravium filii ac subditi Ordinis provehuntur minime, incommodis supradictis pro conservatione litterarum ac doctissimarum personarum, quarum multitudo sanitas est omnis terrae, obviare cupiens, summisque desideriis, exemplo boni pastoris, tramitem semitarum Domini per viros scientificos ostendere gestiens, monasteriorum abbatibus de Schonavia, tamquam visitatori dicti collegii, et de Mulbronna, coniunctim vel divisim, in virtute salutaris obedientiae, ac sub censuris Ordinis et auctoritate dicti

[c] Oyllies : P^2. [d] *Cf.* CISTERCIENSER-CHRONIK, t. XLVIII, 1936, p. 114.

Capituli, mandat et praecipit, quatinus omnes et singulos abbates huic nostrae commissioni subscriptos et subnotatos, si tamen pro praesenti Parisiis suos non habeant scolares, compellant ut ad supradictum collegium nostrum Sancti Iacobi mittant, seu mittere procurent suos scolares cum provisionibus consuetis infra festum sancti Remigii proxime venturum, nec eosdem inde revocare praesumant, si tamen idonei et habiles per commissarios, et antedicti collegii provisorem comprobati fuerint, usque ad aliam dicti Capituli determinationem, neque alicuius excusationem quomodolibet praetensam a missione scolarium recipiant. Et quia nonnulli abbates Allemaniae indurato animo, quod deflere non cessat idem Capitulum, Ordinis saepedicti censuras contemnere non formidant, idcirco dictum generale Capitulum in virtute censurarum supradictarum dictis duobus in simul et cuilibet eorum in solidum praecipit et mandat, quatinus vigore huius commissionis omnes et singulos abbates in praesenti commissione comprehensos, si tamen rebelles seu inobedientes in missione suorum scolarium fuerint, quod absit, sub poena excommunicationis latae sententiae, ac sub aliis poenis maxime eisdem formidabilibus compellant, quatinus tantumdem expensarum quilibet det quantum per anni spatium consumeret scolaris in supradicto collegio, iuxta *Benedictinam*. Qui vero duos scolares mittere tenetur, nec tempore praefixo miserit, tantumdem expensarum det quantum duo scolares in dicto collegio per anni spatium consumerent. Ne vero non sit qui dictas summas levare possit et debeat, dictis commissariis supradictis sub censuris, quibus supra, districtius praecipit, quatinus easdem summas a negligentibus suos mittere scolares, sic ut praefertur, auctoritate totius Ordinis et Capituli generalis sub praefatis censuris viriliter exigant, atque medietatem dictarum expensarum generali saepedicto Capitulo applicent, residuam autem medietatem provisori dicti collegii pro tempore existenti cedere permittant.

25. Cum summum studium Capituli generalis sit circa felix regimen monasteriorum et regularium personarum, et ob ordinariorum visitatorum negligentiam saepenumero contingit, quod abbates monasteriorum inordinato regimine et vulgata sanctae religionis transgressione, non modicis in spiritualibus et temporalibus subiiciendo detrimentis praesertim ob culpam pastorum, qui lanam potius quam onus, et quae sua sunt magis quam Iesum Christum quaerentes, magnas monasteriorum substantiam dis-

sipantes, atque suis viventes voluptatibus, et inhiantes curis privatis commodisque, in divinae Maiestatis offensam, animarum periculum, monasteriorum detrimentum, populique et Ordinis scandalum. Hinc est quod monasteriorum Ordinis incommoditatibus, animarum periculis in quantum valeret occurrere, et Ordinem ad sanctimoniae et observantiae decus reducere cupiens generale Capitulum, abbatibus de Novocastro, de Uterinavalle, et de Bebenhausen, et duobus eorum, de quorum religiositate, sufficientia, zelo, prudentia et circumspectione ad plenum in Domino confidit idem Capitulum, praesentium tenore dat facultatem, auctoritatem, plenum posse ac mandatum speciale, necnon in virtute salutaris obedientiae, et sub censuris Ordinis expresse praecipit, quatinus quamprimum poterunt, ac deinceps quoties opportunum viderint, ipsi aut eorum duo se personaliter transferant ad monasterium de Alba dominorum et de Pomerio, ibidemque Capituli generalis auctoritate visitent, reforment, corrigant, emendent, instituant et destituant, in spiritualibus et temporalibus, in capitibus et in membris, quae in dictis monasteriis... *etc.* Resignationes seu cessiones recipiendi, *etc.* Cum potestate insuper absolvendi... a casibus reservatis... etc. Contractus quoque in damnum monasteriorum ... cassent, *etc.* Fugitivos et irregulares ... capiant, etc. Omnibus abbatibus, *etc.* Quamprimum autem poterunt dicti commissarii de hiis quae in praemissis fecerint, ad liquidum per scripta sua dictum Capitulum aut D. N. Cisterciensem informare non omittant.

26. Frater Iacobus, abbas Cistercii, etc. facta fuit quaedam diffinitio, etc. Monasterio B. M. de Igniaco praefati Ordinis nostri Cisterciensis, in Remensi dioecesi, monasterio Claraevallis immediate subiecto, per cessionem et resignationem fratris Ioannis Regnauld, eiusdem monasterii de Igniaco tunc abbatis et ultimi pacifici possessoris, sponte et libere in praesenti generali Capitulo factam, prout decet, receptam et admissam, vacante, idem generale Capitulum considerans quod dispendiosa sit ecclesiis et maxime conventualibus vacatio diuturna, desideransque eidem monasterio de Igniaco de futuro abbate canonice providere, qui eidem praeesse valeat pariter et prodesse, de religionis zelo, vitae honestate, litterarum scientia et morum gravitate et aliis meritis personae fratris Ogerii de Divione dicti de Grangia, nuper abbatis de Cheminione, longa temporis experientia, sufficienter informatum, monasterium praedictum de Igniaco sive

praemisso sive quo aliovis modo, aut ex cuiuscumque alterius persona vacaverit aut vacet, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis universis eidem fratri Ogerio de Divione, dicto de Grangia, praesenti contulit, donavit et assignavit, confertque, donat et assignat, ac de eodem providit ac providet per praesentes, ipsum in eiusdem monasterii de Igniaco et religiosorum eiusdem, in spiritualibus et temporalibus, plenarie committens, universis et singulis eiusdem monasterii de Igniaco regularibus personis subditis, in virtute salutaris obedientiae, sub censuris Ordinis districtius praecipiendo, quatinus eumdem fratrem Ogerium tamquam suum verum et indubitatum ac dicti monasterii abbatem et pastorem recipiant indissimulanter et admittant, sibique professiones regulares in Ordine fieri solitas, necnon subiectionem, obedientiam et reverentiam debitas et consuetas faciant et exhibeant, ac per omnia sicut vero et indubitato abbati humiliter pareant et devote obediant ; invocato ad praemissa et ea tangentia, ac ab eis quomodolibet dependentia, si necesse fuerit, brachii saecularis auxilio consilio et favore. Executionem praesentis diffinitionis ac provisionis domino Claraevallis committens, in plenaria Ordinis potestate. Datum Divione sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, ac signatis manualibus abbatis de Valle dulci, notarii ipsius Capituli generalis, necnon honorabilium virorum Nicolai de Lompaismont in artibus magistro, ac Girardi Vrottis, presbyterorum apostolicorum notariorum ad hoc vocatorum, anno et mense et die praedictis.

27. Curam sibi impositam generale Capitulum attendens similiterque occurrere volens scandalo, quod merito formidabatur occasione rationis perperam gestorum, quae gesta fuisse dicebantur per fratrem Nicolaum Perret, Cisterciensis Ordinis monachum, ordinavit dictum generale Capitulum praefatum Nicolaum Perret carceribus mancipandum, et ulterius se informandum super articulis contra eum per causarum promotorem datis, et pro etiam complemento totius causae, abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., qui locum in Capitulo abbatis Pontigniaci tenebat, de Morimundo, de Prulliaco et de Bonoportu, s. th. pr., commisit in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, volendo ut idem Perret interim in aliquo honesto loco maneret, et de carceribus illico extraheretur, quod cum factum fuisset, et dicti abbates ad informationem processissent, et fere duobus diebus in ea laborassent, instaret exitus Capituli a Cistercio in audientia totius diffinitorii

pro tunc sedentis, dixerunt se non potuisse illam perficere, propter brevitatem temporis et multitudinem tum depositorum tum testium adhuc deponere debentium, et per dictum causarum promotorem productorum, sed retulerunt eum in carceribus retrudendum et tenendum, sufficienterque ea quae iam ex testium depositione collegerant et acceperant. Quorum commissariorum iudicium reprobantes dicti Diffinitores ordinaverunt, quatinus dictus Perret carceribus iterum manciperetur, auditisque supradictis inceptis informationibus quas retulerunt commissarii, quod nihilominus dicti Diffinitores suam in Divione perficerent informationem, ordinaveruntque auctoritate qua supra iuris iuramentis et rationis. Qui in Divione positi super negotio praedicto iuxta suae commissionis formam laboraverunt, sed minime finem in causa imponere potuerunt, praesertim cum dicti de Caroliloco, s. th. pr., de Prulliaco, de Bonoportu, etiam s. th. pr., coacti sunt ad propria remeare, rogabant quatinus dominus noster Rmus ceterique Diffinitores praefatae causae complementum alias imponere seu committere vellent, qui una cum praefato de Morimundo auctoritate sibi data tunc iudicaverunt eum adhuc detinendum, et prius hoc dicti Diffinitores, dicto de Morimundo et aliquibus aliis per eum vocandis et eligendis, si velit, totius negotii huius et causae cognitionem et ordinationem commisit praedictam, in Ordinis plenaria potestate.

COMMISSIONES

28. Cum motas seu movendas lites non absque causa et apparentia timeret Capitulum generale super electione et confirmatione fratris Petri Lelarge, in monasterio de Petris in Biturgia, quibusdam dicentibus religiosos dicti monasterii perperam eligendo fecisse seu peccavisse in materia simulque forma vel altero eorum. Idcirco ne dictum monasterium possit ob id aliquod incurrere detrimentum, firmiter dat in mandatis dictum generale Capitulum abbatibus de Fontemorum, de Bella aqua et de Albigniaco, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus assumptis secum religiosis viris de Pratea, de Varennis, de Nigrolacu et Fontemorum monasteriorum, prioribus aut saltem illorum altero super modo et forma dictarum electionis et confirmationis et sufficientia electi, ac ceteris ab eis dependentibus debite se informent et diligenter inquirant, et quod invenerint fideliter et

clare sub sigillo vel sigillis et signis manualibus ad Rmum D. Cistercii transmittant, qui auctoritate dicti Capituli quod viderit pro iure faciendum ordinabit in plenaria Ordinis et saepedicti Capituli generalis potestate.

29. Exposuit Capitulo generali procurator monasterii Cistercii, quod abbas et conventus monasterii de Pomerio, et quidam alii in natione germanica constituti, tenentur et obligantur eisdem et eorum monasterio de Cistercio in aliquibus pecuniarum summis, et in nonnullis libris concessis dudum ad imprimendum aliquibus abbatibus praedecessoribus moderni abbatis de Pomerio, de quibus nolunt eisdem de Cistercio, ut iustum est, satisfacere, debitae provisionis remedium super hiis instanter requirendo. Et quia provisiones aliae iam a potestatem habente super his emanatae eisdem de Cistercio concessae fuerunt, ut dicebat idem procurator, committit generale Capitulum abbatibus de Mulbron, de Novocastro et fratri Henrico de Paris, dans eis eorum cuilibet in solidum auctoritatem et potestatem compellendi per Ordinis censuras et per omnes iuris et iustitiae vias praefatos pecuniarum et librorum detentores ad reddendum et satisfaciendum ad plenum, ac ab eis dependentibus in manus Rmi P. D. senioris abbatis Cistercii, sine tamen praeiudicio aliarum commissionum sibi olim super his traditarum, in plenaria Ordinis potestate.

30. Ad supplicationem fratris Ioannis de Glemucurt, monasterii de Begar professi, committitur abbatibus de Claromonte et de Bona requie, et eorum cuilibet, quatinus causam quam intendit praefatus frater prosequi contra et adversus abbatem de Silva Melonis, ratione certarum pecuniarum dicto fratri Ioanni ab eodem abbate debitarum, recognoscant, audiant et debite terminent, seu alter eorum audiat, recognoscat et terminet, in plenaria Ordinis potestate.

31. Committitur et praecipitur abbatibus de Caesarea et de Raitenhaslach, quatinus se debite, diligenter et fideliter informent super quibusdam controversiis, querimoniis et excessibus motis et actis inter abbatem de Alderspach ex una, et abbatem de Campoprincipum partibus ex altera, et quod iustum eis videbitur super dictis excessibus iudicent, determinent et appunctuent, partibus iustitiam ministrando. Inhibeant insuper abbati de Campoprincipum, ne quovismodo visitet monasterium de Alderspach, quoad dictae controversiae et querimoniae fuerint ad plenum et debite terminatae, in plenaria Ordinis potestate.

32. Cum singulari ampliorique favore, ut dignum est, prosequi oporteat personas illas a quibus sacer Ordo noster salubria tum doctrinae tum honestatis et virtutum documenta recipere consuevit ; eapropter cum praesens generale Capitulum certum sit et experimento pluries probaverit, quantum illi, qui in collegio Sancti Bernardi Parisiensi litteris insudantes, tum exercitio tum antiquitate et munere exteros antecellant, ut scientiae et virtutis locus amplior detur proficere volentibus, abbatibus de Firmitate, de Frigidomonte, de Caroliloco, et provisori dicti collegii, et duobus eorum similem confert praesens Capitulum generale auctoritatem ac plenum posse compellendi singulos abbates dicti Ordinis ad mittendum suos scolares ad saepedictum collegium, et ubi non miserint ad subveniendum sibi ordinatis scolaribus ibidem litteris vacantibus, atque ad solvendum summas et taxas per dictos abbates et provisorem vel duos eorum impositas vel imponendas, et quaelibet alia agenda pro dictorum scolarium subventione, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate committit.

33. Monasterio B. M. de Cheminione praefati nostri Ordinis Cisterciensis, in Catalaunensi dioecesi, monasterio de Tribus fontibus immediate subiecto, per cessionem et resignationem fratris Ogerii de Divione, dicti de Grangia, eiusdem monasterii de Cheminione, tunc abbatis et ultimi pacifice possessoris, sponte et libere in praesenti generali Capitulo factam, et prout decet, receptam et admissam, vacante, idem generale Capitulum considerans quod dispendiosa sit ecclesiis, et maxime conventualibus, vacatio diuturna, desideransque eidem monasterio de Cheminione et futuro abbate canonice providere, qui eidem praeesse valeat et prodesse, de religionis zelo, vitae honestate, litterarum scientia et morum gravitate et aliis meritis personae fratris Marci Dyllies, religiosi monasterii Cistercii expresse professi... *etc. ut supra, n^o^* 26.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

34. Electionem [e], confirmationem et installationem factas per R. in Christo P. D. abbatem de Prulliaco, de persona fratris

[e] Barbellum hoc anno commendatum : *P*2.

Petri Pignol ad dignitatem abbatialem monasterii de Sacro portu, alias de Barbello, ... confirmat, *etc.* supplendo, *etc.*

35. Electionem, promotionem, installationem, simulque confirmationem per dominum abbatem de Landesio, Rmi D. N. Cistercii plenaria generalis Capituli potestate fungentis commissarium, de persona fratris Tosani Gillet ad dignitatem abbatialem monasterii de Callovio... confirmat, *etc.*

36. Promotionem, installationem seu institutionem factam a R. P. D. de Cheminione de persona sororis Margaretae de Tournay ad dignitatem abbatialem monasterii de Ponte dominarum, per resignationem dilectae sororis in Christo Eglantinae, eiusdem monasterii quondam abbatissae... confirmat. *etc.*

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

37. Committitur abbatibus de Cheminione, de Monasteriis et de Altofonte, aut eorum duobus, quatinus super tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Tribus fontibus ex una, et Ioannem Iaquinot, dictum Pierres, partibus ex altera, ratione cuiusdam admodiationis certarum peciarum terrae incultarum in finagio de Ramières sitarum, prout in dicto tractatu, cui haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur se debite et diligenter informent et perquirant ; et si dictam admodiationem eidem monasterio perutilem et fructuosam invenerint, ipsam confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

38. Tractatum seu pactum initum et passatum inter abbatem et conventum de Miratorio ex una, et honestum virum Ioannem Guiot de Consanas partibus ex altera, prout in litteris, *etc. ut supra n°* 37.

39. Committit generale Capitulum abbatibus de Frigidomonte et de Ursicampo, et duobus eorum, quatinus super tractatu inito et passato inter priorem de Monchiaco petroso ex una, et Ioannem Laisie nobilem et Catherinam eius uxorem partibus ex altera, ratione cuiusdam donationis certarum peciarum terrae in territorio de Bauxy situatarum, prout in decreto, *etc. ut supra n°* 37.

40. Committitur abbatibus de Frigidomonte et de Regalimonte et de Ursicampo, et eorum duobus, quatinus super tractatu inito et passato inter priorem de Monchiaco petroso ex una, et dominum Ioannem Parent, presbiterum ac priorem de Sancto Medardo partibus ex altera ratione admodiationis, locationis seu pen-

sionis medietatis cuiusdam domus sitae in villa de Roya, prout in dicto tractatu, *etc. ut supra n°* 37.

41. Abbatibus de Prulliaco et Ioyaco, et eorum cuilibet, committitur, quatinus se debite et diligenter informent super tractatu inito et passato inter Ioannem Despinay commendatarium, et conventum monasterii de Sacro portu ex altera, ratione certi nemoris Agre nuncupati, ab eodem monasterio de Barbello immediate dependentis. Et si dictum tractatum per testes fide dignos aut alias invenerint indebite confectum et passatum, illum infirment penitus et annullent, seu eorum alter infirmet et annullet, cum praedictis religiosis super iuramento in eodem tractatu per eos praestito dispensando, cum quibus etiam misericorditer iam dispensat praesens generale Capitulum in plenaria Ordinis potestate.

42. Motum praesens generale Capitulum propter causas quas iudicavit rationabiles, cum sibi per abbatem de Sancto Andrea proponerentur et quae plenius in diffinitione, cui praesens annectitur, continentur, et praecipue quia adhuc manet monasterium damnificatum non modice, quinquennio dato in alia diffinitione addit biennium, et in praedicta alia diffinitione nominatis abbatibus, ut etiam post quiquennium ad formam et modum ibidem nominata in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, contentari faciant de summa octoginta librarum fratrem Mathiam Boulis, cui pensio praesens assignata est.

43. Committitur abbatibus de Clarofonte, de Sancto Andrea, de Fonte Danielis et de Trappa, et duobus eorum, quatinus super contentis in tractatu cuius copia hic habetur, et cui haec praesens diffinitio annectitur, se debite et diligenter et fideliter informent; et si dictum tractatum monasterio de Persenia utilem et fructuosum invenerint, illum confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

44. Ad supplicationem abbatis de Bonoportu, generale Capitulum dispensat cum fratre Balduino..., monasterii de Loco Dei professo, ut non obstante inhabilitate quam incurrit post emissum sacrae religionis votum in apostasiam incidendo quinquies apostatans, a monasterio praedicto effugiens, dimisso regulari habitu, habitum saecularem accipiens, sic per annum cum dimidio

vel circa per mundum errando seu discurrendo ; super quibus tamen poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, ad omnes Ordinis actus legitimos, gradus, voces, officia et administrationes, abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeat et assumi.

45. Capitulum generale ad instantiam et humilen supplicationem abbatis de Bonoporto condescendens, attenta salutari poenitentia fratris Petri Caletensis, monasterii B. M. de Loco Dei professi, ab inhabilitatis nota, quam incurrit a monasterio praedicto recedendo cum meretrice, quam pluries carnaliter cognovit, sic cum ea per octo aut novem dies per mundum vagabundus extitit discurrendo et apostatando, benigne relevat et cum eo misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes et singulos Ordinis actus legitimos, gradus, voces et officia, abbatiali inclusa dignitate, promoveri valeat et assumi, in plenaria Ordinis potestate.

46. Generale Capitulum ad supplicationem abbatis de Bellobecco condescendens, attenta salutari poenitentia fratrum Mathurini Le Moite, Ioannis Ausont et Antonii Hiard, eiusdem monasterii professorum, eosdem fratres ab inhabilitatis nota ab eodem monasterio sine licentia discedentium, et per certum tempus in saeculo persistentium contracta, benigne relevat et cum eisdem misericorditer dispensat, *etc. ut supra.*

47. Generale Capitulum misericorditer dispensat cum fratribus Guillelmo de Arcu et Claudio de Divione, monasterii de Longovado religiosis, ut non obstante inhabilitate quam incurrerunt seu incurrere potuerunt ratione et occasione cuiusdam periurii per praefatos fratres praestiti in materia provisionis monasterii de Balerna, in favorem R. P. D. Claraevallis, veritatem tacendo et falsitatem metu et timore pro veritate affirmando, ad omnes et singulos actus legitimos, *etc. ut supra.*

48. Supplicationi abbatis de Veterimonte benigne condescendens generale Capitulum fratres Guillemum Nidelk, dicti monasterii professum, qui furta evidenter et malitiose commisit, et Adolphum Piscatorem, qui spreto stabilitatis voto ab eodem monasterio illicentiatus exiens per saeculum vagabundus discurrit, unde inhabilitatis et irregularitatis notam incurrerunt, attentis eorumdem fratrum poenitentia salutari et eorumdem emendatione, ab inhabilitatis nota benigne relevat misericordi-

terque dispensat, ut praemissis non obstantibus, ad omnes, *etc. ut supra.*

49. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Bonoportu generale Capitulum misericorditer dispensat cum sorore Barbara Viveovaut, monasterii de Virgulto professa, ut non obstante inhabilitate quam incurrit carnis contagia committendo, puerperio subsecuto, super quo tamen poenitentiam sibi iniunctam humiliter et devote peregit, ad omnes, *etc. ut supra.*

50. Ad idem, pro sorore Catherina de Mondreville, moniali prioratus de Villaribus Caniveti, pro simili casu quo supra, ad instantiam abbatis de Sancto Andrea.

IUDICES

51. Ad supplicationem fratris Ioannis Duglement, monasterii de Begar professi, committitur abbatibus de Claromonte et de Bona requie, et eorum cuilibet, quatinus causam quam intendit praefatus frater prosequi contra et adversus abbatem de Silva Melonis, ratione certarum pecuniarum dicto fratri Ioanni ab eodem abbate debitarum, cognoscant, audiant, et debite terminent, seu eorum alter audiat, cognoscat et terminet, in plenaria Ordinis potestate.

52. Generale Capitulum ad supplicationem fratris Ioannis Slesburg, senioris abbatis Veteris montis, praecipit et mandat sub Ordinis censuris, poenisque depositionis et privationis, abbati dicti monasterii qui nunc est et pro tempore fuerit, quatinus pensionem annuam 50 florenorum reverendo eidem de Slesburg, per Capitulum generale super fructibus, redditibus et proventibus dicti monasterii de Veterimonte assignatam, una cum arreragiis, damnis et interesse eidem debitis, fideliter et debite persolvant, insequendo alias dicti Capituli generalis diffinitiones iam pridem super huiusmodi assignatione pensionis editas et confectas, mandando omnibus et singulis abbatibus et cuilibet eorum super hoc requirendis, quatinus praedictum tunc abbatem de Veterimonte ad solutionem pridem pensionis, ut praefertur, per Ordinis censuras et alias iuxta scripta dudum super hoc vicibus iteratis facta, necnon sub privationis et depositionis suae dignitatis abbatialis poena compellant, quodque modo desistat et cesset a prosecutione quorumdam processuum coram quibuscumque aliis iudicibus, ratione dictae pensionis, praeterquam commissariis

ab Ordine, singulariter censuras et poenas contra trahentes Ordinis personas extra Ordinem indictas, nisi a dicta prosecutione cessaverit, incurrisse declarent, pronuntient et publicent, seu declaret, pronuntiet et publicet, prout praesens generale Capitulum ex nunc prout ex tunc et econtra incurrere et incurrisse declaravit et declarat, non obstantibus appellationibus quibuscumque ac litteris contra praedicta impetratis ac impetrandis, in plenaria ipsius Ordinis et Capituli potestate, invocato ad praemissa, si opus sit, brachii saecularis et quorumlibet potentum auxilio, consilio et favore.

53. Abbatibus de Maceriis, de Aceyo et de Charitate, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quod omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, seu earum monasteria et quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta, seu alia legitima documenta invenerint abbati Cistercii, eiusdemque conventui, singulis religiosis aut monasterio suo debite teneri, obligatos seu obligata esse, sive quaecumque eorumdem bona detinentes aut indebite occupantes, tam in pecuniarum summis, redditibus seu quibuscumque aliis bonis aut debitis, ad eisdem plenarie realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

54. Idem in partibus Franciae pro praedicto monasterio et conventu Cistercii, cuius sunt iudices abbates de Firmitate, de Regalimonte et de Cheminione, sub eadem forma.

55. Abbatibus de Nigrolacu, de Landesio, de Barzella et de Callovio, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas personas Ordinis quas per testes fide dignos, litteras seu cedulas obligatorias, aut alia sufficientia documenta abbati seu conventui aut quibuscumque personis monasterii de Fontemorum... *etc. ut in forma consueta.*

56. Ad idem, pro abbate de Firmitate, et sunt iudices de Frigidomonte, de Caroliloco et de Regalimonte abbates.

EXCUSATIONES ABBATUM

57. Excusatur abbas de Bonofonte pro hoc anno. — Ad idem, abbas de Villanova, Nannetensis dioecesis. — Ad idem, abbas de Lanneyo. — Ad idem, abbas de Fontanis.

SUFFRAGIA

58. Generale Capitulum concessit et concedit suffragia Ordinis generoso nobili et potenti domino Carolo de Croy, principi de Chimay et eius consorti.

59. Item, inclito domino Philippo de Croy, comiti Portuensi, generosaeque eius consorti dominae Iaquelinae de Luxemburgo comitissae.

60. Item, generoso nobilique et potenti domino Ioanni de Scannalis militi, domino d'Isenghien et de Rubimaco, baroni Calvimontis, eiusque consorti dominae Barbarae de Mouy.

61. Item, generoso nobilique et potenti domini Guillemo de Croy incliti domini de Chièvres, Hannoniae ballivo, et eius consorti.

62. Item, scientifico et honorabili viro Ioanni Bourdin et eius filiabus.

63. Item, inclito ... baroni de Henquevilla, generosae dominae ... de Casellione eius consorti.

64. Item, generosae dominae Mariae, relictae quondam generosi et incliti domini baronis de Thorigniaco.

65. Item, nobili viro Marino Gaulthier domino de Lespaignerie, eiusque consorti.

66. Item, Ioanni Carnille, et Colletae eius uxori.

67. Item, scientifico viro magistro Ioanni Curim, Guillemo Corim et eius uxori.

68. Item, magistro Arthuro de Campis, consiliario in curia Castelleti Parisiensis.

69. Item, magistro Laurentio de Rosière, receptori domini episcopi Metensis.

70. Item, magistro Eustacio de Paris, advocato in curia Parlamenti Parisiensis.

71. Item, illustrissimae dominae Catharinae de Laucon, comitissae de Laval, dominae de Sonnoys et de Guierche, incliti domini dudum comitis de Laval viduae, monasterii de Persenia fundatrici.

72. Item, honorabili viro Petro Dupont, vicecomitis Salegiae locumtenentis.

73. Item, honorabili et scientifico viro magistro Philippo Brocard, in decretis et legibus licentiato.

74. Item, domicellae Margaretae de Tremare.

75. Item, nobili domicellae Ioannae Geslin.

Sic signatum : Anthonius abbas Frigidimontis, cum parapho.

1504

A) Nomina[a] abbatum qui interfuerunt Capitulo generali anno 1504. Rmus D. N. Cisterciensis, s. th. pr., de Firmitate, de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., loco domini Pontigniaci, de Laude, s. th. pr., loco domini Claraevallis, de Bellavalle, de Caduino, de Bonavalle Pictaviensi, de Longovado, de Miratorio, de Lutzella, de Ellancio, de Maceriis, de Faesia, de Ioyaco, de Fusniaco, de Fonte Ioannis, de Bithania, de Valle clara, de Ripatorio, de Tribus fontibus, de Reigniaco, de Monte Sanctae Mariae, de Theoloco, de Clarofonte, de Aceyo, de Lococrescenti, de Albaripa, de Cheminione, de Chassenia, de Buillione, de Belloloco, de Valle lucenti, de Valle dulci, de Ponte thieffrido, de Gratia Dei.

* * *

Anno[b] Domini millesimo quingentesimo quarto, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro[c] sanctissimo ac beatissimo domino nostro Iulio Papa II divina providentia... pro reverendissimo in Christo patre domino Raphaele, episcopo Albanensi, S. R. E. tituli Sancti Georgii presbytero cardinali, nostrique Ordinis in Curia protectore benevolo ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*

3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... *etc.*

1504. *Fontes* : A^4 : 8, 9, 10, 11, 12 *(tit. tant.)*, 13 *(tit. tant.)*, 14, 15, 19, 43-46 ; L^5 : 1-46 ; T^6 : 7.

[a] *Haec* § *apud* L^5 *tant.* [b] *Titulus apud* L^5. [c] Sub Iulio 2°, card. Raphaele, *etc* : P^2.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 12593 libr. 12 solid. 11 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli ... *etc.*

7. Generalis [a] citatio Ordinis abbatum ad proximum generale Capitulum. — Praesens generale Capitulum diutius non volens aut valens negligentias et temeritates quorumdam Ordinis abbatum sustinere, qui tamquam suae salutis immemores, formidabiles sententias et poenas in statutis, tam apostolicis quam regularibus ipsius Ordinis, multoties et quasi annuatim innovatis, contra et adversus abbates ad generale Capitulum minime venientes, aut saltem legitime non se excusantes, notorie promulgatas, saepius incurrunt, per hanc publicam diffinitionem expresse et peremptorie citat et citari mandat ad proximum generale Capitulum omnes et singulos Ordinis abbates cuiuscumque nationis, regni vel provinciae existant ; necnon omnes monasteriorum Ordinis commendatarios, si quomodolibet sua putaverint interesse quoad cottizationem, vel novem astallationem contributionum monasteriis sibi commendatis imponendarum, pro viribus laboraturos ad sanctam praedicti Ordinis reformationem, responsurosque ad omnia et singula quae super praemissis et aliis occurrentibus per promotorem causarum ipsius generalis Capituli sibi et eorum cuilibet obiicientur ; cum intimatione speciali, quod si ad praedictum generale Capitulum venire aut sufficientes nuntios destinare neglexerint, qui tamquam eorum procuratores ad hoc specialiter deputati, iurare habebunt in animas abbatum vel commendatariorum suorum respective, super legitima vel inadmissibili sua excusatione, iuxta formam privilegii Benedicti Papae XII, quae talis est : Quia vero ideo sunt huiusmodi generalia Capitula instituta... *etc. ut habetur in Benedictina*, § 16 (t. III, p. 419, 420), *deinde* : Praesentis diffinitionis executionem universis Ordinis commissariis ac patribus abbatibus, necnon Rmi D. N. Cisterciensis nuntiis et servitoribus, si quos ad hoc deputare voluerit, respective committendo, in plenaria Ordinis potestate.

8. Quod nullae Ordinis moniales de cetero portent tunicas, mantellos aut cucullas nigras. — Antiquas patrum diffinitiones salubri-

[a] *In documento authent. quod habetur sub signo* T^6, *legitur intitulatio* : Nos frater Iacobus..., *etc., et in fine* : Datum in diffinitorio... *etc.*

ter editas, quibus sub formidabilibus poenis inhibetur, ne Ordinis moniales tunicas, mantellos aut cucullas nigras, seu alios quoscumque inordinatos habitus gestare praesumant, praesens generale Capitulum ratificans et innovans eisdem adiicere diffiniendo decrevit ad conservationem uniformitatis morum et habituum personarum Ordinis, sub gravissimis Ordinis censuris, per patres abbates aut alios Ordinis commissarios infligendis, quod cucullae, mantelli, tunicae ac scapularia monialium de cetero mensuram honestatis in longitudine aut latitudine non excedant, neque caudas aut alias superfluitates vel lascivias habeant.

9. Nulla Ordinis persona de cetero imprimere vel imprimi facere audeat quaecumque Ordinis *Breviaria, Missalia,* etc. absque Capituli licentia. — Ad tollendam magnam iam, proh dolor! exortam in Ordine difformitatem, propter plurium ac diversorum officiorum divinorum, in multis ac variis papireis breviariis diversis in locis impressis contentorum, ab Ordine tamen minime receptorum vel approbatorum multiplicitatem, praesens generale Capitulum, sub gravissimis ipsius Ordinis censuris contra praesentis diffinitionis continentiam aliquos forsan, quod absit, praesumentes, per patres abbates, aut alios Ordinis commissarios indissimulanter infligendis, statuendo prohibere decrevit, ne de cetero aliqua Ordinis persona cuiuscumque dignitatis, gradus, status aut conditionis existat, quoquo pacto praesumat per se vel per alium imprimere aut imprimi facere, quaecumque *Breviaria, Psalteria, Diurnalia, Ordinaria,* vel alia quaelibet Ordinis volumina, absque ipsius generalis Capituli vel Rmi D. N. Cisterciensis expressa licentia.

10. Noviter promoti in Ordine debent in generali Capitulo eorum promotionis immediate sequenti comparere et titulos ostendere, etc. — Insequendo et renovando multiplices Ordinis diffinitiones, etiam anno praeterito specialiter et expresse ratificatas et approbatas, generale Capitulum praesenti decreto irrevocabili statuit, ordinat et diffinit, quod omnes Ordinis personae ad dignitatem abbatialem noviter promotae ad sequens immediate suam promotionem Capitulum generale decretum seu litteras et titulos suarum provisionum et institutionum, sub privationis a iure praetenso in suis monasteriis, aut alterius gravis punitionis per ipsum generale Capitulum arbitrando poenis, teneantur afferre, vel de illis idem Capitulum, vel Rmum D. Cisterciensem sufficienter informare ; nec priusquam hoc fecerint,

ordinari vel admitti poterunt ad quaelibet ipsius Capituli generalis officia; ad quae si per oblivionem vel aliam inadvertentiam forsan ordinarentur, nullatenus se ingerere ad illa exercenda praesumant.

11. Electio Rmi D. protectoris in romana Curia. — Certo sciens praesens generale Capitulum officium protectoris Ordinis in suprema totius christianitatis romana Curia, per obitum pientissimae recordationis vel bonae memoriae Rmi D. D. Baptistae cardinalis de Ursinis vulgariter nuncupati, cuius anima Deo vivat, ad praesens vacare, lege huiusmodi observata cogatur de alio speciali ac benevolo protectore cogitare, ne sacer Ordo in ipsa Curia favorabili defensore seu protectore careat.

Quamobrem post longam et maturam super hiis deliberationem iuxta notissima et usque ad praesens observata Ordinis privilegia et statuta, unanimi omnium Diffinitorum consensu, idem generale Capitulum de excellentissimis virtutibus et non modica nobilitate personae Rmi in Christo patris ac domini domini Raphaelis, tituli Sancti Georgii S. R. E. cardinalis, sufficienter informatum, ipsum ad dictum protectionis officium, possibili cum reverentia et honore, nominavit et elegit, quemadmodum et praesenti diffinitione nominat et eligit, suae reverendissimae paternitati devotius supplicando, quatinus dictam electionem acceptare, totumque Ordinem ipsum sicut pater filios amantissimos cum privilegiis, libertatibus et religiosis consuetudinibus diligere, protegere, provehere ac potenti virtute defensare dignetur, genibus in terram positis usque ad pedum oscula beatorum, et manibus sursum levatis sanctissimo domino nostro Summo Pontifici, quam humiliter supplicando, quatinus veri protectoris benevolentiam nullatenus remittendo dictam electionem ratam et gratam habere, sacrumque hunc reginae coeli Ordinem in hoc eligendi privilegia conservare ac speciali benedictione sicut et favore commendatum habere non dedignetur.

12. Institutio procuratoris generalis in romana Curia. — Sufficienter informatum praesens generale Capitulum de vita, moribus, conversatione, litterarum peritia, idoneitate, fidelique diligentia ac ceteris virtutibus fratris Petri Morrandi, in sacra pagina baccalarii formati, monasterii de Grandisilva expresse professi, illum elegit, fecit, creavit et instituit, eligitque facit, creat et nominat generalem totius nostri Cisterciensis Ordinis in romana Curia procuratorem, cum omnibus clausulis necessariis et opportunis,

per Rmum D. N. Cisterciensem apponendis, specificandis et declarandis, in plenaria Ordinis potestate.

13. Pro mittendis ad studia generalia scolaribus. — Quia defectu litteratorum virorum in Ordine ex negligentia abbatum, qui suos scolares ad generalia Ordinis studia mittere negligunt, aut nolunt, Ordo ipse in utroque statu multa et gravia patitur et sustinet detrimenta ; hinc est quod totis praecordiorum affectibus cupiens generale Capitulum talibus inconvenientibus obviare, et totius Ordinis ac personarum eiusdem decus et honorem affectans, sub gravissimis apostolicis et Ordinis censuris districtissime praecipit et mandat omnibus et singulis Ordinis abbatibus, commendatariis et eorum officiariis, quatinus eorum quilibet infra tempus per Rmum D. N. Cisterciensem, ac Ordinis commissarios limitandum, mittere teneantur realiter et cum effectu unum monachum suum ad collegium Sancti Bernardi Parisiensis, vel saltem ad aliud Ordinis collegium generale suo monasterio propinquius et vicinum, ibidemque debite cum provisionibus manutenere tenentur ; praesentis diffinitionis executionem omnibus Ordinis generalibus commissariis, cuilibet in sua provincia, in regno vero Franciae et ressorti supremae Parisiensis curiae, dominis de Firmitate et de Caroliloco, s. th. pr., committendo in plenaria Ordinis potestate.

14. Pro visitatione annua per patres abbates fienda. — Cum per *Chartam charitatis*, primordiale totius Ordinis fundamentum, ac alia diversa Ordinis statuta, saepissime refricata, cautum et ordinatum sit ut patres abbates singulis annis per se vel suos coabbates visitare debeant monasteria utriusque sexus sibi subiecta, nihilominus tamen eorum plures in hoc quotidie reperiuntur plurimum negligentes, prout non sine gravi cordis amaritudine praesens generale Capitulum fuit informatum. Quamobrem omnibus et singulis patribus abbatibus Ordinis, sub privationis a sua iurisdictione paterna, districte mandat et praecipit idem generale Capitulum, quatinus praedictam annuam visitationem suis subditis monasteriis impendere non omittant. Praedictarum diffinitionum tenores pro expressis habentes, et illas, si et in quantum opus est, innovando ; alioquin exsequantur et facere teneantur generales Ordinis commissarii quilibet in sua provincia.

15. Contra commendatores. — Confirmando diffinitionem anno praeterito factam, praesens generale Capitulum sub gravissimis Ordinis poenis et censuris, inhibet omnibus et singulis Ordinis

regularibus personis monasteriis commendatis mediate vel immediate subiectis, ne quomodocumque vel qualitercumque recipiant vel admittant in suos visitatores aliquem commendatariorum praedictorum, vel subrogatorum eorum, nec in aliquo actu spiritualis iurisdictionis Ordinis dictis commendatariis obediant, quinimo per omnes iuris et iustitiae vias eisdem resistant, cum Rmi D. N. Cisterciensis, si commode fieri poterit, vel patrum abbatum suorum, aut in eorum absentia, Ordinis in eadem provincia commissariorum consilio et favore.

16. Abusus varios, qui ex speciali gratia pluribus Ordinis abbatibus, retroactis temporibus facta super missione scolarium ad generalia Ordinis studia, vel eorum provisionis moderatione, plurimum, proh dolor ! in Ordine succreverunt, de medio tollere cupiens generale Capitulum praesenti declaratione omnes et singulas tales gratias quibuscumque hactenus factas revocat et annullat, provisionem talium scolarium, sic ut videtur, mendicantium, dispositioni et ordinationi dominorum abbatum de Firmitate et de Caroliloco, s. th. pr., pro futuro tempore committendo, in plenaria Ordinis potestate.

17. Quia propter multiplicitatem agendorum praesentis generalis Capituli materiae occurrentes commode non potuerunt, hic apud Cistercium, terminari, remittuntur ad Rmum D. N. Cisterciensem et ad illos dominos Diffinitores quos secum apud Divionem vocare dignabitur.

18. Summis praecordiorum affectibus desiderans generale Capitulum temporalem Ordinis rempublicam, contributiones videlicet et subsidia ac alia pecuniaria iura, quae a nonnullis nervus reipublicae non immerito vocantur, bene ac fructuose per omnia regi, ac per Ordinis patres, signanter eos quos specialius hoc negotium tangit, perfecte ac lucide intelligi, nolensque quamplurimos dictarum contributionum et subsidiorum receptores in eis colligendis et recuperandis, et ad generale Capitulum vel Rmum D. N. Cisterciensem quolibet anno mittendis, cum bonis, amplis, fidelibus ac bene specificatis computationibus, negligentias, torpores, vel potius contemptus, in tam grave praeiudicium et dedecus diutius tolerare, hac praesenti constitutione statuit, ordinat et districtissime praecipit, sub gravissimis Ordinis censuris, universis praedictarum contributionum et subsidiorum receptoribus in toto regno Franciae situatis, quatinus infra proximum Dominicae Nativitatis festum, fideles et bene specificatas

computationes suas, tam in ordinaria quam arreragiorum resta et expensis integras et bene specificatas ad Rmum D. N. Cisterciensem. Ceteris vero in remotioribus provinciis et regnis habitantibus et situatis infra festum Dominicae Resurrectionis proxime venturum, si commode fieri possit, ad proximum generale Capitulum personaliter afferre, vel per specialem nuntium mittere non omittant ; alioquin contra eos et ipsorum conventum rigorosius procedetur, prout iuris fuerit et rationis.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

19. Pro reparationibus fiendis Rmo D. N. Cisterciensi suoque monasterio, omnium nostrum matri, super enormissima occisione et morte fratris Petri de Yserra [e] dum viveret, religiosi et capellani in monasterio Vallis clarae, nostri Ordinis, Laudunensis dioecesis, 23ª die mensis octobris novissime elapsi, miserabiliter facta et perpetrata, praefato Rmo D. N. ibidem visitante, et pro reformatione Ordinis agente, praedicto generali Capitulo flebilibus relatibus nuntiata et maximo cum cordis dolore audita, idem generale Capitulum praesenti decreto statuit, ordinat et diffinit ea quae sequuntur.

a) In primis, quod frater Petrus Jouard, nunc senior et tunc abbas dicti monasterii Vallis clarae, una cum medietate religiosorum conventus eiusdem monasterii extrahentur ab eodem et emittantur ad diversa Ordinis monasteria bene regulata, per dominos abbates de Laude, de Caroliloco, s. th. pr., et de Fusniaco, sibi et eorum cuilibet deputanda, in quibus per tres menses continuos erunt carceribus mancipati in pane et aqua, et in fine trium mensium praedictorum manebunt in eisdem monasteriis in poenitentia publica, induti cappis albis, ipsorum prius amoto habitu regulari, usque ad sequens proximum generale Capitulum, in quo tenebuntur cum suis cappis et non aliter comparere.

b) Item, quod ceteri religiosi eiusdem monasterii Vallis clarae, qui in eodem remanebunt, qualibet sexta feria usque ad dictum proximum generale Capitulum, regularem disciplinam in capitulo dicti loci accipient, abstinentiamque panis et aquae faciant. In quo quidem capitulo modernus abbas dictis sex feriis comparere non renuet et omittet.

---

[e] Yseurra : A^4 ; Ysenura : P^2.

c) Item, quod praefatus senior abbas a dicto Vallis clarae monasterio perpetuo manebit eliminatus, et quibuscumque Ordinis gratiis privatus usque ad aliam praefati Capituli generalis vel Rmi D. N. Cisterciensis dispositionem.

d) Item, quod modernus abbas et conventus eiusdem loci quamprimum et infra tempus per Ordinis commissarios eis praefigendum, tenebuntur sumptibus sui monasterii mittere unum scolarem Cistercii ad collegium Sancti Bernardi Parisiensis, et ibidem eum manutenere cum sufficientibus provisionibus, usque ad gradum doctoratus inclusive.

e) Item, quod ad perpetuam praedicti defuncti fratris memoriam, modernus abbas dicti monasterii Vallis clarae infra duos menses vel aliud tempus, per dictos commissarios arbitrandum, fabricari et aptari faciet unum honestum lapideum tumulum ad superponendum praedicto fratri, in quo sculpetur vel exarabitur id quod per iam dictos commissarios, de consensu tamen Rmi N. Cisterciensis, fuerit advisatum et ordinatum.

f) Item, quod singulis annis perpetuis futuris temporibus, abbas et conventus praedicti monasterii Vallis clarae, qui nunc sunt et pro tempore erunt, tenebuntur et debebunt celebrare solemne obsequium defunctorum pro ipsius defuncti fratris salute, simili die quo fuit ita miserabiliter et enormiter occisus et interfectus, videlicet 23ª mensis octobris.

g) Item, quod praedicti abbas et conventus tenebuntur propriis expensis sollicitare, et diligentiam possibilem adhibere, quod perniciosus ille homicida, qui casum tam inhumanum perpetravit, et sui complices, quam citius fieri poterit, ad manus iustitiae saecularis tradantur puniendi.

h) Item, sub gravissimis Ordinis censuris per praefatos commissarios arbitrandis et declarandis, inhibetur moderno eiusdem monasterii abbati ac omnibus et singulis eiusdem regularibus personis, ne quomodocumque permittant aut consentiant quoscumque parentum praedicti senioris abbatis, vel fautorum et amicorum suorum pro quacumque causa vel materia, praefatum monasterium ingredi permittant. Invocato ad praemissa, *etc.* Datum, *etc.*

20. Abbatibus de Fonte Ioannis et de Rigniaco committit quatinus diligenter se informent super contentis in informationibus praesenti diffinitioni annexis, contra fratrem Stephanum Robin, monasterii de Bonoradio professum, factis. Et si per suam

informationem aut alia fide digna testimonia repererint, dictum Robin culpabilem et punitione dignum, illum iuxta demerita sua puniant et corrigant, vel per emissionem a proprio monasterio, sive alias, secundum statutorum Ordinis continentiam, in plenaria Ordinis potestate, inhibendo abbati de Bonoradio sub gravioribus Ordinis censuris, ne de cetero praesumat contra Ordinis personas per informationes, aut alios actus iudiciarios procedi facere per saeculares, vel alias personas quam per in dicto Ordine professas.

21. Visa supplicatione abbatissae et conventus monasterii de Loco Dei prope Nuciacum, requirentium pensionem annuam decem librarum turonensium cum dimidia, sorori Annae Petit, eiusdem loci professae et olim abbatissae, per recolendae memoriae dominum Cisterciensem novissime defunctum creatam et assignatam, deindeque per generale Capitulum confirmatam et approbatam, in favorem paupertatis eiusdem loci, ex toto quoad tempus praeteritum extingui, et pro tempore futuro ad medietatem reduci, praesens generale Capitulum volens unicuique reddere quod unum est, praesenti decreto vult, statuit, ordinat et diffinit, quod dicta pensio decem libr. turon. cum dimidia solvatur quolibet anno eidem sorori Annae Petit, una cum arreragiis praedictorum annorum, terminis et locis in litteris assignationis dictae pensionis peramplius specificatis, easdem litteras de novo, si et in quantum opus est, confirmando. Praesentis vero diffinitionis executionem abbatibus in dictis assignationis pensionis litteris denominatis remittendo, in plenaria Ordinis potestate.

22. Pro affectu compatiens generale Capitulum paupertati et ruinosae desolationi monasterii de Palatio Lemovicensi, ad augmentationem numeri regularium personarum in eodem die noctuque Domino famulantium, reparationem quoque ac manutentionem aedificiorum eiusdem plurimum collapsorum, abbati et conventui modernis eiusdem loci ac successoribus suis favorabiliter annuit et facultatem permittit, quatinus possint et valeant quolibet die perpetuis futuris temporibus celebrare unam privatam missam ad voluntatem et devotionem celebrare debentium, pro intentione tamen et salute animae olim nobilis et devotae memoriae Antonii Daubuisson, domini temporalis, dum viveret, de Montelio, suorumque parentum et amicorum, proviso quod haeredes vel testamenti executores praedicti de Montelio defuncti assignabunt et realiter dare tenebuntur eidem monasterio suffi-

cientem redditum admortizatum, vel pecunias promptas ad illum emendum et admortizandum eidem monasterio, antequam praedicta missa celebrari debeat. Et casu quo praedicti haeredes aut testamentarii executores nollent aut non possent praedictum redditum fundare et assignare, de speciali gratia, consentit et permittit idem generale Capitulum, quod praedicti abbas et conventus praesentes et futuri possint, ab aliis catholicis benefacere volentibus praedicto monasterio, recipere fundationem competentem admortizatam vel admortizandam praedictae missae quotidianae.

23. Gratiam singularem facere volens generale Capitulum abbati de Bellobecco, eidem permittit et facultatem tribuit rehabilitandi sex religiosos suos ad omnes Ordinis legitimos actus, gradus, voces et honores, etiam abbatiali dignitate comprehensa.

24. Sufficienter informatum generale Capitulum super rebellione et duritia cordis abbatis de Gimonte, quottam contributionum per Ordinem sibi et monasterio suo impositam solvere renuentis, super quo coram Auxitanensi officiali in hac parte apostolico iudici magnus agitatur processus ; nolensque talem rebellionem et procacitatem in Ordinis vilipendium et praeiudicium non modicum diutius tolerare, dominis abbatibus de Claravalle, s. th. pr., ac de Ardorello, illis in partibus Ordinis commissariis, ipsis duobus coniunctim, si commode fieri poterit, sin autem, cuilibet districtius praecipit et mandat, quatinus ipsius Ordinis communibus expensis exactam faciant diligentiam dictum processum cum iurisperitis consulendi, et si per eorum consilium repertum fuerit ius Ordinis esse bonum et validum, illud prosequantur usque ad sententiam diffinitivam inclusive. Si vero intellexerint ius ipsum debiliter esse fundatum, faciant productionem iurium Ordinis copiari, et ad Rmum D. N. Cisterciensem, una cum praedictorum consiliariorum opinionibus quamcitius remitti.

25. Obviare cupiens generale Capitulum damnabilibus ac scandalosis discursionibus cuiusdam fratris Ioannis, in monasterio Sancti Ioannis Baptistae a Stamps originaliter professi, quem abbas dicti loci pluries suscipere renuit, eiusque saluti consulere desiderans, sub gravissimis Ordinis censuris eidem abbati in Stamps praecipit et mandat idem generale Capitulum, quatinus praefatum fratrem Ioannem recipiat, et ceteris filiis suis et fratribus associet, salva in omnibus Ordinis disciplina. Praesentis

diffinitionis executionem committendo primo Ordinis abbati super hoc requirendo, in plenaria Ordinis potestate.

26. Saluberrimae devotioni serenissimi domini regis Angliae totis praecordiorum affectibus favere et concurrere desiderans praesens generale Capitulum, omnibus et singulis monasteriis et conventibus Ordinis sexus utriusque in praedicto Angliae regno situatis, favorabiliter annuere decrevit, ut singulis diebus post maioris missae celebrationem, possint et valeant conventualiter alta vel mediocri voce legere et dicere duos sequentes psalmos : *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, et *Domine in virtute tua laetabitur rex*, cum certis versiculis et collectis, ad ipsius serenissimi domini regis intentionem et devotionem.

27. Domino de Morimundo committitur quatinus per Ordinis censuras indissimulanter compellat abbatem de Charitate ad subveniendum et realiter dandum summam centum libr. turon. fratri Ioanni de Maceriis, suo scolari collegii Sancti Bernardi Parisiensis, ad prosecutionem sui gradus et festi doctoratus in fdecus et utilitatem sui monasterii et Ordinis universi.

28. Ad idem, domino de Tribus fontibus committitur contra abbatem de Monasteriis in Argona, pro suo scolari dicti collegii Sancti Bernardi suppriore.

29. Summis desideriorum affectibus cupiens generale Capitulum, ordinationem dominorum de Firmitate et de Caroliloco et de Frigidomonte, s. th. pr., Rmi D. N. Cisterciensis in hac parte commissariorum, circa portarium in prima eiusdem collegii porta instituendum, plenum suum debere sortiri effectum, statuit et irrefragabiliter praecipit et ordinat praedictam dominorum commissariorum ordinationem et dispositionem confirmando plenariam vim et efficaciam sortiri debere, perinde ac si per idem Capitulum facta foret.

30. Frater Iacobus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioeesi, ceterique Diffinitores... et est talis : Generale Capitulum considerans litium anfractus ac processuum expensas esse monasteriis Ordinis plurimum nocivas et damnosas, reducere volens subditos suos ipsius Ordinis ad obedientiam, laudavit, ratificavit et approbavit articulos initos et passatos inter fratrem Ioannem, abbatem monasterii de Faezia, procuratorem et commissarium dicti Capituli generalis ex una, et Guidonem Ioannis presbyterum, procuratorem domini Ioannis de Venthadoro[f], Sanctae Sedis apos-

[f] Ventadoro : P^2.

tolicae protonotarii ac commendatarii abbatiarum de Obazina et de Gondonio, alias abbatiae novae, partibus ex altera, prout in articulis inter easdem partes initis vulgari sermone scriptis, ac per eumdem de Venthadoro commendatarium praedictum confirmatis continetur, ad vitam dumtaxat eiusdem protonotarii, absque praeiudicio futuri temporis. Quorum quidem articulorum tenor sequitur in haec verba. Et premièrement a esté dict et accordé que ledict abbé de Aubazine fera faire en son monastère de Aubazine les arcs-butans pour garder les fentes de la voute dudict monastère, à son regart et ainsi qu'il cognoistra à faire que ne se ouvrent, et ce dedans six ans prochainement venans. Item, aussy sera tenu de pourvoir et appliquer la maison où est commencé une viz de pierre laquelle est près du cloître devers le soleil couchant, et icelle garnir de lits et utenciles pour l'infirmerie pour mettre les religieux qui deviendront malades, ou seront viels ou valétudinaires, qui ne pourront dormir au dortoir regulariter, dedans deux ans prochains venans. — Item, et quant au nombre de religieux, ledict abbé sera tenu de entretenir en ladicte abbaye d'Aubazine dishuict religieux, tant pères que novices, et à ceulx faire pourvoir de victu et vestitu selon les statuts de l'Ordre et faculté dudict monastère. — Item, tant que bouche ladicte abbaye nouvelle, ledict abbé sera tenu de faire bâtir le bout dudict monastère et couvrir la voute de ladicte église, et faire les autres réparations audict monastère, ainsy qu'il cognoistra estre le plus expédiant selon la faculté deladite abbaye dedans six ans prochains venans. — Item, aussy ledict abbé sera tenu de mettre audict monastère de l'abbaye nouvelle trois relligieux prêtres et un novice, compris ceulx qui sont à présent pour mieux faire le service de Dieu, lesquels seront quatre en nombre, et ce dedans deux ans prochains venans. — Item, aussy sera tenu ledict abbé de payer un chascun an en sa vie durant pour toutes contributions, taxes et autres subsides audict abbé, chapitre général et deffiniteurs dudict ordre, à cause de ladicte abbaye d'Aubazine la somme de douze livres tournois, et ce à une chascune feste de saint Hilaire à l'abbé de Feyze, tant qu'il sera à ce commis, ou autre qui sera commis par ledict chapitre général, pourveu que ledict abbé de Aubazine ne sera tenu de les porter ni envoyer audict lieu de Cisteaulx ne ailleurs hors du ressort de la cour du Parlement de Bourdeaulx, ains en ladicte abbaye de Feyze audict jour de saint Hillaire, pourveu que quand il y aura mutation de commissaire à lever

lesdictes contributions, iceluy commissaire lui fera assavoir le premier an où il fera sa résidence dedans ledict ressort comme dit est trois jours devant ladicte feste saint Hillaire. — Item, aussy a esté dict et accordé que ledict abbé de Oubazine (*sic*) seroit tenu de payer durant sa vie un chascun an pour toutes contributions, taxes et autres subsides ausdicts abbé et chapitre général et deffiniteurs ou à leurs commis et députez à cause deladicte abbaye nouvelle la somme de trois livres tournois, et ce à chascune feste de saint Hillaire, comme dict est. — Item, et tant que touche les dépens faitz d'un côté et d'autre, les parties au nom que dessus et aussy de toutes autres choses sont demeurée quittes les uns envers les autres, sauf et réservé ce qui est dessus dit. — Item, a esté dict, que lesdicts abbé, chapitre et deffiniteurs ne pourront accroître ou augmenter par quelque nécessité que leur advienne lesdictes contributions outre lesdictes cy dessus déclarées durant la vie dudict de Vanthadour abbé susdit. — Item, aussy a esté dict, que sentence diffinitive en seroit donnée de ce que dict est par Monsieur de Tarrasson juge délégué selon la teneur de ce présent accord et transaction. Et semblablement par arrêt de la cour de Parlement ou autres subdéléguez. — Item, ont consenty les dictes parties et chascune d'icelles, que elles seroient absoltes et aussi les serviteurs et entremetteurs tant que besoin seroit absolution leur soit donnée par messieurs les officiels de Tuelle, de Cahours et alios quoscumque iudices delegatos, non obstantibus quibuscumque appellationibus, quibus partes renuntiaverunt. — Item, et laquelle transaction ou appointement lesdictes parties ont promis faire ratiffier dedans huit jours prochains venans.

Datum sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, anno, mense, die et loco praedictis.

31. Generale Capitulum mandat et praecipit sub Ordinis censuris primo Ordinis abbati, aut monacho in ordine sacerdotali constituto super hoc requirendo, quatinus citent fratrem Ioannem de Chillon, abbatem monasterii de Castellariis et fratrem Nicolaum Panefin, professum praedicti monasterii de Castellariis, ad generale Capitulum proxime venturum personaliter comparituros, responsurosque promotori causarum dicti Capituli generalis, super omnibus articulis et punctis per eumdem promotorem contra ipsos proponendis, cum intimatione quod sive comparuerint sive non, nihilominus contra eos procedetur per censuras Ordinis, prout iuris fuerit et rationis.

32. Capitulum generale committit abbatibus de Caduyno et de Pereigniaco et eorum cuilibet in solidum, quatinus se diligenter et debite informent super expulsione et eiectione fratris Ioannis Fulcade, monachi expresse professi de monasterio de Gymonte, facta per abbatem dicti monasterii de Gymonte, ne per abrupta vitiorum diutius vagari videatur in detrimentum et dedecus Ordinis, ad ipsum recipiendum, providendum in suo monasterio, aut faciendum quatinus iuris et rationis fuerit, cum plenaria Ordinis potestate.

33. Pensionem annuam fratri Petro Guymyer, seniori abbati monasterii de Mortuomari, indictam, confectam et assignatam per R. P. D. abbatem de Firmitate, plenaria Rmi D. N. Cistercii et Capituli generalis potestate fungentem, et abbatem de Ursicampo, patrem abbatem dicti monasterii de Mortuomari immediatum, prout in litteris tractatus, cui haec praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat in plenaria Ordinis potestate ; committit insuper, mandat et praecipit idem generale Capitulum abbatibus de Firmitate, de Bonoportu, de Bellobecco, et eorum cuilibet in solidum, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias, et per Ordinis censuras cogant et compellant modernum abbatem de Mortuomari et suum conventum per se et suos assessores quolibet anno integre et indefectibiliter et perfecte ad solvendum dicto seniori abbati suam dictam pensionem sic assignatam, contentam et mentionatam in dicto tractatu. Datum, etc.

34. Nos frater Iacobus, etc. Considerans generale Capitulum singularem zelum et affectum quem modernus abbas Caroliloci, s. th. pr., visceraliter gerit erga studentes et scolares nostri collegii Sancti Bernardi Parisiensis, eidem abbati dat facultatem et permissionem habitandi seu moram trahendi, quamdiu vitam duxerit in humanis, in camera dicti collegii quam prius inhabitabat praedecessor suus, et nunc senior abbas dicti monasterii Caroliloci, cum hortulo et ceteris ad dictam cameram pertinentibus, cum facultate etiam faciendi seu construendi unum stabulum inter dictam domum et hortum, quo nunc permissione Ordinis utuntur Alemani.

35. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Longovado et de Cheminione, quatinus se diligenter et debite informent super accensatione cuiusdam capellae ruinosae spectantis monasterio de Albaripa, cum suis pertinentiis et iuribus, facta

et passata inter abbatem et conventum dicti monasterii de Albaripa ex una, et Claudium Gerardot, Stephanum Gerardot et suos consortes in ipso contractu mentionatos partibus ex altera ; et si dictum tractatum invenerint utilem et fructuosum eidem monasterio de Albaripa, confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

36. Provisionem, installationem et promotionem factam per R. in Christo P. D. abbatem Morimundi, Ordinis commissarium, de persona fratris Andreae Thibault, in monasterio Clarifontis, prope Luxemburgum, Trevirensis dioecesis, prout in decreto, cui praesens diffinitio annectitur plenius continetur, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, supplendo, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

37. Sententiam, appointamentum et declarationem per dominos abbates de Firmitate et de Bonoportu, s. th. pr., auctoritate Capituli generalis in hac parte fungentes, factam, dictam et promulgatam, prout in eisdem litteris, quibus hae praesentes annectuntur, de verbo ad verbum plenius continetur, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

38. Abbatibus de Firmitate, de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus seu earum monasteria, aut quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta invenerint magistro Ioanni Marsot, bedello collegii Sancti Bernardi Parisiensis debite teneri, obligatas seu obligata esse, sive eiusdem bona detinentes aut indebite occupantes, tam in pecuniarum summis seu aliis quibuscumque bonis aut debitis, ad eidem realiter et de facto satisfaciendum astringant et compellant, in plenaria Ordinis potestate.

EXCUSATIO ABBATUM

39. Excusantur a via praesentis Capituli generalis abbates de Bonoradio, de Cambrone, de Villari, de Igniaco, de Strata, de Noa Ebroicensis dioecesis, qui certis et rationabilibus causis impedientibus venire nec comparere potuerunt huic praesenti Capitulo generali.

40. Excusatur a via praesentis Capituli generalis pro hoc anno abbas de Sancto Andrea, qui etiam certis mediis et causis impedientibus venire aut comparere non potuit, et excusationem suam legitime misit. — Ad idem pro abbate de Bonoportu.

41. Capitulum generale de gratia speciali excusat et supportat omnes et singulos abbates, qui hoc anno praesenti ad dictum Capitulum generale non venerunt, aut venire non potuerunt, dum hoc per contemptum non fecerint, cum plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate.

CONTUMACES

42. Quia legitime constitit praesenti generali Capitulo fratrem Ioannem Gentis, alias Dequoe, suppriorem et monachum professum monasterii de Vallencia Pictaviensis dioecesis, admodiatorem, praefati monasterii citatum fuisse personaliter per abbatem de Bonavalle ad praesens Capitulum generale in Cistercio, ad requestam promotoris causarum dicti Capituli generalis. Qui quidem frater Ioannes sic citatus minime comparuit ; eapropter dictum generale Capitulum ipsum nuntiat, declarat et reputat contumacem, rebellem, excommunicatum et inobedientem, mandatque de novo et committit idem generale Capitulum quibuscumque abbatibus et personis Ordinis regularibus in sacerdotio constitutis, quatinus rursum citent aut citari faciant personaliter eumdem fratrem Ioannem Gentis superius nominatum ad proxime venturum generale Capitulum, responsurum ad ea quae sibi per dictum promotorem obiicientur et proponentur. Datum, etc.

SUFFRAGIA

43. Capitulum generale compatiens paupertati et inopiae monasterii monialium de Argenteacella, benigne confert et con-

cedit omnibus personis benefactoribus et zelatoribus, qui pro sustentatione et reparatione dicti monasterii de bonis sibi a Deo collatis dicto monasterio largiti fuerint et dederint, plenariam participationem et associationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt ac, Domino concedente, de cetero fient in toto ipso Ordine, in vita pariter et in morte usque ad biennnium, dummodo nulla saecularis persona pernoctet in eodem monasterio, occasione praedictae gratiae ac participationis, cum plenaria Ordinis potestate.

44. Capitulum generale considerans devotionem et quamplurima servitia eidem Ordini facta et impensa per honorabilem et discretum virum magistrum Leonardum Prolieti [g] in utroque iure licentiatum ,locumtenentem domini senescalli seu baillivi Petragoricensis, in ducatu Aquitaniae, eumdem Prolieti ad confraternitatem ipsius Ordinis ac plenam participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt, *etc. ut supra n*^o^ 43.

45. Fiat suffragium pro illustrissimo rege Angliae.

46. Capitulum generale pro compassionis affectu condolens ruinis, desolationibus, paupertatibus et penuriis monasterii de Gratia Dei, Bisuntinensis dioecesis, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui ad sublevationem et relevationem eiusdem monasterii manus praebuerint adiutrices, ac de bonis sibi a Deo collatis eidem contulerint, idem generale Capitulum annuit plenariam participationem et associationem omnium bonorum spiritualium.

1506

A) Subscribuntur nomina abbatum qui interfuerunt Capitulo generali 1506.

De Cistercio, s. th. pr., de Firmitate, de Claravalle, s. th. pr., de Morimundo, de Caroliloco, s. th, pr., de Eleemosina Cistercii, de Tribus fontibus, de Bellavalle Bisuntina, de Valle clara, de Signiaco, de Rigniaco, de Ioyaco, de Maceriis, de Monte Sanctae Mariae, de Pinu, de Bullione, de Aceyo, de Cheminione, de Lon-

[g] Proheti: A^4.

1506. *Fontes*: A^4: 10, 12; L^5: A, B, C, 1-52; P^2: B, C, 1, 2, 7, 8, 9, 13 *pars prim.*, 15, 16, 18 *(abbrev.)*, 20, 28, 29, 41, 46, 47.

govado, de Faesia, de Theoloco, de Monasteriis in Argona, de Charitate, de Barbello, de Valle dulci, de Escallariis, de Sigilleriis, de Lococrescenti, de Rippatorio, de Gratia Dei, de Callovio, de Albaripa.

B) Intitulatio diffinitionum. — Nos frater N. abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitiores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo die ... mensis ... anno Domini ... tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam diffinitio cuius tenor sequitur et est talis ... Datum in diffinitorio nostro Cisterciensi, sub appensione sigilli Diffinitorum anno, mense et die praedictis.

C) Ordo secundum quem notarii abbates communiter registrant diffinitiones et acta Capituli generalis. Primo ponitur intitulatio anni, item, Orationes, deinde : *a*) Generales — *b*) Speciales — *c*) Commissiones — *d*) Electionum confirmationes — *e*) Confirmationes tractatuum — *f*) Rehabilitationes — *g*) Iudices — *h*) Excusatio abbatum — *i*) Contumaces *j*) Suffragia.

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo sexto, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b] ... *etc. ut in anno* 1504.
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum Ordo noster etc. necnon in summa 128 54 libr. 2 solid. 2 denar. obol. turon. pro resta computationum generalis Capituli ....cetera desunt.

7. Multiplicibus patrum Ordinis, super moderno contributionum statu, querimoniis mature pensatis, generale Capitulum

[a] *Titulus apud* L^5. [b] Sub Iulio 2°... *etc.* : P^2.

attenta temporum varietate et qualitate, paci studens et unitati dissidiumque propulsare cupiens, praedictas totius Ordinis contributiones moderatur, remittit, et ex certa scientia ex nunc ad antiquam reduxit taxam, secundum quam revisis visitatisque registris anni ac temporis videlicet 1494 quibus nuperrime fuerant immutatae, commissiones ad eas secundum praefatam antiquam taxam colligendas expediantur, salvis tamen arreragiis praefatarum contributionum, iuxta taxam et formam praecedentium commissionum a commissariis earumdem repetendis.

8. Cum provida praecedentium patrum discretio pernecessariam duxerit privilegiorum Ordinis confirmationem et corroborationem a singulis Summis Pontificibus, quamvis magnis sumptibus et expensis procurandam et obtinendam, praesens generale Capitulum eorum vestigiis inhaerendo, perniciosis nocivisque protonotariorum commendatariorumque incursionibus et ceteris monasteriorum nostrorum invasoribus obviare ac providere cupiens, praefatorum Ordinis privilegiorum ratificationem et confirmationem a sanctissimo domino nostro Summo Pontifici moderno Iulio Papa II, decernit, determinat et diffinit requirendam et obtinendam, pro eius prosecutione et expeditione quantocius assequenda ac certa gratificatione, ipsi Summo Pontifici more solito, ex parte totius Ordinis transmittenda, idem Capitulum pro hac vice tantum, attenta praesenti contributionum reductione et moderatione, gratiosum concedit imponi, imponitque subsidium summae videlicet 8000 florenorum, seu librarum turon. super toto Ordine assignandum, pro cuius astallatione, collectione, delatione, praefatorumque privilegiorum prosecutione ceterisque exinde resultantibus provide matureque perficiendis Rmus D. N. Cisterciensis, cum ceteris primis patribus Ordinis mature providebit et ordinabit. Solvetur autem idem subsidium infra proximum sancti Remigii festum, secundum cuiuslibet monasterii astallationem, non obstantibus quibuslibet pecuniarum summis aliquibus abbatibus debitis, aut litteris in contrarium facientibus quibuscumque.

9. Quia propter plurimorum abbatum Ordinis erga eorum ecclesias et alia loca regularia irreverentiam et indevotionem, plures et varii casus defectusque scandalosi reperiuntur, in grave divinae maiestatis offensam, totiusque populi christiani scandalum, praesens generale Capitulum tantae negligentiae obviare cupiens, universis Ordinis abbatibus districte praecipit, quatinus

ut solito melius circa regularium observationem morumque reformationem, ecclesiae, claustrorum, capituli, dormitorii, ceterorumque locorum regularium decorationem, munditiam et honestatem ferventer intendant, omnibus ipsius Ordinis commissariis, patribusque abbatibus districte praecipiendo, quatinus in annuis et singulis eorum visitationibus, quas annuatim exsequi tenebuntur, de hiis vigilanter se informent ; contravenientes autem et negligentes acriter corripiant.

10. Manutenentiae, conservationi et defensioni iurium, privilegiorum, libertatum, statutorum, laudabilium consuetudinum et praeeminentiarum Ordinis et personarum eiusdem, pro posse, ut dignum est, favere, ac contra earumdem infractores et invasores, possibiles resistentias et defensiones adhibere cupiens, generale Capitulum, omnes et singulos generales et particulares Ordinis procuratores hactenus in omnibus Parlamentorum aliarumque iurisdictionum quarumlibet curiis institutos et nominatos et etiam nominandos, iterum nominat, instituit atque creat et continuat cum omnimoda potestate, clausulis universis in talibus necessariis, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

11. Ad supplicationem illustrissimi principis domini Ulrici, ducis in Wurtenberg, comitis Montisbelligardi, et illius devotioni ac vehementi ad Ordinem zelo, generale Capitulum benigne condescendens, venerabilibus de Salem et de Speciosa valle monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet committit et districte iniungit, ut ipsi aut alter eorum, quantocius et opportunius poterunt, seu poterit, se ad monasterium monialium de Lurchaliarch et de Rechenshofen, alias de Corona B. M., personaliter transferant, seque debite informent, si praedicti monasterii de Lurchaliarch unionem alio de Rechenshofen, iuxta iuris et Ordinis statuta et privilegia, fieri expediat, et quid super hiis fecerint aut alter fecerit, ad generale Capitulum fideliter remittatur, quo facto super dicta unione fienda aut respuenda generale Capitulum efficaciter providebit, in plenaria Ordinis potestate.

12. Capitulum generale querelis abbatum de Franconia religiosos suos ad collegium Ordinis studii generalis Aibergensis [c]

---

[c] **Anbergensis** : *L*[5].

mittere debentium possetenus satisfacere cupiens, eosque ab excessivis pro bursa seu alimonia provisionis dicti collegii contributionibus relevare desiderans, eidem provisori districte inhibet, ne intuitu diffinitionis super suae provisionis omnimoda contributione alias emanatae confecta, dictos scolasticos aut eorum abbates gravet, nisi ipsorum scolasticorum actu inibi studentium numerus decennarium excedat, eidem provisori ut compulsorium Ordinis contra abbates ibidem scolares non habentes diligenter exsequatur expresse praecipiendo.

13. Visa supplicatione generali Capitulo pro parte fratris Georgii abbatis in Caesarea porrecta, idem Capitulum ipsi abbati suorum intuitu meritorum favorabiliter inclinatum, de gratia speciali plenariam Capituli generalis sibi confert auctoritatem rehabilitandi sex Ordinis personas sibi immediate subiectas, cum eisque super omni inhabilitatis et infamiae nota per eos suorum exigentia criminum contracta, dispensandi, exceptis tantum casibus pro quibus ad Sedem Apostolicam esset recurrendum. Praeterea eidem abbati id instantissime poscenti permittitur, ut honestis ac nobilibus matronis licentiam raris temporibus ecclesiam ingrediendi, ac parentum virorumque suorum sepulturas visitandi conferre valeat, ita quod alia monasterii loca non ingrediantur, et statim peractis earum devotionibus, neque comedendo ibidem nec bibendo, monasterium egrediantur.

14. Ad petitionem abbatis de Veterimonte, qua gratiose requirebat secum super missione scolaris ad studia generalia dispensari, oneribus quae consideranda erant pensatis, et matura patrum deliberatione digestis, sic cum eodem abbate gratiose idem generale Capitulum dispensat, quod proximo biennio ad huiusmodi studia scolarem mittere minime compelletur, statutis et diffinitionibus in contrarium factis non obstantibus quibuscumque, dummodo transacto biennio mittat.

15. Generale Capitulum libenter annuens viris ad perfectionem tendentibus, ut Ordo per eos illustretur, fratris Ioannis Regnault, abbatis de Villari, baccalarii Parisiensis, supplicationi condescendens eidem liberaliter annuit, ut in Universitate Lovaniensi in posterum studere et ibidem doctoratus insignia suscipere possit, ita tamen conditione quod iuramenta in talibus assueta et necessaria secundum formam statuti Capituli generalis praestare tenebitur in manibus abbatum de Alna, de Boneffia et de Loco Sancti Bernardi, seu eorum alterius ad hoc ex nunc

per idem Capitulum deputatorum, videlicet quod nunquam ad quamcumque dignitatem vel praeeminentiam devenerit procurabit per se vel per alium, directe vel indirecte, contra statuta, ordinationes et privilegia Ordinis nostri, sed quantum eius fuerit facultas, favebit eisdem et procurabit, militabit et sataget pro manutenentia eorum firmitate et stabilitate perpetua.

16. Similis gratia abbati de Forda in Anglia impertitur, ut gradum doctoratus in Universitate Oxoniensi assequi valeat, ea tamen conditione quod simile iuramentum praestare tenebitur.

17. Cum pro parte fratris Delphini Torloyn generali fuisset Capitulo supplicatum, ut electionem, promotionem et institutionem de ipsius persona ad dignitatem abbatialem monasterii de Nigrolacu, alias de Domo Dei, per abbates de Pratea et de Fontemorum, vigore commissionis vicariorum generalium domini Claraevallis, dicti loci patris abbatis immediati, factas iuxta formam et tenorem decreti desuper confecti, confirmare dignaretur, et ex adverso pro parte fratris Ludovici Preneraudi, s. th. bacc. form. ius canonicum in ipsa dignitate ex causis per eum allegatis multipliciter praetendentis, obiecta fuerit contra ipsius decreti confirmationem oppositio, abbatibus de Rigniaco, de Curia Dei, de Barbello et de Callovio, et eorum duobus in solidum, committit idem Capitulum et iniungit, quatinus partibus hinc inde coram se aut eorum duorum citatis et vocatis, causam audiendi, eamque pace aut iudicio praefatum decretum confirmando vel infirmando fine debito terminent, et ipsam dignitatem abbatialem, adhibito iurisperitorum consilio, parti ius potius in ea habenti, Deo prae oculis habito, adiudicent. Quod si debita sagacique informatione praemissa neutri praedictorum competitorum ius in ipsa abbatiali dignitate canonicum quaesitum compererint, ipsi monasterio iure devoluto in plenaria praefati Capituli et totius Ordinis potestate de persona idonea ac sufficienti provideant; contradictores ad ea quae super hiis rite decreverint per censuras ecclesiasticas compescendo.

18. Audita per generale Capitulum gravi querimonia abbatis Morimundi asserentis, quod cum nuper frater Ioannes Tenault, sui monasterii cellerarius, eidem annuas recepti et expensi totius monasterii computationes audiendas praesentasset, idem dominus Morimundi de debita praefati cellerarii fidelitate nimium confidens, easque debite ac legitime factas existimans signavit et approbavit. Postmodum vero occupationibus semotis, easdem

seriose discutiens falsas comperit et erroneas, ipsius Capituli iuridicum super hoc implorans remedium. Cuius igitur ut error calculi saepius et quotiens opportunum fuerit repeti et corrigi de iure possit et valeat, abbatibus de Crista, de Vallibus in Ornesio et de Valle dulci, et eorum cuilibet in solidum, committitur quotiens ex parte praedicti domini abbatis Morimundi fuerint requisiti, aut alter eorum fuerit requisitus, praefatum fratrem coram se citent, illumque ad computationes suas denuo afferendas et exhibendas per censuras Ordinis compellant, et illas fideliter ac diligenter examinent ; in quibus si quid erroris deprehenderint, aut alter eorum deprehenderit, id corrigant et emendent, in praemissisque et eorum singulis et circumstantiis eorum, ab eisque dependentibus quibuscumque efficaciter procedant, ipsius domini abbatis de Morimundo praedictarum computationum, approbatione signata aut aliis quibuscumque non obstantibus, in plenaria Ordinis potestate.

19. Ad aures Capituli generalis pervenit, ac non sine gravi displicentia deductum est, quod nunnulli religiosi monasterii de Nigrolacu, Bituricensis dioecesis, qui iam ab antiquo tempore multas insolentias, nequitias, disturbationes in eodem monasterio faciunt, suntque ita iuncti simul in nequitia et colligati, quod ab abbate eorum nequaquam corrigi possint et emendari. Quamobrem generale Capitulum huiusmodi insolentiis et abusionibus finem imponere volens et cupiens, committit abbatibus de Rigniaco, de Fontemorum et de Callovio, et eorum cuilibet in solidum districte praecipiendo, ut se ad dictum monasterium, vel si tutus non patuerit accessus, ad locum propter hoc per alterum eorum propius eligendum et nominandum, accedant, seu alter eorum accedat, citatisque citandis et auditis audiendis, dictos fratres, si eos conspiratores et rebelles eorum abbati et Ordini, ut praefertur, invenerint, secundum exigentiam suorum delictorum eosdem puniant, et districte corrigant, in plenaria Ordinis potestate.

20. Cum falsus precator carere debeat impetratis, audita fratris Georgii, abbatis in Caesarea, supplicatione qua fratrem Ioannem Stihirnagel dicti monasterii professum, asserit anno praeterito a generali Capitulo per subreptionem falsamque narrationem, certam obtinuisse diffinitionem seu commissionem abbatibus de Salem et de Bebenhusen et eorum cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus citatis citandis, partibus

hinc inde auditis, si praefatam diffinitionem compererint subreptitiam et erroneam, eamdem tamquam falsam cassent, revocent et annullent, eaque non obstante, praefatum fratrem Ioannem ad omnimodam compellant et reducant subiectionis obedientiam. Testes vero si se favore vel odio subtraxerint quominus veritati testimonium velint perhibere, compellant in omnimoda Ordinis potestate ; et quod ipsi abbates decreverint statuendum et ordinandum faciant per censuras ecclesiasticas firmum observari.

COMMISSIONES

21. Cum sollicitudine praecipua intendit generale Capitulum universum Ordinem in priorem gloriam per sanctae reformationis studium reducere, domino abbati Claraevallis, s. th. pr., negotium praesentis reformationis et visitationis in regnis Hispaniae, Lingua occitana et locis adiacentibus committit exsequendum, in plenaria Ordinis potestate, secundum articulos eidem per Rmum D. N. in ipsa commissione tradendos et inserendos.

22. Visitatio et omnimoda reformatio in partibus Germaniae et sex regnis adiacentibus domino abbati de Morimundo committitur exercenda, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, secundum articulos, *etc. ut supra.*

23. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., generale Capitulum pro privilegiorum, libertatum aliorumque negotiorum Ordinis prosecutione et confirmatione impetranda, aliisque eiusdem Ordinis in Curia romana pertractandis, secundum articulos per Rmum D. N. eidem super hoc exhibendos, legationis officium ad Sanctissimum dominum nostrum commitit et iniungit cum potestate visitandi et reformandi omnia utriusque sexus Ordinis monasteria, in tota Italia et locis circumstantibus situatis, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

24. Electionem, promotionem et institutionem fratris Bernardi de Castellione ad dignitatem abbatialem monasterii de Longovado per abbatem de Claravalle, eiusdem loci patrem abbatem, rite et legitime factas ... *etc.* confirmat ... *etc.* supplendo, *etc.*

25. Provisionem, promotionem et institutionem fratris Ioachim Rossin, in monasterio de Vallentia, Pictaviensis dioecesis per dominum Claraevallensem, eiusdem monasterii patrem abba-

tem, iure providendi sibi devoluto, prout in litteris... *etc.* confirmat... *etc* ... supplendo ... *etc.*

26. Ad idem, de persona fratris Ioannis Scharb ad dignitatem abbatialem monasterii Campiprincipis, Frisingensis dioecesis, per dominum abbatem Alderspachiensem, eiusdem loci patrem abbatem... supplendo, *etc.*

27. Ad idem, de persona sororis Iaquelinae de Baugeyn ad dignitatem abbatialem monasterii sanctimonialium de Virgulto, in dioecesi Cameracensi, domino Claraevallensi immediate subiecto, per eumdem dominum Claraevallensem, *etc.*, supplendo; *etc.*

28. Provisionem, installationem et promotionem per abbates de Prulliaco et de Valle lucenti, Rmi D. N. Cisterciensis in hac parte commissarios, de persona fratris Ioannis Brisson, in monasterio de Ioyaco, Senonensis dioecesis, monasterio Pontigniaci immediate subiecto, prout in litteris ... ac etiam acceptationem, ratificationem et confirmationem domini Pontigniaci ... *etc.* supplendo, *etc.*

29. Visis litteris decreti electionis, promotionis et institutionis fratris Iacobi Millon ad dignitatem abbatialem monasterii de Escalleriis, Senonensis dioecesis, via Spiritus Sancti, per priorem et conventum, coram abbate de Rigniaco, vigore commissionis abbatis de Fonteneto, patris abbatis immediati, rite electi, *etc.* supplendo,

30. Quia propter multiplicitatem et ponderositatem causarum et materiarum diffiniendarum et terminandarum in hoc praesenti generali Capitulo existentium, quae propter brevitatem temporis in Cistercio expediri non possunt, illas Rmo D. N. Cisterciensi, quatuor primis, et illis quos cum eis vocare voluerit, apud Divionem terminandas, diffiniendas relinquit et remittit, in plenaria Ordinis potestate.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

31. Abbatibus de Firmitate, de Claravalle et de Tribus fontibus, et eorum duobus, committit praesens generale Capitulum, quatinus de et super contentis in litteris tractatus initi, facti et passati inter abbatem de Charmeya ex una, et Mariam Lallemant, relictam Ioannis Darust, partibus ex altera, super traditione cuiusdam domus, curiae, pourprisiae et pertinentiarum suarum ipsi monasterio spectantis, in villa Catalaunensi existentis, eidem

viduae ad censum annuum et perpetuum, pro causis et sub conditionibus in litteris praefatorum abbatis et conventus plenarie declaratis, facta, debite, diligenter et fideliter se informent ; et si eumdem tractatum rationabilem, ipsique monasterio utilem fore invenerint, illum cum suis clausulis et conditionibus approbent, ratificent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

32. Praesens generale Capitulum abbatibus de Valle crescenti et de Valle benedicta, et eorum cuilibet in solidum, committendo dat in mandatis diligenter visitandi tractatum initum et passatum inter abbatem et conventum de Leoncello, Valentinensis dioecesis, ex una, et Stephanum et Michaelem Raymundi partibus ex altera, diligenterque super hoc informatione facta, si senserint praedictum tractatum... *etc. ut supra.*

33. Abbatis et conventus de Leoncello, Valentinensis dioecesis, supplicationi condescendens generale Capitulum, pro causis in ea contentis, abbatibus de Valle crescenti et de Valle benedicta, et eorum cuilibet in solidum, committit et iniungit, quatinus de et super contractu seu conventione et pacto inter eosdem de Leoncello et procuratorem fiscalem Dephinalem, ut seriose lateque per litteras constat, initis et passatis, debite et diligenter se informent, et si eiusmodi tractatum... *etc. ut supra.*

34. Visa per generale Capitulum supplicatione eidem pro parte Perriny Viard, alias Valles de Rubeomonte, porrecta, praesenti diffinitioni alligata, qua tractatum dudum inter eum et abbatem et conventum de Gratia Dei, super certa traditione ac perpetua cuiusdam vineae, in litteris praefati contractus inter eos confectis, cuius copiam exhibuit, plenius continetur, per idem generale Capitulum ratificari poscebat et confirmari, abbatibus de Bellavalle et de Charitate coniunctim et divisim committit et iniungit Capitulum praefatum, quatinus de et super ipso contractu contentisque in litteris praefatis, se diligenter, debite ac sufficienter informent, et si tractatum... *etc. ut supra.*

REHABILITATIONES

35. Gratiam singularem Capitulum facere volens abbati de Caesarea, suorum intuitu meritorum et gratorum obsequiorum per eum Ordini zelo laudabili exhibitorum, eidem facultatem tribuit et auctoritatem sex Ordinis personas, pro quibus rogavit, ab omni inhabilitatis et infamiae nota per eas pro quibuscumque

excessibus contracta, rehabilitandi, ut hiis non obstantibus ad omnes Ordinis actus, voces, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, promoveri valeant et assumi, nisi tales casus essent tam graves propter quos Sedes Apostolica esset petenda.

36. Eamdem rehabilitationis gratiam fecit Capitulum abbati de Faezya usque ad quatuor Ordinis personas.

IUDICES

37. Dominis abbatibus de Firmitate, de Claravalle et de Morimundo, et aliis per Rmum D. N. nominandis, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, seu eorum monasteria aut quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta, eidem Rmo D. N. eiusdem conventui invenerint singulis personis aut monasterio suo Cisterciensi debite teneri, *etc. ut in forma consueta.*

38. Ad idem, pro abbate de Tribus fontibus, dominis abbatibus de Firmitate, de Claravalle et de Bullencuria, et eorum cuilibet in solidum.

39. Ad idem, pro fratre Ioanne Blonde, priore de Roseriis, iudices deputantur domini abbates de Caroliloco, de Regalimonte, ac provisor collegii Sancti Bernardi Parisiensis, s. th. pr.

40. Ad instantiam Ioannis de Bergier, mercatoris et civis Remensis, contra abbatem de Villari modernum conquerentis, iudices deputantur abbates de Fusniaco, de Signiaco et de Ellancio, et eorum quilibet in solidum.

EXCUSATIONES ABBATUM A VIA CAPITULI GENERALIS

41. Capitulum generale de gratia speciali excusat et supportat omnes et singulos Ordinis abbates, qui hoc anno praesenti ad dictum generale Capitulum non venerunt, aut venire non potuerunt, dummodo hoc per contemptum non fecerint, in plenaria Ordinis potestate.

42. Fratris Christiani abbatis in Stamps supplicationi condes-

cendens praesens generale Capitulum, eumdem pro causis in ipsa supplicatione contentis uti rationabilibus et legitimis, eumdem usque ad sequens biennium supportat et eximit ab accessu personali eiusdem Capituli generalis, statutis ac diffinitionibus in contrarium editis non obstantibus quibuscumque.

CONTUMACES

43. Quia praesenti Capitulo generali constitit abbatem de Pomerio legitime fuisse citatum per fratrem Georgium priorem de Par. ad instans generale Capitulum, promotori causarum Ordinis responsurum, qui minime comparuit nec alium pro se misit, licet sufficienter expectatus et vocatus. Eapropter dictum generale Capitulum eumdem abbatem contumacem, inobedientem, rebellem et excommunicatum declarat et denuntiat. Omnibus igitur nostri Ordinis regularibus personis firmiter praecipiendo districtius mandat et praecipit, quatinus ipsum sic excommunicatum declarent, publicent et denuntient in plenaria Ordinis potestate.

44. Generale Capitulum fratres Iohannem Gentil et Antonium Girault monasterii de Valentia expresse professos, ad instantiam Promotoris causarum eodem vigore mandati domini de Firmitate Ordinis commissarii ad praesens Capitulum debite citatos, vocatos et sufficienter expectatos, qui nec venerunt nec alium pro se miserunt, idem Capitulum generale eosdem contumaces, rebelles et excommunicatos declarat et denuntiat. Omnibus et singulis abbatibus, prioribus, officiariis ac regularibus personis Ordinis in sacro ordine presbyteratus constitutis, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis mandans et praecipiens, omnesque et singulos dominos curatos, vicarios, presbyteros ac notarios seu tabelliones publicos in favorem et subsidium iustitiae requirens et rogans, ut unus alium non expectando, nec alter super alterum se excusando, dum et quoties requisti fuerint, aut alter eorum requisitus fuerit, dictos fratres sive per affixionem copiae praesentium aut alias, prout melius, poterunt, contumaces, rebelles et excommunicatos denuntient, declarent et publicent, seu denuntiari, declarari et publicari faciant et procurent ; dans et concedens idem generale Capitulum abbati de Regalimonte

commissario, ut quoties iidem fratres pro perpetratis poenituerint et humiliter absolutionem requisierint, ac debita satisfactione emendationem promiserint, ipsos et quemlibet eorum absolvendi.

SUFFRAGIA

45. Capitulum generale pro compassionis affectu condolens ruinis, desolationibus et paupertatibus monasterii sanctimonialium de Vitriaco, Catalaunensis dioecesis, omnibus et singulis Christi fidelibus qui ad sublevationem et relevationem eiusdem monasterii manus praebuerint adiutrices, et de bonis sibi collatis contulerint, idem generale Capitulum plenariam confert participationem et associationem omnium bonorum spiritualium quae fiunt, et quae Domino concedente, de cetero fient in toto ipso Ordine, in vita pariter et in morte, usque ad quinquennium, in plenaria Ordinis potestate.

46. Pro compassionis affectu ruinis, desolationibus et paupertatibus monasterii sanctimonialium de Onans, Ordinis Cisterciensis, in Bisuntinensi dioecesi, generale Capitulum benigne compatiens, omnibus et singulis christifidelibus... *etc. ut supra*, Abbatem de Roseriis ceterosque vicinos Ordinis abbates in Christi visceribus affectuose monendo et requirendo, quatinus sua bonorum temporalium abundantia praedictarum sororum penuriam sublevent, et eis in tanta necessitate tam charitative subveniant, quod per huiusmodi pietatis opera aeterna praemia consequantur.

47. Attentis [d] per generale Capitulum charitativa humanitate et benevolentia quibus egregii ac magnifici viri domini ac magistri Ioannes et Germanus de Gannay, consulares regii, erga personas et loca Ordinis praesertim erga monasterium Claraevallense affici dignoscuntur, ad instantiam venerabilis dicti loci abbatis, eisdem ac etiam praefati magistri Ioannis primi supremae curiae Parlamenti praesidentis uxori, plenariam confert omnium bonorum Ordinis spiritualium, participationem et associationem.

48. Ad instantiam abbatis Caroliloci, simile suffragium confertur honorabili viro domino ac magistro Yvoni Brinon, eiusque consorti ac eorum liberis.

---

[d] Relatis : *L*[5].

49. Generosis personis domino Baltasard Soph de Voketard et Ursulae uxori suae, ad instantiam abbatis de Caesarea, Capitulum generale donat et concedit omnium bonorum spiritualium associationem et plenariam participationem.

50. Ad idem, requirente abbate de Ellanceyo, conceditur simile suffragium honorabili viro Gerardo, domino tunc Maceriensi et eius consorti.

51. Ad supplicationem abbatis de Longovado, consimile suffragium et eadem participatio et associatio conceditur honestis personis Guillermo Ynerurys et Isabellae eius uxori.

52. Ad instantiam abbatis de Septem fontibus, novem aut decem personis gravibus in sua supplicatione nominatis consessum est Ordinis suffragium, sed non levamen.

1507

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo septimo, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 12854

1507. *Fontes* : A^4 : 15 ; Du^1 : 12 ; Du^2 : 7 ; L^5 : 1-63 ; *M*, 16, *sub ann.* 1508 ; P^2 : 1, 7, 10, 12, 13, 15 *(abbr.)*, 16, 30, 47 ; *U* : 7 ; *W* : 7.

[a] *Titulus apud* L^5 ; Ex anno 1507 in Rogationibus : P^2. [b] Sub Julio 2°, *etc.* : P^2.

libr., 2 solid., 2 denar. obol. turon. pro resta computationum generalis Capituli ...

7. Cum personae religiosae divino cultui mancipatae ceteris a Domino in exemplum sunt positae, attendens generale Capitulum quod ceteri fideles ac plebei saeculares in diversis dioecesibus consistentes, ex approbata locorum consuetudine, devotionis gratia, in die festo beati Marci Evangelistae solent a carnibus abstinere, personis Ordinis universi per praesentem iniungit diffinitionem, quatinus de cetero, ne aliis transeat in scandalum, in his dioecesibus et provinciis in quibus saeculares compererint ab esu carnium abstinere, moribus inhabitantium pro tempore, charitatis gratia, se conformantes ab esu carnium in monasteriis et alibi deinceps irrefragabiliter abstineant ipsa die.

8. Manutenentiae ... *etc. ut anno* 1506, nº 10.

9. Quia propter multiplicitatem, varietatem et difficultatem diversorum negotiorum... *etc. ut in anno* 1506, *nº* 30.

10. Generale Capitulum diffinitiones praecedentibus annis in hac parte editas insequendo, et eas innovando et approbando, diffinit et decernit, quod omnes et singuli qui de cetero abbates ipsius Ordinis praeficientur, personaliter in sequenti Capitulo generali comparere, aut nuntium pro se mittere cum decreto suae promotionis ipsi Capitulo exhibendo teneantur, alioquin donec id fecerint, duplum quottae suae contributionis solvere tenebuntur, omnibus et singulis earumdem contributionum collectoribus et commissariis committendo, quatinus de hiis qui in hac parte vitiosi fuerint et negligentes, se informent, et eosdem ad ipsius dupli contributionis solutionem compellant per censuras Ordinis, in plenaria ipsius potestate.

11. Generale Capitulum omnes et singulos abbates, qui ad praesens Capitulum personaliter venire non potuerunt, nec pro se miserunt, qui tamen quottam subsidii et contributiones sibi impositas solverunt, de gratia speciali excusat et supportat a comparitione personali pro hac vice dumtaxat.

12. Animarum saluti monasteriorumque utilitati providere cupiens Capitulum generale, attentis temporum malitiis, variisque multiplicibus periculis, Ordinis electionibus ac provisionibus dietim, proh dolor ! emergentibus, dominis abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo facultatem confert et auctoritatem omnes et singulas Ordinis personas sibi immediate subiectas pro conscentiarum serenitate ab omnibus

et singulis casibus, sententiis et censuris ipsi Capitulo generali reservatis, dum subiecta sibi immediate visitaverint monasteria, absolvendi. Ipsis insuper dominis quatuor primis abbatibus ac ceteris omnibus et singulis patribus abbatibus Ordinis universi, de gratia speciali, idem Capitulum per praesentem diffinitionem futuris perpetuis temporibus duraturam concedit potestatem et plenariam facultatem omnes et singulas ipsius Ordinis sexus utriusque personas sibi immediate subiectas, pro validandis ac tutius celebrandis futuris electionibus, monasteriorum provisionibus, secludendisque processuum anfractibus, item ad huiusmodi electionis et provisionis actum procedere voluerint, et eorum commissarii ab omni inhabilitatis et infamiae nota per eas et earum quamlibet quovismodo contracta, ad praefatum electionis activae dumtaxat rite celebrandum relevandi, cum eisdem quoque misericorditer dispensandi.

13. Attenta per generale Capitulum moderna Ordinis paupertate, ac pro ipsius maiori supportatione ordinatur, quod abbatibus qui eiusdem Capituli de cetero notarii constituentur, quottae contributionum sibi suisque monasteriis imponendarum, praetextu huiusmodi notariatus officii, minime relaxabuntur. Attamen eorum laborem praecedente competenti expeditionum taxatione debite recognoscentur, proviso tamen quod notarii abbates hoc anno deputati suorum consideratione laborum quos in expediendis praedicti Capituli negotiis assumpserunt, a contributione in eodem praesenti Capitulo imposita, quantum eos suaque monasteria concernit quitti et absoluti remanebunt.

14. Cum ob multiplicitatem ac varietatem causarum Ordinis, gravitatemque ac difficultatem materiarum in Curia romana totius Ordinis nomine per abbatem Caroliloci, s. th. pr., et eius collegam, abbatem scilicet de Cheminione ad hoc per generale Capitulum deputatos, secundum ipsius ordinationem, instructionem et memorialia prosequendas legationis huiusmodi negotium in praesenti Capitulo minime valuerit terminari, omnimoda eius dispositio, conclusio et expeditio ad 21 diem mensis septembris proxime futuri Divione vel in Cistercio remittit Capitulum memoratum per Rmum D. N. Cisterciensem, dominosque quatuor primos, aliosque Ordinis abbates, quos ad hoc vocandos decreverit idem Rmus terminandum, qui omnes ad praefatam diem una cum notariis Ordinis, abbatem videlicet de Signiaco et abbatem

de Bullione, qui loco praefati de Cheminione, praestito iuramento in talibus assueto, notarius est ordinatus, comparere propterea personaliter tenebuntur.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

15. Visis matureque pensatis litteris [c] generali Capitulo pro parte abbatum monasteriorum Ordinis in marchisatu [d] Brandeburgensi situatorum, sub eorum sigillis transmissis, fratrum videlicet Petri de Lenyn, Benedicti de Czenna, Ioannis de Colbatz Lucae de Novacella, Petri de Paradiso, Antonii de Nemore, Mariae Ioannis de Chorin [e] Arnoldi de Coeli porta, Ioannis de Loco coeli, ceterorumque circumvicinorum monasteriorum abbatum, quibus ex causis per eos in eisdem narratis, licentiam sibi conferri, collegium unum in civitate Francfordensi iam in fundamentis erectum, quo Ordinis nostri fratres in artium et theologiae facultatibus studere possent ac proficere, perficiendi, ipsumque collegium privilegiis et libertatibus Parisiensis ceterisque generalibus studiis et collegiis collatis per idem Capitulum muniri poscebant et requirebant. Visis insuper aliis etiam patentibus litteris ex adverso eidem generali Capitulo pro parte undecim abbatum in Misnia atque Thuringia existentium porrectis, quibus pluribus ex causis per eos enarratis, praefati novi collegii in Francfordia super Oderam fluvium concessionem et constructionem, quam sibi suisque successoribus et eorum monasteriis ceterisque collegiis Ordinis in illis partibus ab antiquo fundatis, plurimum nocivam asserebant, sub censuris Ordinis prohiberi ac praepediri supplicabant. Attentis finaliter praefatarum partium discrepationibus Ordinisque privilegiis ac statutis dudum super generalibus nostrae religionis gimnasiis ac studiis hactemus inconcusse observatis, idem generale Capitulum neutri partium praeiudicare cupiens, domino abbati de Morimundo eiusdem Capituli in partibus illis ceterisque circumvicinis commissario ac reformatore generali, committit et iniungit, quatinus de et super praemissis omnibus et singulis in eisdem litteris contentis, eorumque dependentiis, evocatis secum et assumptis abbatibus de Ebraco, de Fonte salutis, de Sconavia, de Lankeim et de Bilde-

[c] patentibus : *A*⁴. [d] marchionatu : *A*⁴. [e] Chenyn : *L*¹.

hausen, et aliis quos vocare decreverit, fideliter et diligenter vocatis vocandis, et auditis audiendis, personarum acceptione remota, se informet, et secundum quod super hiis omnibus invenerit et agnoverit, cum praedictorum patrum deliberatione, faciat, terminet et disponat praefatum collegium novum, prohibendo aut permittendo, ipsumque negotium, si fieri possit, totaliter terminando, in plenaria Ordinis potestate; sin autem, sequenti Capitulo generali in scriptis referre satagat. Quo facto, idem Capitulum in praemissis, uti ratio suadebit et aequitas providebit, ordinabit. Interim vero praefatis abbatibus de marchionatu Brandeburgensi praecipit, quatinus ab omnibus praefati collegii structuris et aedificiis penitus supersedeant et abstineant, scolaresque suos ad collegia Ordinis assueta mittant et continuent, donec aliter per eumdem dominum de Morimundo, praevia causae cognitione, fuerit determinatum.

16. Audita per generale Capitulum gravi querimonia fratris Nicolai, abbatis Signiaci, Remensis dioecesis, super eo quod cum idem Signiacense monasterium more plurimorum aliorum Ordinis sexus utriusque monasteriorum, diversis in partibus fundatorum, primaevam regulae sancti Benedicti quoad abstinentiam esus carnium traditionem, utpote Deo gratam, monachis aptam et utilem, sanctisque canonibus conformem, per annos quadraginta quatuor retinuisset, fratesque inibi Domino famulantes hac vivendi forma hactenus perstitissent [f], nihilominus modernus abbas Igniacensis dicti loci superior immediatus, in mense ianuario nuper elapso idem monasterium Signiacense paterna visitando auctoritate, formam ipsam vivendi moribus utentium tamdiu approbatam, praepropere praetermisso iuris ordine, matura patrum deliberatione, uti dixit, et de facto per cartam inibi suo sub sigillo confectam, ac praesenti generali Capitulo per eumdem conquaerentem realiter exhibitam, scripsit et asseruit, penitus abolevit, immutavit et destruxit, iniungens de cetero fratribus eiusdem loci more aliorum circumvicinorum monasteriorum carnes ministrari, ne, quod absurdum videtur, ipsis pro diversitate observationis gravamen aliquod, uti dicebat, a domini legati commissis reformatoribus inferretur. Quod quidem in grave animarum detrimentum, monasterii gravamen, perniciosumque exemplum vergebat. Super quibus omnibus habita patrum collatione [g] ac deli-

[f] retinuissent: *M.* [g] collocutione: *M.*

beratione diligenti, attentis Ordinis institutis aliisque in hac parte considerandis, idem Capitulum praefatam visitationis cartam praesenti diffinitioni alligatam, quoad huiusmodi commutationis et innovationis articulum, ordinationem ac iniunctionem [h] per dictum de Igniaco super carnium administratione factam, tamquam sine patrum iussu aut ordinatione praesumptam cassat, revocat et annullat, monasterium ipsum in pristinum statum reducendo et relinquendo. Et nihilominus animarum saluti providere cupiens idem Capitulum, cum coacta Deus non requirat servitia, abbati de Ellancio committit, quatinus ad idem monasterium de Signiaco personaliter quamprimum poterit accedat, praesentemque diffinitionem publicet et exsequatur; singulorum insuper fratrum vota, mentes ac etiam corporum qualitates scistitetur, consideret et inquirat. Et si id eorum saluti expediens et necessarium compererit, ipsis eiusdem Capituli auctoritate, ut de cetero, more aliorum Ordinis monasteriorum, *Benedictinam*, et alia Ordinis privilegia et indulta insequentium, carnibus vesci possint in posterum permittat, nullum vero cogat, quibuscumque [i] Signiaci fratribus et eorum cuilibet mandat et praecipit idem Capitulum, quatinus eidem de Ellancio in hac parte devote pareant et obediant.

17. Cum frater Delphinus Torloyn [j] monasterii de Nigrolacu professus ac in abbatem eiusdem monasterii, uti asserebat, per loci ipsius fratres electus, omne ius quod in eadem abbatiali dignitate praetendebat in favorem et utilitatem... [k] protonotarii de Maulpas, spretis Ordinis privilegiis, institutisque et personis realiter et cum effectu cesserit et transtulerit, uti praesenti Capitulo tum legitimis documentis tum etiam fide dignorum attestationibus, et quod maius est, ipsius fratris Delphini super hoc in diffinitorio plenius auditi et interrogati propria confessione et declaratione sufficienter constitit et constat. Hinc est quod generale Capitulum, praemissis attentis atque visis, quae in maximum vergunt praefati monasterii ac ipsius Ordinis detrimentum perniciosumque ceteris exemplum, praefatum fratrem Delphinum, suis exigentibus huiusmodi culpis et excessibus, in ipso diffinitorio, matura patrum deliberatione, per praesentem diffi-

[h] immutationem : *L*[5]. [i] quibus quidem : *M*. [j] Dalphinus Tourbes, *iuxta* GALL. CHRIST. II, 197. [k] Claudii de Mesme, *iuxta* GALL. CHRIST. t. II, 197 ; *cf. infra ann.* 1508, n° 21, 33.

nitivam sententiam excommunicatum declaravit et declarat, ac etiam inhabilem ad quodcumque beneficium et officium in Ordine quomodolibet in futurum assequendum. Quodque in praesenti Cisterciensi monasterio per annum integrum in carceribus detrudetur, omni sexta feria pane sustentatus et aqua. Ante cuius quidem carceris intrusionem, in Capitulo Cisterciensi in omnium dominorum Diffinitorum ceterorumque abbatum et monachorum praesentia, ad posterorum memoriam et aliorum terrorem, ne similia, quod absit, attentent, regularem suscipiat disciplinam. Et nihilominus cum exempli praesentia nos praecavere moneat in futurum, omnibus et singulis abbatibus, abbatissis et monachis ceterisque eiusdem Ordinis personis regularibus idem generale Capitulum sub eisdem poenis, videlicet excommunicationis latae sententiae, et inhabilitatis ad quaecumque officia, dignitates, et administrationes Ordinis, ne de cetero quomodolibet ipsius nostrae religionis dignitatem, officium seu administrationem in favorem cuiuscumque saecularis alteriusve religionis personae cedere aut transferre praesumant. Universis patribus abbatibus, commissariis et visitatoribus praesentem diffinitionem insinuent et publicent, ne quis de ignorantia se valeat excusare.

18. Attentis apostasiis, furtis, maleficiis, criminibus, insolentiis, irregularitatibus et vitiis per fratrem Hugonem ... de Valle dulci professum, in grave Ordinis scandalum suae salutis detrimentum, nimia mentis obstinatione et obduratione perpetratis et hactenus continuatis, generale Capitulum cupiens tantis malis et insolentiis, ne deterius pulullent, finem imponere, praedictum fratrem suis exigentibus demeritis et culpis, matura deliberatione, ad carceres perpetuos in praesenti monasterio Cisterciensi, vel alio per Rmum D. Cistercii eligendo et nominando, subeundos expensis sui monasterii condemnavit et condemnat. Abbatibus vel abbati ad quos vel quem praefatum fratrem transmitti contigerit, praecipiens, quatinus eum recipiant et tute custodiant, monasterii praedicti de Valle dulci expensis.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

19. Abbatibus de Tribus fontibus et de Cheminione coniunctim committitur, quatinus diligenti inquisitione facta de contentis in supplicatione contra abbatissam et conventum Sancti Iacobi prope Vitriacum, praesenti Capitulo generali porrectam, cui

praesens diffinitio annectitur, si res veritati innititur, supplicantes eiusdem Capituli auctoritate ad contractus in eadem supplicatione mentionati cassationem, via iuris prosequendam, attento gravi monasterii praedicti detrimento compellant; et nihilominus cum eisdem super praestito iuramento in eodem contractu expresso, eadem auctoritate dispensent.

20. Visis supplicationibus, extractis, appointuamentis et documentis generali Capitulo pro parte abbatis et conventus de Vallibus Sernay porrectis, ac praesenti diffinitioni alligatis, abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte committit generale Capitulum, quatinus de et super praemissis omnibus et singulis in eisdem supplicationibus plenius specificatis et eorum dependentiis, vocatis vocandis et visis videndis, ipsi tres, aut eorum duo, fideliter et diligenter se informent, et praefatis de Vallibus Sernay iuxta iuris et rationis exigentiam, partium acceptione remota, adhibito iurisperitorum consilio, negotium debite terminent et breve partibus ministrent iustitiae complementum.

21. Generale Capitulum visa supplicatione abbatis et conventus de Gratia Dei, Bisuntinensis dioecesis, asserentium certos parvos parvique valoris redditus annuos in ipsa civitate Bisuntina, a se remota, suumque monasterium annuatim debere percipere, quorum quidem reddituum ac censuum perceptio ac collectio adeo difficilis est et sumptuosa, quod saepenumero expensa superat ipsam receptam, peneque eis suoque monasterio redduntur inutiles, implorantes propterea ipsos redditus pro maiori ipsius monasterii utilitate distrahendi ac vendendi, et ipsius venditionis summam in alios sibi proximiores redditus convertendi, licentiam sibi de gratia speciali conferre. Abbati igitur de Charitate, dicti loci superiori ac patri abbati, committit idem Capitulum, quatinus de et super praemissis fideliter ac diligenter se informet, et si praefatos census et redditus praedicto monasterio minus fructuosos compererit, ipsis supplicantibus eosdem redditus et census Bisuntinenses distrahendi, et venditionis summam inde provenientem in alios sibi suoque monasterio proximiores ac utiliores convertendi licentiam eis conferat, et emptionem huiusmodi tamen laudet, approbet et ratificet, in plenaria Ordinis potestate.

22. Visa et matura deliberatione pensata supplicatione abbatis Vallis sanctae, Aptensis dioecesis, committitur abbatibus de Sinaqua et de Leoncello et cuilibet ipsorum, quatinus se diligen-

ter ac debite informent super quodam contractu facto et inito inter abbatem et conventum dicti monasterii de Valle sancta ex una, et honestos viros Vitalem Valeta, parrochiae de Mesliaco, Vivariensis dioecesis, Dionisium Blanquicastri de Heuris, Vabrensis dioecesis, et alios plures in dicto tractatu, cui haec praesens diffinitio annectitur, nominatos, partibus ex altera, ex causis et sub conditione et modificationibus in eodem peramplius contentis et specificate, et si eumdem tractatum utilem, *etc.*

23. Domino abbati de Morimundo abbatique de Bellavalle coniunctim committit praesens generale Capitulum, quatinus de et super contractu ac transactione inter abbatem et conventum de Lococrescenti ex una parte, et virum nobilem dominum Ioannem Dalerjoye parte ex altera, factis et initis, prout in litteris sub sigillo officialis curiae Bisuntinensis desuper confectis, praesentique diffinitioni annexis, seriose continetur, fideliter ac diligenter, vocatis evocandis, se informent, et si praefatum contractum, *etc.*

24. Tractatum factum et initum per abbates et conventus monasteriorum de Monasteriis in Argona et de Cheminione praesenti Capitulo suis sub signis manualibus, una cum signatura abbatis de Tribus fontibus, eorumdem patris abbatis immediati, exhibitum praesenti diffinitioni de verbo ad verbum et de consensu praedictorum de Monasteriis et de Cheminione abbatum, idem generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat. Tenor sequitur de verbo ad verbum in hunc modum. Nous frère Pierre Marlast, etc... Et in fine sic signatum. Datum, etc.

25 Salutarem sanctamque reformationem et clausuram in monasterio monialium de Honore B. M., alias Flines, abbati et monasterio Claraevallis immediate subiecto, per abbatem de Nizella et fratrem Guillermum de Bruxella, eiusdem monasterii de Flines patrem confessorem, dicti abbatis Claraevallis in hac parte commissarios, Dei cooperante gratia hoc anno praesenti introductam, et ab abbatissa et toto conventu dicti loci solemniter voluntarieque susceptam et acceptatam, praesens generale Capitulum ad futuram rei memoriam approbat, ratificat, confirmat, et perpetuat per praesentes in plenaria Ordinis potestate. Ut autem ipsa sancta reformatio et clausura ad Dei omnipotentis honorem, sacrae nostrae religionis commendationem, animarum salutem, et populi christiani aedificationem, in eodem monasterio perpetuis futuris temporibus vigeat, continuetur ac perseveret,

praefatum generale Capitulum dicto abbati Claraevallis, suisque successoribus committendo mandat, quatinus tam per se quam per deputatos et commissarios suos efficaciter intendat, studeat et procuret ipsam sanctam reformationem et clausuram semper ac perpetuo ibidem debite observari, personas eiusdem monasterii ad illius observationem omnibus appellationibus ac exceptionibus postpositis per censuras Ordinis compellendo. Quia tamen ad dicti generalis Capituli pervenit audientiam plerasque eiusdem monasterii personas simoniae vitio in receptione et ingressu monialium ad probationem et professionem implicari, indeque conscientiam sibi scrupulosam formare, misericorditer agere volens idem generale Capitulum, cum eisdem praesentium tenore, dispensando dat auctoritatem praefato confessori omnes et singulas eiusdem monasterii personas dicti criminis simoniae, ac aliis quibuscumque casibus generali Capitulo reservatis irretitas in foro conscientiae cum poenitentiae salutaris iniunctione absolvendi. Praeterea cum eisdem super praemisso vitio rehabilitatione opus habentibus, dum sic ut praemittitur, absolutae fuerint, ipsum generale Capitulum dispensat, easque rehabilitat, ut non obstante praemisso vitio simoniae, ad omnes gradus, voces, actus, officia et beneficia, abbatiali etiam dignitate de gratia speciali inclusa, possint ac valeant promoveri, hoc tamen ante omnia proviso quod dicta sancta reformatio at clausura, sicut praemittitur, iuxta Ordinis statuta, omnibus diebus manuteneatur ac integraliter in perpetuum observetur, in plenaria praefati Capituli et Ordinis potestate.

COMMISSIONES

26. Visis supplicatione, diffinitione et aliis munimentis generali Capitulo pro parte fratris Ludovici Prenerauldi, ius in abbatiali dignitate de Nigrolacu praetendentis, exhibitis et porrectis, attentisque rationibus et causis in eadem specificatis, generale Capitulum abbatibus de Pontigniaco, de Rigniaco, de Fonte Ioannis et de Quinciaco, quos certis ex causis rationabilibus ad omnimodam praecedentis diffinitionis praesenti affixae executionem, loco aliorum abbatum in eadem nominatorum, qui ex causis in ipsa supplicatione narratis id exsequi minime potuerunt, substituit et subrogat, committit et praecipit, quatinus causam ipsam inter praedictum supplicantem ex una, et fratrem Delphinum

Torloyn, seu alium quemcumque vice eius contendentem, partibus ex altera, ratione praefatae dignitatis abbatialis de Nigrolacu motam, in quacumque sit instantia, iuxta formam et tenorem huiusmodi praecedentis diffinitionis audiant, et iuridice diffiniant, aut ipsi monasterio de novo provideant in plenaria Ordinis potestate, hac adiecta conditione quod alter eorum ad ipsius causae introductionem, informationem ac preparationem vice omnium procedere valeat, ad decisionem vero ac finalem ipsius terminationem duo saltem vel ipsi omnes conveniant et eam terminent.

27. Visa supplicatione generali Capitulo pro parte R. P. D. Ludovici, episcopi Vabrensis, monasterii de Grandisilva commendatarii, contra quosdam fratres ipsius monasterii professos, quos in multis accusat, gratiose porrecta, auditaque praefatorum fratrum excusatione multiplici, abbatibus de Candelio et de Ardorello, de consensu partium electis, committit et praecipit idem Capitulum, quatinus de et super contentis in earumdem partium supplicationibus, articulis et documentis, datis et dandis, earumque querimoniis, causis et querelis ac dependentibus earumdem, ipsi coniunctim quoties requisiti fuerint, fideliter ac diligenter, semota personarum acceptione, se informent, et iuxta casuum exigentiam, auditis audiendis, matura deliberatione praevia, adhibito, si opus sit, iurisperitorum consilio, corrigant, puniant aut absolvant, et uti aequitas suadebit per omnia faciant, partibusque ministrent iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate. De his vero quae fecerint in hac parte, proximum generale Capitulum certificare tenebuntur. Omnibus autem dicti monasterii Grandisilvae personis mandat Capitulum memoratum, quatinus praefatis abbatibus commissariis devote pareant et humiliter obediant.

28. Visis mature per generale Capitulum pensatis supplicatione et instrumento praesentibus affixis eidem Capitulo pro parte fratris Iacobi de Debesia, abbatis de Elnis, in dioecesi Tolosana, porrectis, auditisque gravibus querimoniis super controversiis, iurgiis ac ceteris gravaminibus et impedimentis ipsi proviso abbati, praetermisso iuris ordine, spretisque ipsius Ordinis institutis, per fratrem Ioannem Teurada mediis obliquis et exquisitis multipliciter illatis, idem Capitulum tantis abusibus obviare et male praesumpta cupiens resecare, abbatibus de Gimondo et de Calercio et de Villalonga, et duobus eorum coniunctim committit, praecipit et iniungit quatinus partibus coram se evocatis, de praemissis omnibus et singulis, electione, confirmatione, appellatione,

abusivoque processu, partiumque titulis et documentis, fideliter ac diligenter, semota partium acceptione, se informent, et rerum veritate cognita, super his omnibus et eorum dependentiis breve ac finale partibus ministrent iustitiae complementum, in plenaria totius Ordinis et Capituli generalis potestate. Testes vero Ordini subiectos, per censuras Ordinis compellant veritati testimonium perhibere, universis ipsius Ordinis personis regularibus praecipiendo, quatinus praefatis abbatibus et eorum duobus, ut praefertur, in hac parte incunctanter pareant et devote obediant.

29. Licet frater Ioannes Trousseaul, monasterii de Buxeria Andegavensi electus, ad instantiam promotoris causarum Ordinis ad secundam diem praesentis Capituli generalis, uti legitime constitit, ad obiicienda responsurus citatus extiterit, auditis tamen nuntii per eum transmissi excusationibus et causis pro parte ipsius allegatis, praesens Capitulum uti rationabiles acceptat, eumdem Trousseaul ab huiusmodi citationis elapsae praetensis causis prosecutione ulteriori favorabiliter supportat et excusat hac vice, proviso tamen quod in proximo sequenti Capitulo comparebit, et suae electionis decretum exhibebit.

30. Attenta supplicatione fratris Bernardi Chauson, monachi Grandissilvae, asserentis, quod in ipso monasterio iam tunc commendato, post annum probationis votum regulare emisit et habitum Ordinis assumpsit per manus cuiusdam abbatis Ordinis sancti Benedicti, tunc vicarii eiusdem commendatarii, propter quod iuxta Ordinis statuta formidat inhabilitatis maculam contraxisse, benignam ipsius Capituli gratiam requirendo, attentis quod praefati Ordinis privilegia insequendo professionem regularem iuxta ipsius Ordinis indulta in manibus domini Claraevallis, praefati monasterii commendati superioris immediati, ad quem omnimoda spiritualis iurisdictio eiusdem monasterii Grandissilvae ex indulto apostolico dignoscitur pertinere regulariter emittendi, idem Capitulum praefatum fratrem Bernardum ab omni inhabilitatis aut infamiae nota per eum praemissorum occasione contracta, relevando, ipsumque ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos rehabilitando, licentiam sibi confert et facultatem professionem huiusmodi in manibus praefati domini Claraevallis superioris immediati, in forma Ordinis assueta, emittendi.

31. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., abbatique de Cheminione collegae suo, generale Capitulum pro privilegiorum, libertatum, aliorumque negotiorum Ordinis prosecutione et confirmatione

impetranda, aliisque eiusdem Ordinis negotiis in Curia romana pertractandis, secundum articulos per idem Capitulum confectos et eisdem traditos, legationis officium ad S. D. N. Papam, suscepto prius ab eis fidelitatis iuramento in talibus assueto, committit et iniungit cum potestate visitandi et reformandi omnia utriusque sexus Ordinis monasteria et loca in tota Italia et locis circumstantibus situata, in plenaria Ordinis potestate.

32. Abbati de Vetericella praesens generale Capitulum committit, mandat et praecipit, quatinus pendente litigio inter abbates monasteriorum Ordinis in marchionatu Brandeburgensi ex una, et abbates monasteriorum in Misnia atque Thuringia existentium partibus ex altera, ratione constructionis et erectionis seu ex adverso deiectionis cuiusdam novi collegii in civitate Francfordensi suborto, et donec partibus auditis praevia causae decisione per R. D. abbatem Morimundi ad hoc deputandum, si per eum posset terminari, sin alias per idem Capitulum matura fuerit decisione conclusum et penitus terminatum, ipse de Vetericella, eiusdem Capituli auctoritate per censuras Ordinis et alias iuris vias abbates omnes praefati marchionatus Brandeburgensis compellat et astringat ad mittendum scolares suos ad collegia Ordinis assueta ut antea, in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbatis et conventus de Longovado, Lingonensis dioecesis, supplicationi condescendens Capitulum generale, attentis piis affectibus, quibus erga eos et suum monasterium plurimum affici dignoscuntur vir honestus Guillermus Yvernois et devota consors eius Ysabella, missas, vigilias ac cetera pietatis et devotionis suffragia eisdem coniugibus per praedictos de Longovado, secundum formam et tenorem litterarum suarum suis sigillis confectarum, quibus praesens diffinitio est annexa, et ex causis in eisdem enarratis gratiose concessas, concessa et oblata consentit, approbat et ratificat, in plenaria Ordinis potestate.

DISPENSATIO

34. Visis attenteque consideratis litteris regiis pro parte prioris et conventus de Fulcardimonte, Rothomagensis dioecesis, nuper oblatis super rescisione et cassatione plurium contractuum inter certos contendentes et ius in dignitate abbatiali ipsius monasterii diutino tempore litigiose praetendentes ex una, et alios plures particulares partibus ex altera, de et super certis ipsius monas-

terii rebus et bonis in eisdem litteris specificatis et contentis, in ipsius monasterii praeiudicium initis et passatis, attentaque supplicatione eorumdem fratrum praefatis litteris ac praesenti diffinitioni alligata, praesens generale Capitulum animarum saluti et monasterii indemnitati providere cupiens, cum praedictis fratribus et eorum quolibet a fide et iuramentis per eos super contractibus anteditis praestitis et exhibitis benigne dispensat, et eos ab eisdem misericorditer relevat et absolvit, in plenaria Ordinis potestate, eisdem fatribus praecipiendo, quatinus huiusmodi tractatuum cassationem et revocationem diligenter ac iuridice prosequantur.

35. Supplicationi abbatis et conventus de Moris condescendens Capitulum generale abbatibus de Regalimonte, de Ripatorio et de Longovado, et eorum cuilibet committit, quatinus de et super contractu inter praefatos supplicantes ex una parte, et Ioannem Doussot iuniorem, et Perretam eius uxorem de Charrena, parte ex altera, de terris, rebus, et ex causis, modis et conditionibus in eorumdem fratrum de Moris desuper passatis, inito et confecto fideliter ac diligenter vocatis vocandis se informent, aut eorum alter informet. Et si eumdem tractatum rationi consonum... *etc.*

36. Remittitur abbas de Loco Dei in Ponthino supplicans, ad abbatem de Bonoportu, eidem committendo quatinus secum evocato procuratore monasterii monialium de Thesauro particulas receptae et expensae per eumdem supplicantem traditas et exhibitas, videat et examinet ; et quod inde debito calculi libramine compererit, proximo referat seu scripto remittat generali Capitulo.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

37. Electionem, promotionem et institutionem fratris Georgii Wankhauser, ad dignitatem abbatialem monasterii de Raytenhaslach, dioecesis Salzburgensis, via Spiritus Sancti, electi ac per abbatem de Salem, dicti loci patrem abbatem immediatum, rite et legitime, *etc.* supplendo. *etc.*

38. Electionem, promotionem et institutionem fratris Emerany Dieur, ad dignitatem abbatialem Fontis regis, in dioecesi Augustensi, per abbatem de Salem, eiusdem monasterii patrem abbatem et superiorem immediatum, admissa prius spontanea fratris Heliae loci ipsius abbatis praedecessoris resignatione, via compromissi, legitime et rite factas, *etc.* supplendo, *etc.*

39. Electionem, promotionem et institutionem fratris Yvonis Compaing ad dignitatem abbatialem monasterii de Pratea, in dioecesi Bituricensi, via Spiritus Sancti, per dicti monasterii fratres concorditer electi, et per abbatem de Rigniaco, domini Claraevallis, praefati monasterii patris abbatis immediati, commissarium, rite et legitime, *etc.* supplendo, *etc.*

40. Confirmatum est decretum promotionis et institutionis fratris Rogerii de Hocagnes ad abbatialem dignitatem monasterii de Loco Dei in Pontino, per dominum de Bonoportu, Rmi D. N. Cistercii commissarium, factarum.

REHABILITATIONES

41. Sicut insolentes impoenitentes non permittit iustitiae rigor, ita et a vitiis resipiscentes pia mater charitas iudicat amplexibus admittendos. Licet itaque dudum frater Ioannes Adenet, monasterii de Bullencuria professus, suadente humani generis inimico, suae professionis immemor contra stabilitatis votum ab eodem monasterio illicentiatus egrediens per menses aliquot vagabundus et insolens in saeculo apostatavit, habitu tamen regulari retento perstiterit, propter quod secundum Ordinis instituta inhabilitatis et infamiae notam dignoscitur incurrisse. Attamen quia, uti veridica sui abbatis relatione compertum est, idem frater motu proprio, Deo se vocante, ad ipsum regrediens monasterium, iniunctam sibi pro casus exigentia poenitentiam humiliter ac sponte peregit, idem Capitulum praefati abbatis supplicationi condescendens, eumdem fratrem Ioannem ab huiusmodi infamiae et inhabilitatis nota relevat, cum eodemque misericorditer dispensat, ut praemissis non obstantibus ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, si id promeruerit in posterum, et suorum intervenerit assensus superiorum, promoveri valeat et assumi.

42. Ad idem, pro fratre Guillemo de Pinu, monasterii de Grandisilva professo, super apostasia per duos menses in saeculo persistendo, habitu regulari retento, rehabilitatur ad omnes Ordinis actus legitimos, etc.

43. Ad idem, pro fratribus Ioanne Gut et Felice Hubert presbyteris, de proprietatis vitio convictis, et fratre Gaspare ex Kantzstat de lubricitate carnis convicto, monachis monasterii in Bebenhusen.

44. Abbati de Bullione conceditur facultas rehabilitandi tres Ordinis personas, quarum duae sunt sibi professae et tertia ad eum ventura infra sex menses, proviso quod earum nomina quamcitius scripto declarabit Rmo D. Cistercii.

45. Ad idem, pro fratribus Petro Caprum et Ioanne de Lebearde, qui tempore Iubilaei novissime elapsi limina apostolorum Petri et Pauli visitare cupientes, licentia ab abbate suo de Caricampo bis petita et non obtenta, monasterium ipsum sunt egressi.

46. Ad idem, pro sorore Catherina de Villiers super continentiae voto per eam violato, puerperio inde secuto, de consensu suae abbatissae de Blandeis.

CONTUMACES

47. Quia, uti generali Capitulo legitime constitit... protonotarius de ... monastarii de Albigniaco commendatarius, ad instantiam promotoris causarum citatus ad secundam diem praesentis generalis Capituli, eidem promotori super obiiciendis responsurus, sufficienter avocatus et expectatus minime comparuit, nec alium pro se misit, eapropter dictum generale Capitulum eumdem commendatarium ac protonotarium contumacem, rebellem et excommunicatum declarat et denuntiat, omnibus et singulis ipsius Ordinis regularibus personis super hoc requirendis praecipiendo, quatinus ipsum sic excommunicatum declarent, publicent et denuntient, in plenaria Ordinis potestate.

CITATIONES

48. Auditis per generale Capitulum gravibus delictis et excessibus per fratrem Ioannem Terrada in Ordinis praeiudicium, ac contra ipsius indulta multipliciter perpetratis, temporeque et loco peramplius declarandis, quae in maximum vergunt ipsius Ordinis detrimentum, idem Capitulum ex causis legitimis praefatum fratrem Ioannem Terrada personaliter citandum decrevit. Quo circa omnibus et singulis ipsius Ordinis regularibus personis in sacro presbyteratis ordine constitutis praecipit, alias vero nostro Ordini minime subiectas in iuris subsidium requirit, quatinus praefatum fratrem Ioannem Terrada, eiusdem Capituli auctoritate et ordinatione ad secundum diem proxime futuri generalis Capituli personaliter compariturum peremptorie citent,

promotori causarum Ordinis ad obiicienda responsurum, uberiusque processurum, prout iuris fuerit et rationis. De his vero quae fecerint in praemissis, praefatum Capitulum certificare tenebuntur.

49. Auditis per generale Capitulum nonnullis rationibus, accusationibus et querelis in abbates modernos de Valleclara et de Boheriis ac de Valle regis in diffinitiorio propositis, iniectis et ventilatis, tempore et loco competentibus peramplius declarandis, idem Capitulum praefatos de Valleclara et de Boheriis personaliter, praedictum vero de Valle regis peremptorie citandos esse decrevit. Quo circa omnibus et singulis eiusdem Ordinis personis regularibus in sacro presbyteratus ordine constitutis praecipit idem Capitulum, ceteros vero Ordini minime subiectos, *etc. ut supra*, cum intimatione, *etc.*

IUDICES

50. Attenta supplicatione Ioannis Le Verois, civis Remensis, visisque cedulis, litteris ac recognitionibus abbatis et officiariorum monasterii de Igniaco, praesertim computo per abbatem modernum de Villari postulato, tunc temporis de Igniaco, cum eodem Le Verois 12 iunii anni 1503 facto et per eum signato, praesens generale Capitulum abbatibus de Longoponte et de Valleclara, et eorum cuilibet committit et praecipit, quatinus vocatis vocandis, praefatos abbates et officiarios ad plenarie et integraliter ipsi Ioanni Le Verois creditori, de summis in eisdem cedulis seu computo contentis, satisfaciendum, astringant et compellant per censuras Ordinis, aliasque iuris et iustitiae vias, in plenaria Ordinis potestate.

51. Ad idem, abbatibus de Caroliloco et de Regalimonte executoribus testamenti Catherinae viduae cuiusdam dicti Gelée, Parisiis dum viveret, commorantis.

52. Ad idem, pro domino de Pontigniaco, abbatibus de Rigniaco, de Fonte Ioannis et de Quinciaco, et cuilibet eorum.

53. Et generaliter omnibus Ordinis abbatibus iudices requirentibus conceduntur.

SUFFRAGIA

54. Pro generoso et praepotenti domino domino de Busseyo, eiusdem consorti ac liberis eorumdem.

55. Ad idem, pro confratribus ecclesiae parrochialis Sancti Nicolai in Trecis civitate, ad instantiam domini Claraevallis et honorabilis viri Guillelmi Molé, civis Trecensis, ad triennium.

56. Ad idem, pro universis Christi fidelibus manus adiutrices porrigentibus ad restaurationem ecclesiae monasterii de Loco Dei in Pontino, ad quinquennium.

57. Ad idem, pro honesto viro magistro Matheo Chanane, mercatore apud Calvummontem commorante.

58. Ad idem, pro magistro Matheo de Nobescourt, Noviomensis dioecesis, ad instantiam procuratoris monasterii de Valcellis.

59. Ad idem, pro R. D. episcopo Atrebatensi, ad instantiam fratris Guillelmi de Bussoliis, monasterii monialium de Flinis prope Duacum.

60. Ad idem, pro quinque consiliariis regiis in Parlamento Tolosano, ad instantiam sindici monasterii de Grandisilva.

61. Ad idem, pro cancellario Bourboniensi et aliis quatuor officiariis Bourboniensibus, ad instantiam abbatis de Septem fontibus.

62. Ad idem, pro Laurentio Hica et Philippo de La Ruelle, matre et uxore ac liberis eiusdem de La Ruelle, ad instantiam abbatis de Pinu.

* * *

63. Finaliter cum dominus episcopus Abrincensis, monasterii Savigniacensis contra Ordinis privilegia, uti Capitulo relatum est, in monasteriis filiationis Savigniacensis iuridictionem et visitationem exercere vult, Capitulum materiam in summa per dominum Claraevallensem dicti loci patrem abbatem iuridice ac viriliter fore prosequendam, cuius expensis id fiat nondum conclusum est.

1508

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo octavo, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

1508. *Fontes* : A^4 : 20 ; L^5 : 1-62 ; P^2 : 1, 7, 8, 9, 10, 13, 15, 21, 27, 33, 43 ; *W* : 8 *(abbr.)*.

[a] *Titulus apud* L^5 ; Ex anno 1508 temp. Rogationum : P^2.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum totus Ordo noster ... necnon in summa 13174 libr. 13 solid. 3 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli anni 1507 ... *etc.*

7. Quia fide digna relatione ad praesentis Capituli generalis audientiam pervenit nonnullas novitates et abusus ab Ordinis unitate deviantes, illiusque ordinariae iurisdictioni et privilegiis prorsus repugnantes, introduci, in eo praesertim, quod certa visitationis carta reperta est, qua pater abbas auctoritate apostolica filiam suam sic visitare scribebat, et alii se suaque monasteria nullo modo ad romanam Curiam pertinere dicebant, tantam talemque novitatum temeritatem generale Capitulum resecare prorsus et amputare desiderans, universis patribus abbatibus et ceteris Ordinis abbatibus et personis regularibus inhibet, ne deinceps auctoritate apostolica aliquod Ordinis monasterium visitare asserunt, sub poena perpetuae privationis iuris visitandi illud monasterium, nisi super hoc a Capitulo generali mandatum habeant speciale, neque de cetero in quibuscumque Ordinis instrumentis clausulam hanc : « nullo modo ad romanam Curiam pertinens » apponere praesumant, omnes et singulas similes visitationum cartas et huiusmodi clausulas cassando et revocando, in plenaria Ordinis potestate.

8. Multiplicibus ac variis commendarum periculis in Ordine, dietim, proh dolor ! emergentibus, generale Capitulum obviare et providere cupiens, omnibus patribus abbatibus filias nimium a se remotas habentibus, in virtute salutaris obedientiae praecipit, ut commissarios suis monasteriis sic remotis vicinos, maxime ad eorum electionibus praesidendum habeant et deputent,

---

[b] Sub Iulio 2°... *etc.* : *P*[2].

alias in praedictis patrum abbatum negligentia et suorum commissariorum defectu, liceat ipsorum monasteriorum religiosis Ordinis commissarios in partibus illis deputatos, et in eorum defectu aliquem vicinum Ordinis abbatem, ad eorum electiones elecbrandas, et in eis praesidendum solum advocare et assumere, qui ad supplendum huiusmodi negligentiam sic vocati in ceeltionibus praesidere possint et valeant, et electionis decretum ad patrem abbatem per eum prout iuris fuerit et rationis confirmandum, vel infirmandum, diligenter remittere teneantur, universis Ordinis abbatibus praecipiendo quatinus in suis monasteriis praesentem diffinitionem habeant, insinuent et publicent, ne quis amodo de ignorantia se valeat excusare.

9. Generale Capitulum informatum quod multae commissiones diversorum commissariorum Ordinis erant terminatae et veniebant de propinquo renovandae, ideo reverenter committit Rmo D. N. Cisterciensi, quatinus auctoritate Ordinis et Capituli generalis semper et ubique plenarie utendo, de commissionibus et commissariis necessariis disponat, tam ad visitandum et reformandum ubi per se vacare non poterit, quam ad recipiendum contributiones et restas subsidii et contributionum annorum praecedentium cum clausulis opportunis, prout eidem Rmo D. N secundum temporum, personarum et locorum qualitatem videbitur expedire, absque tamen praeiudicio iurisdictionis patrum abbatum, quibus commissariis Ordinis a Rmo, sic ut praefertur, deputatis, in omnibus monasteriis Ordinis cuiuscumque filationis existant, tenebuntur abbates et personae Ordinis in ipsorum commissionibus comprehensi sufficienter facere constare de visitatione suorum patrum abbatum, et in ipso casu praedicti abbates et monasteria dicti Ordinis tenebuntur commissariis sufficienter et reverenter de necessariis viae et vitae ministrare, et si necesse fuerit et in defectu patrum abbatum, poterunt ipsi commissarii Ordinis dicta Capituli generalis auctoritate visitare, iuxta tenorem suarum commissionum, in plenaria Ordinis potestate.

10. Generale Capitulum volens insequi vestigia patrum, reverenter committit Rmo D. N. Cisterciensi quatinus iuxta diffinitiones et Ordinis statuta, visitet, reformet, corrigat et emendet ubique universa Ordinis monasteria, tam in capitibus quam in membris, cum facultate substituendi et committendi commissarios, qui similem aut limitatam, sicut ipsi Rmo videbitur expe-

dire, habeant facultatem in plenaria Ordinis potestate. Per hanc autem diffinitionem non intendit Capitulum generale quod occasione praemissorum visitationum et reformationum patres abbates priventur suis iurisdictionibus paternis.

11. Querulosum patrum Ordinis ad contributiones solvendas impositorum clamorem, super inaequali proportione quottarum suorum monasteriorum, mature ponderans praesens generale Capitulum, singulis pensatis, iuste distribuere desiderans, Rmo D. Cistercii et dominis quatuor primis ac aliis Ordinis patribus, quos per diversas Ordinis provincias pro sua informatione assumere voluerit, coniunctim committit in plenaria Ordinis potestate, quottas praedictas proportionandas et fideliter registrandas. Qui quidem Rmus et domini quatuor primi onus in se pro bono Ordinis susceperunt, et se id fideliter ac diligenter facturos iuraverunt.

[DIFFINITIONES] GENERALES

12. Generale Capitulum gravissime ferens indiscretam quorumdam Ordinis patrum in partibus marchionatus Brandeburgensis et circumvicinis constitutorum praesumptionem damnabilem et inobedientiam, qui quadam et importabili temeritate, qui primo sine scitu et assensu Capituli generalis desuper requisito, et contra Ordinis antiqua statuta, novi collegii Francfordiani ipsius Ordinis nomine fundamenta posuere, et deinde contra expressam eiusdem Capituli generalis anni praeteriti 1507 super hac materia diffinitionem per se et interpositas personas opus ipsum continuare contemptibiliter praesumpserunt, volentes in hoc alia Ordinis antiqua collegia ad nihilum redigere et studendium frequentatione privare, in Ordinis opprobrium et dedecus sempiternum. Quapropter Capitulum generale huiusmodi abusibus cum severitate providere desiderans, auditis hinc inde, diffinitorio sedente, utrarumque partium propositis, et commissariorum Capituli generalis ad haec latius examinanda deputatorum fide digna relatione praehabita, certis, iustis rationabilibusque causis id ipsum Capitulum generale ad hoc moventibus, praemissaeque diffinitioni adhaerendo, sub excommunicationis latae sententiae poena et aliis censuris et poenis Ordinis districte prohibet abbati de Lenhin et eidem adhaerentibus, ne ultra ad aedificationem et continuationem aedificii dicti collegii, per se vel interpositam personam procedant, quinimo omnia ipsa aedificia aliis

usibus deputent. Omnibus insuper eiusdem Ordinis abbatibus et aliis regularibus personis in sacro sacerdotali ordine constitutis super hoc requirendis, executionem praesentis diffinitionis, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis districtius iniungendo, in plenaria Ordinis potestate.

13. Praesens generale Capitulum graviter ferens quorumdam Ordinis abbatum negligentiam in scolaribus et eorum provisionibus mittendis ad studia Ordinis, domino Morimundi committit, quatinus absque dissimulatione viriliter et exacte compellat et singulos abbates Lotharingiae et Barii, ac eorum circumvicinos, ad mittendum suos scolares cum debitis provisionibus apud collegium Sancti Bernardi Parisiensis, in plenaria Ordinis potestate.

14. Capitulum generale informatum quod aliqui abbates et abbatissae Ordinis certorum episcopatuum, contra Ordinis libertates et privilegia, solvunt iucundos adventus, procurationes, subsidia et alias exactiones per dioecesanos sibi impositos, propter quod ipsum Capitulum generale omnes tales condemnat ad tantumdem solvendum Ordini quantum dictis Ordinariis pro rebus et causis supradictis solverint, et citentur ad proximum Capitulum generale responsuri promotori causarum ad obiicienda, ulteriusque processuri prout fuerit rationis. Praesentis diffinitionis executionem domino de Morimundo in episcopatibus Tullensi et Metensi, ac totius Lotharingiae et Barii dominiis, abbati de Villari in partibus Leodii et circumvicinis, in plenaria Ordinis potestate.

15. In supplementum et loco domini abbatis de Signiaco, causa suae infirmitatis, de qua constitit Capitulo generali, dictum generale Capitulum institutit dominum abbatem de Bullione, qui prius tamquam Diffinitor iuraverat sicut et ceteri.

16. Negotium de Virgulto sive processus commissariorum remittitur ad R. D. Claraevallis, etc., ad ampliorem conferentiam, etc.

17. Sententiam latam per dominos abbates de Caroliloco et de Cheminione, virtute commissionis Capituli generalis, contra fratrem Guillelmum Salmon, ratificat et approbat, praecipiendo dicto fratri Guillelmo sub poenis et censuris Ordinis, quatinus absque dilatione aliqua adimpleat sibi iniuncta et imperata per dictos iudices a Rmo D. Cistercii, auctoritate Capituli generalis, ordinatos.

18. Capitulum generale multiplicibus Ordinis agendis, enormibusque scandalis et incommodis quantum in se est occurrere

volens, constituit, creat, facit et ordinat generales Ordinis procuratores in curiis, videlicet Parlamenti Parisiensis, Burdegalensis, Tholosani et ressortis earum, in curia videlicet Parlamenti dominos abbates de Frigidomonte, de Caroliloco, s. th. pr., de Belloprato, provisorem Sancti Bernardi Parisiensis, atque Maturinum de Cangeio ; in Parlamento Tholosano abbates de Candelio, Bellapertica, de Elnis, et fratrem Nicolaum Baquelet ; in curia Burdegalensi abbates de Faesia et de Cadunio, et eorum quemlibet in solidum, cum facultate quoscumque Ordinis fugitivos et apostatas capiendi et retinendi ac de eis disponendi, prout eis melius videbitur ; et cum facultate substituendi alios idoneos procuratores, qui similem vel limitatam habeant potestatem ; et quod in absentia notariorum praesentis Capituli generalis secretarius Rmi D. Cisterciensis signet dicta Ordinis procuratoria, in plenaria Ordinis potestate.

19. Generale Capitulum sorori Franciscae Rutique, abbatissae de Benedicta valle, quae libere et sponte cessit, annuam pensionem decem libr. turon. super fructibus monasterii monialium B. M. de Benedictavalle, Tullensis dioecesis, insequendo Ordinis privilegia et statuta, cottat et assignat, monendo abbatissam modernam et futuras abbatissas, et omnes eiusdem loci regulares personas, quatinus sub poena excommunicationis et interdicti annis singulis dictam pensionem decem libr. turon. eidem sorori Franciscae ad diem Ascensionis Domini, Divione in domo Cistercii, procuratori suo aut ab ea commisso, solvere non omittant, cuius primus terminus dictae solutionis erit die Ascensionis anni 1509 proxime ventura, quae pensio durabit quousque dicta Francisca fuerit aliter in Ordine vel alibi provisa. Executionem praesentis diffinitionis omnibus Ordinis regularibus personis committendo.

20. Desolationi collegii Ordinis nostri Cisterciensis Tholosani providere cupiens praesens generale Capitulum, instituit fratrem Nicolaum Baquelet provisorem dicti collegii Tholosani, abbatibus de Candelio, de Bellapertica et de Elnis, et cuilibet eorum in solidum dando in mandatis, quatinus eumdem provisorem in possessionem realem et corporalem inducant, et de eodem officio gaudere faciant, necnon et eidem in omnibus fideliter et viriliter assistant, omnibus et singulis scolaribus et subditis dicti collegii personis praecipiendo, quatinus et tamquam suo provisori devote et humiliter pareant et obediant, in plenaria Ordinis potes-

tate. Dando eidem provisori pro provisionibus suis hoc anno 26 libr. turon., et super contributionibus illius patriae annis futuris providebitur.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

21. Electionem et promotionem fratris Delphini Tourbes [c] ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Domo Dei, alias de Nigrolacu, quondam confirmatam per Capitulum generale, praesens Capitulum generale habet gratam ; et exinde ratione resignationis factae per dictum Delphinum domino Claudio de Mesnil [d] ... tunc Sanctae Sedis apotoslicae protonotario, qui postmodum virtute dictae resignationis obtinuit provisionem dicti monasterii a Summo Pontifice, quam provisionem dictum generale Capitulum, quia idem commendatarius Ordinis habitum suscepit, gratam et acceptam habet, in plenaria Ordinis potestate.

22. Electionem et promotionem in abbatialem dignitatem B. M. Stolpensis de persona fratris Georgii Karomp in monasterio Stolpensi, praesens generale Capitulum tamquam iustam rite et canonice factam approbat et ratificat, in plenaria Ordinis potestate.

23. Ad idem, pro fratre Petro Boucan, electo in abbatem monasterii de Caduino, nostri Cisterciensis Ordinis, in Sarlatensi dioecesi.

24. Ad idem, pro fratre Michaele ... ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Pomerio, nostri Ordinis, Argentinensis dioecesis.

25. Ad idem, pro fratre Ioanne Rynglg ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. Portae coeli, vulgo Tennenbach nuncupati, Ordinis nostri, in dioecesi Constantiensi.

26. Ad idem, pro fratre Petro de Tauro, electo in abbatem monasterii de Calercio, in Rivensi dioecesi.

27. Ad idem, pro fratre Iacobo des Gardins, proviso per resignationem fratros Georgii Dupuis [e], nuper abbatis monasterii de Gardo, Ambianensis dioecesis, qui resignavit in manibus Summi Pontificis, cuius promotionem et apostolicam provisionem in vim dictae resignationis factam, Capitulum generale gratam habet et acceptam.

---

[c] Tourbem : *P*². [d] Mesme : *P*². [e] du Puits : *P*².

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

28. Abbatibus de Nemore Mariae et de Bucovia praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent super quibusdam commutationibus quorumdam molendinorum situatorum in oppido dicto Demun, quod in magna distantia a monasterio de Colbatz distare dicuntur, ad ipsum monasterium pertinentium ; in quibus consules dicti oppidi partem revenutorum accipiunt, et ob id modicum emolumentum propter discordias inde motas dictum monasterium habere se dicit, et libenter commutaret seu escambiaret ad alia molendina vel alios redditus, ad utilitatem dicti monasterii. Quae excambia, si dicti commissarii inveniant dicto monasterio utilia, illa confirment, et faciant prout fuerit iuris et rationis, in plenaria Ordinis potestate.

29. Abbatibus de Aceyo et de Miratorio praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informent super quodam contractu praesentibus annexo, ad requestam Ioannis Loppin, de Belna, et religiosorum virorum abbatis et conventus monasterii de Firmitate, et secundum quod repererint, confirment vel infirment, in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

30. Visis per generale Capitulum supplicationibus fratrum Eliae Dalmer, religiosi monasterii de Dalone, et Ioannis Gremer, monasterii de Gondonio,Ordinis nostri Cisterciensis, dictum Capitulum generale remittit ad abbatem de Faesia Ordinis nostri, cui committit ut se super contentis in eisdem et articulis eis adhaerentibus informet, et prout invenerit cum eis faciat quod fuerit iustitiae et aequitatis, secundum Ordinis nostri statuta, in plenaria Ordinis potestate.

31. Ad humilem supplicationem abbatissae de Amore Dei, in Suessionensi dioecesi, Ordinis Cisterciensis, praesens generale Capitulum misericorditer dispensat cum sorore Nicola de Bosco, religiosa professa dicti monasterii de Amore Dei, ut non obstante infamiae nota et inhabilitate, quam incurrit ex carnis contagio, puerperio inde secuto, possit nihilominus ad omnes actus, voces, officia, dignitates assumi, etiam abbatiali dignitate inclusa, praecipiendo omnibus et singulis dicti monasterii regularibus personis,

ne super huiusmodi infamiae nota eidem sorori insultent vel improperent.

32. Ad idem, pro fratre Ioanne Pagnem, monasterii de Ursicampo professo, quem non obstantibus tribus aufugiis, tam a collegio nostro Sancti Bernardi quam a proprio monasterio de Ursicampo, etiam habitu Ordinis derelicto, et contagio carnis multipliciter repetito, ad supplicationem abbatis sui, Capitulum generale rehabilitat ad omnes Ordinis gradus.

33. Ad idem, pro fratre Dephino Tuorbini *(sic)* antiquo abbate monasterii de Nigrolacu, qui quia in manu Summi Pontificis in favorem cuiusdam domini protonotarii, qui nuper Ordinis nostri habitum sumpsit, Ordinis censuras ac inhabilitatem incurrerat, ipsum praesens generale Capitulum, quia carceribus punitum absolvit, eum rehabilitat ad omnes Ordinis gradus, voces et dignitates, in plenaria Ordinis potestate.

34. Ad idem, pro fratre Girardo de Lingonis, religioso monasterii B. M. Albaeripae, ad instantiam abbatis sui, praesens generale Capitulum rehabilitat, misericorditer dispensat cum dicto religioso, ut non obstante infamiae nota et inhabilitatis quam incurrit ex carnis contagio, etiam monasterium praedictum illicentiatus exeundo, absque licentia requisita, unde punitus fuit, ad omnes actus legitimos valeat promoveri, in plenaria Ordinis potestate.

35. Dispensat cum fratre Iacobo Poncelot, religioso monasterii de Caladia, ad sui abbatis requestam, ut non obstante exitu de suo monasterio, contagio carnis quod puerperium secutum est, consideratis eius humili satisfactione et morum conversione, ad omnia Ordinis officia, voces et dignitates rehabilitetur, quem per praesentes ipsum generale Capitulum rehabilitat et ad primum suum statum reponit.

36. Ad requestam domini de Belloprato, in Belvacensi dioecesi, rehabilitantur fratres Matheus Helisem, Ioannes de Granthuilier, Reginaldus Janst, Petrus Jolibois, Tossanus Bernart, Michael Le Sturre, Guillelmus Viart, omnes religiosi dicti monasterii de Belloprato, qui in abbatem suum conspiraverunt, ad omnes Ordinis voces et actus legitimos, dignitate abbatiali seclusa.

37. Ad idem, pro fratre Nicolao Le Sallier, religiosi dicti monasterii de Belloprato, qui ab undecim annis vel circa apostatavit per quatuor vel quinque dies, quem generale Capitulum rehabilitat ad omnia, etiam abbatiali dignitate inclusa.

38. Ad idem, pro fratre Maturino, monacho de Barbello, ad instantiam abbatis sui, qui a duobus annis per mundum vagus discurrens apostatavit, postmodum Dei spiritu ipsum revocante ad cor rediit et monasterio se reddidit, ac poenitentias sibi iniunctas patienter explevit, quem Capitulum praesens ad omnia Ordinis officia, voces, actus, dignitates et honores rehabilitat.

39. Ad idem, pro fratre Ioanne de Montigniaco, quondam religioso Vallis Sancti Lamberti, ad requestam abbatis sui, de puerperio sibi imposito.

40. Ad idem, pro fratre Ioanne Fronpeys, monacho de Laude, qui pro contagio carnis punitus humiliter se habuit, et ob id Capitulum generale ad requestam sui abbatis, eum ad omnes Ordinis gradus, voces et dignitates rehabilitat, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

41. Abbatibus de Boneffia, de Sancto Remigio, Nizella, de Valcellis, et duobus eorum, praesens generale Capitulum committit quatinus se diligenter super quibusdam contentis in quadam requesta pro et nomine abbatis de Molinis, domini Claraevallis commissarii in monasterio monialium de Spinoso loco, eidem Capitulo generali praesentata, informent, quatinus veritate comperta faciant partibus iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

42. Dominis Claraevallis et de Caroliloco, s. th. pr., monasteriorum abbatibus, et cuilibet eorum committitur, quatinus fratrem Ioannem Brametot, monasterii de Belloprato professum, iam per commissarios Ordinis de dicto monasterio emissum, et ad istud propria auctoritate reversum, ad monasterium de Palatio, in Lemovicensi dioecesi, transmittant, in plenaria Ordinis potestate.

43. Abbatibus de Gimondo et Calercio praesens generale Capitulum praecipit et mandat, quatinus absque dissimulatione capiant aut capi faciant fratrem Ioannem Terrada [f], quondam electum de Nizorio, qui dictum monasterium de Nizorio absque licentia Ordinis resignavit cuidam commendatario saeculari,

[f] de Barrada : *P*².

et litteras citatorias D. N. Cisterciensis irreverenter et derisorie de manibus Ioannis Bido, rectoris ecclesiae de Vernadeto, violenter abstulit ; et quia ad secundam diem Capituli generalis citatus non comparuit, nec alium pro se misit, eapropter dictum Capitulum illum contumacem, rebellem et excommunicatum declarat. Ob quas causas excommunicationis sententiam incurrit, et eum carceribus mancipent usque ad aliam Capituli generalis, aut D. N. Cisterciensis dispositionem ; necnon eum contumacem et excommunicatum ubique denuntient, invocato ad praemissa et ea tangentia brachii saecularis auxilio, consilio et favore, in plenaria Ordinis potestate. Et quod dicti commissarii citent ad proximum generale Capitulum fratres Ioannem Fanilchia, priorem tunc de Nizorio, Ioannem de Lunoma alias Emericus, et Guillelmum de Sestapo, qui cum dicto de Terrada violenter et irreverenter dictas litteras citatorias a dicto Bido abstulerunt ; et remittant omnia ad proximum generale Capitulum.

44. Abbatibus de Lubens, Vratislaviensis dioecesis, et de Valle Sanctae Mariae, Cracoviensis dioecesis, committitur quatinus, salvis antiquis et novis Ordinis diffinitionibus, quantum fieri poterit, se diligenter informent, quorsum abbates ducatus Slesiae suos scolares mittere debeant, videlicet an ad collegium Ordinis in Lipzic vel ad collegium in Cracovia, videndo et examinando texatoria utrorumque commissariorum, scilicet domini abbatis de Vetericella et domini abbatis de Claratumba, et huiusmodi taxationem scolarium et collegiorum determinent, in plenaria Ordinis potestate.

45. Abbatibus de Gimondo et de Bellapertica, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus se informent super quadam postulatione, quam fecerunt fratres Petrus de Montiscardo, Bernardus de Foresa, Petrus de Cistach, Iacobus de Barta, religiosi de Fullenciis, continente eos ad cor rediisse ac super hoc poenituisse, cognoverint, misericorditer cum eis faciant, etiam eos, si requirant, rehabilitando, prius tamen eis iniuncta poenitentia salutari, eos etiam ad monasterium suum de Fullenciis restituendo et reintegrando, ne forte per saeculum divagari cogantur.

46. Rmo D. Cisterciensi, s. th. pr. praesens generale Capitulum reverenter committit, necnon dominis abbatibus de Pontigniaco et de Claravalle, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum, quatinus super querimonia abbatis et conventus monasterii

B. M. de Maceriis contra dominum abbatem de Firmitate, super facto pecuniarum fundationis missarum dominorum de Coulihes, auditis partibus hinc inde procedant, et eam determinent, prout iuris fuerit et rationis, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

47. Abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Morimundo, de Caroliloco, committit generale Capitulum, quatinus quascumque personas Ordinis repererint Rmo D. N. Cisterciensi et eius monasterio in aliquibus pecuniarum summis debite teneri, *etc.*

48. Ad idem, abbatibus de Rigniaco, de Quinciaco, de Fonte Ioannis, pro domino Pontigniaci.

49. Item, domino Claraevallis dat pro iudicibus dominos abbates de Longovado et de Albaripa.

50. Ad idem, pro domino de Valle regis, qui elegit sibi pro iudicibus dominos de Claravalle, Fusniaco, de Signiaco et de Valle clara.

51. Ad idem, pro magistro Ioanne Marsot bidello collegii Sancti Bernardi Parisiensis.

52. Ad idem, pro domino de Caroliloco, cui deputantur iudices abbates de Frigidomonte, de Belloprato et de Regalimonte.

53. Ad idem, monitio de Nigrolacu.

54. Abbati de Faesia Ordinis commissario ipsum generale Capitulum committit, quod se informet super contentis in requesta fratris Ioannis Garmer, et iuxta comperta faciat iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

55. Item, eidem abbati de Faesia, praesens generale Capitulum committit, quatinus se diligenter informet super contentis in requesta fratris Heliae Dolmet, religiosi de Dalone, et casu posito eidem requestae adhaerenti et prout compererit, ordinet et disponat cum dicto fratre Helia, aut alias faciat prout iustum fuerit, in plenaria Ordinis potestate.

CONTUMACES

56. Abbas de Sancto Sulpitio, qui citatus peremptorie et personaliter non comparuit, contumax et excommunicatus denun-

tiatur, et citetur ad proximum generale Capitulum per primum de Ordine cui praesens diffinitio praesentabitur, sub poenis et censuris Ordinis, et remittit executionem ad proximum generale Capitulum.

EXCUSATIONES ABBATUM A VIA CAPITULI GENERALIS

57. Excusantur a via Capituli praesentis abbates de Alba dominorum, de Fonte salutis et de Mulbrunna, per litteras eorum ad Capitulum transmissas et acceptas.

SUFFRAGIA

58. Ad instantiam abbatis de Stratfordia, generale Capitulum annuit venerabilibus personis magistro Willermo Esynpon et Ioannae uxori eius, necnon et Roberto Danell, utriusque iuris doctori.

59. Similiter ad eiusdem abbatis requestam, annuit idem Ioanni Caloson et uxori eius.

60. Item, ad idem, Thomae Gibbson et uxori eius, civibus Londoniensibus.

61. Ad idem, pro priore de Mazuris, ad quinquennium. — Ad idem, pro quatuor primis. Philibertus similiter et prior de Mazuris. — Pro domino de Marul, fundatore monasterii de Recluso et uxore eius. — Ad idem, pro domina Maria de Luxembourg, comitissa de Vandome et liberis suis, ad requestam abbatis de Boheriis. — Item, ad eius requestam nobili viro Antonio Dalli, eius uxori et liberis eorum. —Ad idem, pro Nicolao de Detelbach, ad requestam abbatis de Lanckheim.

Signatum : Petrus abbas de Recluso, cum parapho.

* * *

62. Illustrissimis et permagnificis dominis, dominis videlicet Ioachim, Dei gratia sacri romani imperii archicamerario, principi electori, necnon Alberto, marchionibus, ducibus et principibus inclitissimis, frater Iacobus abbas Cistercii, ceterique Diffinitores et abbates in Capitulo generali apud Cistercium congregati, devotum orationum suffragium pro salute et humili sui commendatione.

Gravissimas praecelsarum maiestatum vestrarum missivas litteras cum possibili reverentia in nostro Capituli generalis diffinitorio recepimus et perlegimus, illustrissimi nobis metuendissimi et observantissimi domini ac principes inclitissimi, vidimus, et alias in eamdem confluentes sententiam litteras R. in Christo P. D. episcopi Lubicensis, et super hoc collegii Francfordiani erectione peramplius informari cupientes coabbatem nostrum de Nemore Mariae ex una, necnon nuntios aliorum coabbatum praedictam executionem impugnantium partibus ex altera, hinc inde pacatissime discrepantes audivimus, et licet pro vestrarum celsitudine maiestatum votis et suadibilibus litteris vestris acquiescere cuperemus, antiqua tamen Sanctae Sedis Apostolicae et Ordinis nostri statuta, novorum collegiorum erectionibus districte refragantur. Quod si coabbas noster de Lenhyn, et alteri circumvicini eidem adhaerentes, laudabilem patrum super his institutionem et arctissimas censuras excellentiis vestris reverenter suggessissent, profecto vos, quorum et felicissimae memoriae praedecessorum vestrorum auspiciis sacerrimus Ordo noster in marchionatu, ducatu, principatu, ceterisque dominiis vestris semper effloruit, nullum in hoc opere praesumptuoso adminiculum dedissetis, vos enim, vos inquam, estis tutela fiduciaria, sub qua hactenus Ordo noster Cisterciensis in sua puritate, sinceritate et Capituli generalis obedientia permansit ; et nunc si pro novo erigendo Francfordiae collegio dominiorum vestrorum abbates compellere vestra maiestas decreverit, verendum profecto, ne pro uno novo antiquum Lipzense collegium, imo etiam et hoc novum postea depereant, cum utrimque bipartitis Ordinis studentibus hoc et illud insufficienti studentium numero minuetur, et sic inter paucos Ordinis religiosos laicorum contubernio commiscendos in novo et antiquo collegiis regularis languescet disciplina, et studentium exercitium refrigescet. Itaque serenissimae maiestates vestrae, quibus haec cum devota et sincera veritate referimus, non aegre ferant nostri generalis Capituli super his diffinitionem, et pro veteri et iam Ordinis privilegiis et libertatibus gaudente Lipzensi collegio novum hoc erigi prohibere dignemini. Et nos totius Ordinis nostri suffragia pro felicissimis vestrarum maiestatum successibus, necnon Universitatis vestrae Francofordianae progressu prosperrimo humiliter offerimus, promittimus et persolvemus. Ex diffinitorio praesentis nostri Capituli generalis tempore Rogationum apud Cistercium, hoc anno 1508

celebrati, sub eiusdem Capituli sigillo et signis notariorum manualibus.

1509

A) Nomina monasteriorum quorum abbates interfuerunt Capitulo generali anno 1509. De Cistercio, s. th pr., de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., de Altaripa, s. th. pr., de Bullione, de Cupro, de Bellavalle, de Miratorio, de Buxeria Aeduensi, de Charitate, de Regniaco, de Sancto Andrea in Goufferno, de Florido campo, de Wantgrowitz, de Valcellis, de Nepomuk, de Nigrolacu, de Prathea, de Theoloco, de Vallelucenti, de Valloliis, de Bellobecco, de Quinciaco, de Rippatorio, de Aceyo, de Recluso, de Monasteriis in Argona, de Longovado, de Callovio, de Cheminione, de Bithania, de Clarofonte, de Gratia Dei, de Belloloco Lingonensi, de Loco Dei in Ponthino, de Roseriis, de Fristof, de Marcilliaco, de Pietate Beatae Mariae.

B) Ordinatio Capituli generalis anno 1509.

DIFFINITORES : De **Cistercio** s. th. pr., de Altaripa, s. th. pr., de Bellobecco, de Miratorio, de Buxeria Aeduensi, monasteriorum abbates. — De **Firmitate**, de Cupro, de Charitate, de Wantgrowitz, de Nigrolacu, monasteriorum abbates. — De **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Vallelucenti, de Callovio, de Prathea, monasteriorum abbates. — De **Claravalle**, de Bullione, s. th. pr., de Longovado, de Valcellis, de Loco Dei in Ponthino, monasteriorum abbates. — De **Morimundo**, de Bellavalle, de Theoloco, de Floridocampo, de Nepomuk, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : De Nepomuk, de Quinciaco, de Marcilliaco, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : Frater Blasius de Afereyo, Cistercii professus, bacc. form.

RECEPTOR EXCUSATIONUM : de Cheminione monasterii abbas.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Rippatorio monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Rigniaco, de Recluso, monasteriorum abbates.

1509. *Fontes* : L^5 : A), B), 1-45 ; P^2 : 1, 7, 14, 15, 25, 26 ; T^2 : 1, 2, 3, 4, 5.

Auditores computationum : de Sancto Andrea, de Monasteriis in Argona, et illi quos Rmus D. N. Cisterciensis voluerit deputare.

Notarii ad pedes : fratres Petrus de Vireyo, Guillelmus de Divione tertius, Cistercii professi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo nono, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIO] GENERALIS

6. Cum totus Ordo noster ... necnon in summa 9033 libr. 15 solid. 6. denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli anni 1508 ... *etc.*

[DIFFINITIONES] SPECIALES

7. Quia generale Capitulum rebus Ordinis nostri salubriter providere cupiens, vidit et diligenter examinavit tres diffinitiones, quarum prima fuit facta anno Domini 1502 et incipit : Dolenter accepit ; secunda autem facta fuit anno Domini 1504 quae et incipit : Confirmando diffinitionem ; tertia vero edita fuit anno Domini 1505 quae incipit : Detestabilem ; et matura deliberatione habita comperit eas esse rationabiles, privilegiis et statutis Ordinis nostri consonas, et pernecessarias ; ideo praesenti diffinitione eas, ac si de verbo ad verbum hic insererentur, approbat, ratificat et confirmat, praecipiens omnibus abbatibus, quatinus eas ad monasteria sua transferrent, patribus autem abbatibus et commissariis universis praecipimus quatinus portent

---

[a] *Titulus apud* L^5 T^2. [b] Sub Julio 2°... *etc* : P^2.

eas secum, publicent et relinquant in omnibus monasteriis quae contingerint eos in posterum visitare. Insuper ut inde nulli possint praetendere causam excusationis, eisdem patribus abbatibus et commissariis praecipit idem generale Capitulum, quatinus in omnibus electionibus, quibus continget eos praesidere, antequam procedant ad electionem, praesentem diffinitionem cum illa quae incipit : Detestabilem, publice legi faciant et exponant.

8. Generale Capitulum damnis et incommodis monasteriorum diligenter obviare cupiens, abbatibus de Charmeya et de Sigilleriis, et cuilibet eorum committit, ut se debite et diligenter informent de et super quibusdam contractibus quorumdam nemorum seu boscorum, factis per abbatem et conventum monasterii de Recluso, Trecensis dioecesis, et huiusmodi nemora in terras arabiles redigere, mediantibus certis redditibus granorum et aliorum proventuum ; quod si invenerint huiusmodi contractus seu tractatus fore utiles, eosdem confirment, ratificent et approbent, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

9. Abbatibus de Frigidomonte, de Fulcardimonte et de Loco Dei in Pontino, et duobus eorum, praesens generale Capitulum committit mandatum se diligenter informandi super contentis in contractu, cui praesentes litterae innectuntur, qua informatione facta, si invenerint possessionem seu terrae portionem in dicto contractu mentionatam ad utilitatem monasterii et secundum Ordinis statuta tradi debere et posse ad censum et redditum perpetuum, iuxta conditiones et chargias in dicto tractatu expressas, interveniente super hoc consensu seu contractu abbatis et conventus de Bellobecco, praedictum tractatum, si fieri contigerit inter dictos abbatem et conventum ex una parte, et Ioannem Hyesse in praedicto contractu nominatum, confirment, *etc.*

10. Generale Capitulum propter certas rationabiles causas decernit citandos esse priorem et cellerarium sive procuratorem et alios quos Rmus duxerit nominandos coram eodem domino nostro ad instantiam promotoris causarum Ordinis, ad diem competentem, responsuros ad ea quae sibi proponentur ex parte eiusdem promotoris causarum.

11. Abbatibus de Nemore Sanctae Mariae et de Loco coeli,

praesens generale Capitulum committit, quatinus se super quibusdam abusibus, ut fertur, contra Ordinis honestatem et omnem sanctimoniam ab inhabitatoribus monasterium de Colbaz, tempore carnisprevii, et aliis temporibus, tam in commessationibus, carnibus, choreis et aliis dissolutionibus, in maximam Dei offensam, populi christiani scandalum, et in animarum suarum permaximum detrimentum, allegantes ipsi Colbacenses esse consuetudines, quae potius corruptiones nuncupari deberent, a multis temporibus convalescentes. Quas si invenerint, et ita invenerint, remedium opportunum apponant, districtissime sub gravissimis poenis omnibus eiusdem monasterii regularibus personis inhibendo, ne de cetero talibus abusibus aut aliis quibuscumque contra Ordinis disciplinam vacent, nec alias quascumque consuetudines faciant aut vacent, praeter consuetudines Ordinis, iuxta tenorem *Chartae charitatis*, praecipiendo eadem auctoritate abbati, priori, cellerario et ceteris omnibus dicti monasterii officiariis sub poenis, abbati suspensionis, et aliis ab officiis suis privationis et gravissimae punitionis, ne similia deinceps fieri permittant, in plenaria Ordinis potestate.

12. Clamores et querelas abbatis de Nigrolacu graviter ferens praesens generale Capitulum, super eo quod dicebat fratrem Ludovicum Preneraud ius, quod in dicta abbatia de Nigrolacu praetendebat, in favorem et utilitatem protonotarii de Aureavalle, contra Ordinis privilegia et statuta, resignasse. Idem generale Capitulum praecipit omnibus Ordinis regularibus personis, quatinus si sciant quovismodo per quascumque personas habeant Ordinis commissariis requisiti revelare, alias se Ordinis censuras noverint incurrisse. Insuper quia dicto Capitulo constitit evidenter, nonnullos dictae abbatiae de Nigrolacu religiosos multas irreverentias, rebelliones et contradictiones et resistentias Ordinis commissario, necnon contra christianissimi domini nostri regis personam, seu eius officiarios quasi os misisse, quod non decet, in coelum, et alia multa indecentia et rationi ac religionis honestati et puritati inconvenientia commisisse in dicti Ordinis et personarum eiusdem scandalum gravissimum et divinae maiestatis offensam non modicam. Idcirco ipsum Capitulum generale abbatibus de Pratea, de Bonoradio et de Rupibus expresse committit, mandat et praecipit, quatinus se super praedictis et ab eis dependentibus diligenter informent, etiam si opus sit, dicti domini nomine regis secum assumptis officiariis, et omnibus de-

bite cognitis et elucidatis viriliter et exacte, omni favore reiecto, et omnibus postpositis, contra huiusmodi rebelles et dissolutos monachos procedant, ipsos ubicumque repererint carceribus firmissimis usque ad nutum Capituli generalis retrudendo et detinendo, ac aliis punitionibus condignis afficiendo, in ceterorum iniquorum exemplum et terrorem, in plenaria Ordinis potestate. Similiter dictis commissariis et universis Ordinis abbatibus eadem auctoritate praecipit et mandat, quatinus fratrem Ioannem de Mota ubicumque repererint, suis exigentibus demeritis, capiant et incarcerent, usque ad nutum Capituli generalis.

13. Clamores quorumdam religiosorum de Nigrolacu contra et adversus dominum Claudium de Meshuy, alias de Maulpas, se pro abbate dicti monasterii de Nigrolacu gerentem, generale Capitulum dolenter recipiens una cum articulis suis nominibus subsignatis, iustitiae remedium humiliter requirentium, idem generale Capitulum pacis remedium tribuere, et huiusmodi querelis finem pro viribus ponere cupiens, abbatibus de Bonoradio, de Pratea et de Rupibus, ac unicuique eorum praecipiendo in virtute sanctae obedientiae expresse committit, ut dictis articulis visis et debite ponderatis rebus huiusmodi, prout iuris est diligenter inspectis, partibus reddant iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate.

14. Cum sicut accepimus vacanti monasterio B. M. de Claromonte, Cenomanensis dioecesis, per obitum quondam Yvonis Trouson illius ultimi abbatis et possessoris, religiosi illius monasterii, aut quidam ex eis procedere intendentes ad electionem futuri abbatis, ad certam talem qualem postulationem de persona Rmi D. Roberti Guibé asserti cardinalis tunc Redonensis, sine licentia eorum patris abbatis, et alias contra tenorem et formam privilegiorum et diffinitionum nostri Ordinis, excommunicationis sententiam et alias poenas in dictis privilegiis latius declaratas incurrendo propter quas fuerunt dicti postulantes pro illa vice eligendi potestate ipso facto privati, adeo quod ius eidem monasterio providendi de futuro abbate fuerit ad superiorem abbatem immediatum vel eius vicarium devolutum, processissent. Ideoque venerabilis frater noster abbas modernus de Bellabranca, Ordinis et dominorum praedictorum commissarius et vicarius a tunc abbate Claraevallis, monasterium pridem tamquam vacans iure devoluto, dilecto nobis in Christo fratri Ioanni Descepeaulx, presbytero religioso expresse professo nostri iam dicti Ordinis, tamquam

benemerito, capaci et idoneo contulisset. Et nihilominus dilectus etiam nobis in Christo frater Ioannes Fabry, etiam presbyter et religiosus professus dicti monasterii de Claromonte, ex certis iustis et legitimis causis ad hoc animum suum moventibus, ut asserebat, electionem de persona dicti fratris Ioannis Descepeaulx rite et legitime iuxta formam statutorum et privilegiorum dicto Ordini concessorum, praedicto abbate Claraevallis ad hoc praesente et auctoritatem praestante, fecisset et celebravisset. Quae quidem electio fuisset postea rite et legitime de eiusdem abbatis Claraevallis auctoritate confirmata et dictus Descepeaulx in possessionem missus, et etiam quod religiosi dicti monasterii aut quidam ex eis, prout asseritur, prolocutionibus praecedentibus et pactis nonnullis illicitis, non sine suspicione simoniacae pravitatis intervenientibus, et aliis illegitimis modis timorem, qui poterat cadere in constantem virum, incutientibus, se iterum congregarunt, et ordine iuris, statutis, privilegiis, et diffinitionibus ipsius Ordinis praetermissis, et ipsis in excommunicatione existentibus, ac ipso facto pro illa vice iure eligendi privatis, leviter, subito et repente negotium electionis ad sanctissimum dominum nostrum Papam et Sedem Apostolicam remisissent, ita tamen, ut a quibusdam asseritur, quod S. D. N. eidem monasterio provideret, et aliquo capaci nostri Ordinis, et non alias, etc. Hinc est quod nos ad quos potestas providendi de monasteriis dicti nostri Ordinis vacantibus ac etiam iure devolutis spectare dignoscitur, attendentes quantum sit dispendiosa monasteriorum et ecclesiarum diuturna vacatio, quamque pericula esse solent omnibus, illos providere cupientes, provisionem dicto fratri Ioanni Descepeaulx per praefatos abbatem Claraevallis et eius commissarium, cum omnibus inde secutis, auctoritate nostra in vim privilegiorum et statutorum Ordinis nostro Ordini concessorum, approbamus, laudamus et ratificamus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forte intervenerint, in quantum possumus et debemus. Et nihilominus monasterium praedictum B. M. de Claromonte, Cenomanensis dioecesis, sive ius super eodem per dictum Rm Guibé praetensum, sive adhuc per obitum dicti quondam fratris Yvonis Trouson, sive per incapacitatem aut incompatibilitatem ipsius Guibé, iure devoluto a tempore notitiae, aut alias quovismodo adhuc vacare noscatur, fueritque ius ad nos devolutum, eidem fratri Ioanni tamquam capaci, sufficientique et idoneo conferimus et donamus, ac de illo etiam providemus, investientes ipsum vel

procuratorem suum de eodem monasterio per traditionem praesentium litterarum. Quocirca abbatibus de Bellabranca, de Fonte Danielis et de Campania, et eorum cuilibet in solidum, committimus et mandamus, quatinus ipsum Descepeaulx seu procuratorem suum suo praefato et nomine ipsius in possessionem realem, actualem et corporalem dicti monasterii, fructuumque reddituum et proventuum eiusdem, in quantum opus est, ponant et inducant, vel inductum tueantur et defendant, seu alter eorum ponat et inducat, tueatur et defendat. Datum, etc. Praesentibus, etc. sub sigillo, etc.

15. Supplicationem fratris Gabrielis Regnier [c], in sacris litteris baccalarii Parisiensis, religiosi et prioris monasterii B. M. de Vallelucida, alias de Boscheto, in Claramontensi dioecesi, qua requirebat sibi per Ordinis Capitulum generale, de dicto officio prioris in dicto monasterio Vallislucidae, eo quod dictum monasterium erat commendatum, et ideo iurisdictionis onus ad Ordinem pertinebat, provideri, admittit praesens generale Capitulum, et eum verum et indubitatum priorem dicti monasterii ad ea quae priores claustrales in Ordine nostro spectant exercenda, ordinat et instituit per praesentes, omnibus eiusdem monasterii Vallislucidae regularibus personis in virtute sanctae obedientiae, et sub censuris Ordinis praecipiendo, quatinus eidem fratri Gabrieli suo priori humiliter pareant et obediant, in plenaria Ordinis potestate.

16. Visis litteris comminatoriis et irreverentibus cuiusdam fratris Ricardi Dayssey, monachi monasterii B. M. de Gratia Dei, in Bisuntinensi dioecesi, cum informationibus super vita, moribus, conversatione, furtis sacrilegiis et minis, quibus abbatem suum iniuriose non tantum verbis sed scriptis circumvenit, praesens generale Capitulum talibus abusibus cupiens providere, expresse mandat et praecipit omnibus abbatibus Ordinis, quatinus ubicumque et quantocius poterint, dictum fratrem Ricardum apprehendere poterint, arctissimis mancipent carceribus, et exinde ad Cistercium transmittant ibidem detinendum, et secundum suas exigentias demeritorum puniendum. Quem nihilominus per omnes ecclesias parochiales et alibi ubi viderint expedire, eum apostatam, irregularem et excommunicatum denuntient, et si opus est, a Dioecesano litteras commissorias ad ecclesiarum rec-

[c] Resinet: *P*[2].

tores ut eum talem denuntient, impetrent, in plenaria Ordinis potestate.

17. Generale Capitulum per certa scripta moderni abbatis et conventus monasterii de Scola Dei debite informatum, quod abbas Claricampi a paucis annis citra quamdam grangiam dictam Tymel in orientali Frisia transmaria situatam, absque facultate et licentia Capituli generalis contra statutum in *Benedictina* contentum alienavit, et cuidam abbatissae monasterii monialium de Tedinga, Ordinis s. Benedicti, vendidit. Eapropter matura super his consilio habito, idem generale Capitulum huiusmodi alienationem seu venditionem omnino revocat, eamque nullius esse vigoris seu momenti diffinit et declarat, abbatibus de Floridocampo et de Sancto Bernardo in Advert, et eorum cuilibet in solidum praecipiens, ut quamprimum fieri poterit, praefatum abbatem de Clarocampo per omnes iuris et iustitiae vias, ac sub censuris Ordinis, compellant quatinus praedictam grangiam ad manus Ordinis reducat seu reduci faciat et procuret.

IUDICES

18. Frater Iacobus abbas Cistercii ... *etc.* et est talis : Dominis abbatibus de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, seu earum monasteria aut quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu legitima documenta, Rmo D. N. eiusque conventui, *etc. ut in forma consueta.*

19. Ad idem, pro domino de Firmitate committitur abbatibus de Caroliloco et de Belloprato, ut se informent, etc.

20. Ad idem, etiam pro domino de Pontigniaco, committitur abbatibus de Regniaco, de Quinciaco et de Fonte Ioannis, et cuilibet eorum in solidum.

21. Ad idem, committitur abbatibus de Caroliloco, de Bullione, de Bonofonte, et cuilibet eorum in solidum pro abbate et monasterio de Boeriis.

22. Ad idem, dominis abbatibus de Longovado et de Moris.

23. Frater Iacobus, abbas Cistercii, *etc.* et est talis : Ad aures Capituli generalis querulose conquaerentes quidam de religiosis monasterii de Nigrolacu contra et adversus dominum Claudium du Mesuy, alias de Maupas, se pro abbate dicti monasterii de

Nigrolacu gerente, quosdam articulos suis nominibus subsignatos miserunt iustitiae et nostrae provisionis remedium humiliter requirentes. Quibus querelis ipsum Capitulum pro viribus cupiens providere, abbatibus de Bonoradio, de Landesio et de Rupibus, de Curia Dei, de Vallelucenti, de Elemosina, et duobus eorum in solidum, praecipiendo in virtute sanctae obedientiae expresse committit ut dictis articulis visis et rebus, prout iuris est, diligenter inspectis et examinatis, partibus reddant iustitiae complementum, in plenaria Ordinis potestate. Datum *etc. (cf. supra nº* 13).

24. Generale Capitulum lamentabiliter deplorans desolationes membrorum Ordinis in partibus Bohemiae constituti velut ovium inter lupos vellera depredantes et pericula, attamen quia non tantum damnum est partem perdere quam totum, ideo consentit quod medietatem possessionum monasterii de Nepomuk in Bohemia relinquant dominis de Stella in perpetuum possidenda, hoc pacto videlicet, quod dictum monasterium aliam medietatem in perpetuum et absque contradictione quacumque possidebit et gaudebit, necnon a sexaginta millium ducatorum proscriptione et arreragiis omnibus omnino quittum et absolutum remanebit. De quibus omnibus dicti domini de Stella, et unusquisque eorum super hiis et pro altero eorum requisiti sive requisitus plenam quittantiam adversus omnes et quascumque personas portare tenebuntur. Qui domini barones de Stella hanc compositionem seu tractatum et Capituli generalis consensum per regiam maiestatem domini regis, ac etiam per Summum Pontificem facient confirmari. Cuius diffinitionis executionem dictum praesens generale Capitulum abbatibus de Ebraco et de Fonte salutis committit in plenaria Ordinis potestate.

25. Generale Capitulum tam antiquam dicti Ordinis unitatem illibatam et indivisam conservare desiderans, praecipit et mandat omnibus eiusdem Ordinis regularibus personis, quatinus sub gravissimis poenis et censuris Ordinis, ne qui sub praetextu cuiuscumque coloris per quoscumque Ordinis personas directe vel indirecte, per se vel per alios imprimant aut imprimi faciant, procurent seu consentiant, quoscumque libellos absque licentia Rmi D. N. Cisterciensis, aut ab eo deputatorum; si qui iam inveniantur alias impressi abiiciantur, et maxime processionarius noviter impressus intitulatus *Processionarius secundum Ordinem Cisterciensem et Claraevallensem.* Qui titulus et ei similes deleantur

ne sapere Ordinis divisionem ac scissuram videantur, alias se noverint Ordinis censuras incurrisse, iuxta diffinitionem anno Domini 1504 factam, quae incipit : Ad tollendam iam, proh dolor ! in Ordine nostro magnam difformitatem, etc. Et ne in posterum talia committantur, omnibus eiusdem Ordinis sub eisdem poenis prohibet, ne quis quascumque intitulationes in Ordine nisi nomine Cisterciensis, prout in *Charta charitatis* expressum est, allegare praesumant.

26. Generale Capitulum debite informatum de rebellione facta Rmo D. N. Cisterciensi per abbatem de Longovillari et fratrem Petrum de Tuscha [d] religiosum Savigniaci, cum idem Rmus D. N. Cistercii nuperrime visitationis officium in monasterio de Longovillari, auctoritate totius Ordinis, exercere vellet, eidem Rmo ingressum in dictum monasterium denegando, tales abusus nolens quovismodo tolerare, sed eos pro viribus reprimere et propulsare cupiens, totum processum eiusdem Rmi contra dictos abbates de Longovillari et fratrem Petrum de Tuscha ratificans et approbans, mandat et praecipit abbatibus de Caroliloco, de Belloloco, de Caricampo, et duobus eorum, quatinus omni dissimulatione semota, et quam brevissime fieri poterit, adversus huiusmodi rebelles auctoritate totius Ordinis procedant, eos et eorum quemlibet iuxta demerita acriter puniendo, et si casus exegerit, praefatum abbatem a sua dignitate abbatiali privando et destituendo seu suspendendo, praedictumque de Tuscha excommunicatum declarari ac carceribus mancipari faciendo usque ad aliam dicti generalis Capituli dispositionem. Insuper quia occasione huiusmodi faciendae visitationis per dictum Rmum, episcopus Abrincensis commendatarius dicti monasterii de Savigniaco, a quo immediate dependet ipsum monasterium de Longovillari, necnon praefatus abbas de Longovillari intentaverunt processum, casus novitatis adversus ipsum Rmum, trahentes eum propterea in causa coram iudicibus saecularibus, idem generale Capitulum ordinat, statuit et diffinit quod ipsis omnibus viis et modis possibilibus expensis Ordinis obvietur et resistatur.

27. Quia praesens generale Capitulum multipliciter annis retroactis fuit vexatum propter multitudinem litterarum domi-

[d] Luscha : *P*².

norum principum Germaniae, per personas Ordinis impetratarum, contra diffinitionem anno praeterito factam, necnon contra Ordinis et Capituli generalis instituta super erectione et constructione cuiusdam collegii novi ; ideo idem generale Capitulum sub censuris Ordinis prohibet omnibus Ordinis nostri regularibus personis, ne huiusmodi litteras a quibuscumque dominis principibus procurare praesumant.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

28. Abbatibus de Recluso, de Pietate, de Regniaco et de Moris, praesens generale Capitulum et duobus eorum in solidum, committit, aut cuilibet eorum in solidum, quatinus bene et diligenter et debite se informent, super quodam tractatu facto per bonae memoriae fratrem Bernardum, quondam abbatem de Ripatorio, de quodam gagnagio vulgariter nuncupato Fontenerii, et si invenerint huiusmodi tractatum seu contractum fore factum in damnum et praeiudicium praedicti monasterii, eumdem tractatum cassent, destruant et annullent, in plenaria Ordinis potestate, cum potestate absolvendi omnes et quascumque illius monasterii personas regulares a iuramento et aliis obligationibus. Si autem eumdem tractatum seu contractum rationabilem ipsique monasterio utilem fore invenerint, illum cum suis clausulis et conditionibus approbent, ratificent et confirment, cum praedicta et plenaria ipsius Ordinis potestate.

29. Ad idem, pro domino de Recluso. — Abbatibus de Charmeya et de Pietate praesens generale Capitulum committit, ut se debite informent super quodam tractatu per defunctum abbatem de Recluso et suum conventum, cum quibusdam colonis seu laboratoribus, de quodam manso seu gagnagio vulgariter nuncupato Les estas de Lachem, et si praedictum, *etc.*

30. Ad idem, conceditur pro abbate de Bellobecco. — Ad idem, pro abbate de Sancto Andrea. — Ad idem, pro abbate de Loco Dei in Pontino. — Ad idem, pro abbate de Ripatorio.

31. Ad idem, abbati de Bonavalle et Lococrescenti super quodam tractatu inito et passato inter venerabiles coabbatem nostrum et conventum de Gratia Dei, in Bisuntinensi dioecesi, ex una, et Ioannem Crulot de Luzen les Orcams et suos consortes et pensionarios, quatinus debita inquisitione facta prout iustum fuerit, confirment vel infirment auctoritate Capituli generalis.

32. Generale Capitulum sufficienter informatum de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Loco Dei in Ponthino, et comitem Dauson, super celebratione unius missae quotidianae, qui comes aliqua in contractu contenta eisdem in recompensam donat, ratificat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

33. Ad idem, pro eodem Loco Dei ex una, et praetactum Carolum Dartoys comitem Dauson, prout in litteris super hoc confectis continetur, praesens generale Capitulum ratificat et approbat.

34. Ad idem, pro eodem abbate et conventu eiusdem monasterii cum dominis Ludovico Bonnol milite, domino de Tenbrone, Ioanne domino de Mares, magistro Fremino Briel, executoribus dominae Iulianae de Moissy defunctae, cuiusdam fundationis in eodem monasterio pro ea singulis hebdomadis faciendae, prout continetur in litteris.

35. Tractatum initum et passatum inter Rmum D. N. Cisterciensem et abbatem de Bellabranca anno 1508 factum apud Parisios, cui haec praesens diffinitio annectitur, praesens generale Capitulum secundum omnes clausulas in eo contentas ratificat et approbat.

36. Tractatum initum et passatum inter eumdem Rmum D. N. Cisterciensem, eiusque conventum et Capitulum generale ex una, et dominum Ioannem de Mesuy, abbatem monasterii de Bellabranca, in Senonensi dioecesi, pro eo et suis successoribus parte ex altera, praesens generale Capitulum tamquam iustum in omnibus suis partibus ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

SUFFRAGIA

37. Capitulum generale pro compassionis affectu condolens ruinis et desolationibus ecclesiae parochialis ... omnibus et singulis Christi fidelibus, qui ad relevationem dictae ecclesiae manus porrexerint adiutrices, idem generale Capitulum plenariam participationem omnium et singulorum bonorum spiritualium eis concedit et donat, usque ad decennium, in plenaria Ordinis potestate.

38. Attentis per generale Capitulum charitativa humanitate et benevolentia, quibus egregii ac magnifici viri domini ac magistri ... Duprat, primus praesidens, et Theobaldi Baillet, praedictae

curiae secundus praesidens, erga personas et loca Ordinis affici dignoscuntur, ad instantiam Rmi D. N. Cisterciensis ac abbatis Caroliloci, eisdem plenariam confert omnium bonorum spiritualium Ordinis participationem et associationem.

39. Ad instantiam abbatis de Rigniaco, conceditur simile suffragium honorabilibus viris dominis Antonio de Vezon et Guillelmo Durandi, et uxoribus eorumdem.

40. Ad instantiam dicti abbatis, conceditur simile suffragium nobili honestaeque dominae dominae Ioannae de Rochefort, relictae nobilis viri Georgii de Chaudio, et eius liberis.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

41. Electionem, promotionem et institutionem, fratris Valentini ad dignitatem abbatialem monasterii de Lenyn, confirmat, ratificat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

42. Electionem, institutionem, promotionem et installationem fratris Ludovici de Hesion Episcopi [e] ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Cheminione, in Catalaunensi dioecesi, in praesentia patris abbatis factam, tamquam ratam et canonicam approbat, ratificat, in plenaria Ordinis potestate.

43. Provisionem factam monasterio de Fonte Guillelmi de persona fratris Ioannis Morelli, monachi de Faesia, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii de Fonte Guillelmi, per dominum Pontigniaci factam, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

44. Electionem et promotionem fratris Iacobi Pelzin ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Colbaz, in dioecesi Caminensi, in ducatu Stetinensi, Ordinis nostri Cisterciensis, per conventum dicti monasterii de Colbaz, in praesentia commissarii Ordinis celebratam, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

* * *

45. Quia propter multiplicitatem, ... *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

---

[e] de Heiz l'évêque, *iuxta Gall. christ. IX*, 967.

1510

A) Nomina monasteriorum quorum abbates interfuerunt Capitulo generali anno Domini 1510. De Cistercio, s. th pr., de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., de Laude, s. th. pr., de Bullione, s. th. pr., de Ruppibus, de Bellavalle, de Persenia, de Pietate, de Tribus fontibus, de Igniaco, de Floridocampo, de Lenyn, de Boheriis, de Aceyo, de Crista, de Charitate, de Ardorello, de Candelio, de Callovio, de Noa, de Lococrescenti, de Strata Marcella, de Marciliaco, de Sancto Rege, de Reliquiis, de Ponte thieffrido, de Vallebona, de Roseriis, de Valledulci, de Theoloco.

* * *

B) Ordinatio Capituli generalis anni Domini 1510.

DIFFINITIORES : De **Cistercio**, s. th. pr., de Reliquiis, de Persenia, de Floridocampo, de Boheriis, monasteriorum abbates. De Laude, s. th. pr., loco domini de **Firmitate**, de Charitate, de Pietate, de Strata Marcella, de Sancto Rege, monasteriorum abbates. De **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Ardorello, de Ruppibus, de Noa, monasteriorum abbates — De **Claravalle**, de Tribus fontibus, de Igniaco, de Candelio, de Vallebona, monasteriorum abbates. — De **Morimundo**, de Bellavalle, de Crista, de Lenin, de Theoloco, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Callovio, de Roseriis, de Marciliaco, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : dominus provisor collegii Sancti Bernardi Parisiensis, s. th. pr.

RECEPTOR EXCUSATIONUM : de Lococrescenti monasterii abbas.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Ponte thieffrido monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Bullione, s. th. pr., de Rigniaco, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Aceyo, de Valle dulci, et quos Rmus D. N. voluerit deputare.

1510. *Fontes* : L^5 : *A*), *B*), 1-46 ; *M* : 9 ; P^2 : 1, 8, 9, 13, 44 ; *W* : 9 *(abbrev.)*.

NOTARII AD PEDES : fratres Guillemus de Divione, Claudius de Pontescisso, Cistercii professi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 6561 libr. 3 solid. 10 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli anni 1509 ... *etc.*

7. Praesens generale Capitulum discursionibus et evagationibus plurimorum religiosorum fugitivorum et apostatarum obviare cupiens, omnibus abbatibus Ordinis, multiplicibus iteratis ac variis olim super his editis diffinitionibus adhaerendo et eas innovando ac confirmando, districte praecipit, quatinus ubicumque invenerint huiusmodi fugitivos et apostatas, in maximum Ordinis scandalum et opprobrium per saeculum divagantes, eosdem apprehendant et ad Ordinis carceres retrudant, secundum eorum exigentiam demeritorum puniendos, in plenaria Ordinis potestate.

8. Ad restaurationem seu reparationem et consummationem insignis ecclesiae venerabilis collegii beati Bernardi Parisiensis, universis et singulis personis Ordinis committit praesens generale Capitulum, compassivo affectu concurrens et anhelans, omnes et singulos abbates, abbatissas, et ceteras Ordinis personas, et praesertim eos qui scolares ad dictum collegium mittere tenentur, hortatur, ut promptas et adiutrices manus huic tam sancto operi

---

[a] *Titulus apud* L^5. [b] Sub Julio 2°... *etc* : P^2.

pro sua facultate porrigere non omittant, pro cuius negotii aptiori et convenientiori directione, litterae commendatitiae nomine Capituli expedientur, ipsius negotii executionem de Frigidomonte et Caroliloco monasteriorum abbatibus et provisori eiusdem collegii, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum, cum plenaria facultate quottas pecuniarum contributas recipiendi et quittantias valituras faciendi, fidelemque rationem seu computum conficiendi, et annis singulis ad dictum Capitulum generale rotulum seu computum super his confectum referendi, in plenaria Ordinis potestate.

9. Ad tollendum detestabilis proprietatis vitium, quod a sanctis patribus ita exosum in monachis habitum est, ut etiam in mortuos huiusmodi vitium puniretur [c], praesens generale Capitulum huiusmodi sanctorum patrum exemplis, sanctaeque regulae, iteratis diffinitionibus iam super his editis et canonicis institutis se conformare desiderans, omnibus et singulis Ordinis abbatibus, et aliis quibuscumque Ordinis personis in eodem praeeminentiam et auctoritatem habentibus, districte praecipit, ut si quas Ordinis personas huic damnabili proprietatis vitio pertinaciter inhaerere, aut in eodem diem clausisse extremum cognoverint, ipsi tales sic viventes per omnes Ordinis poenas et censuras ad sui purgationem efficaciter compellant, taliter vero morientes in sterquilinio cum pecunia sepeliant [d] et inhument. Et quod ad audientiam praesentis Capituli per abbatem de Sancto Bernardo in Frisia circa inhumationem in sterquilinio sui religiosi dicti monasterii bursarii factum fuisse constitit, idem generale Capitulum collaudando laudavit, approbavit et confirmavit, omnibus et singulis abbatibus Ordinis et abbatissis praecipiens, ne dent facultatem suis religiosis tenendi seu retinendi animalia aut alia huiusmodi ; quodque praesentem diffinitionem singulis annis die Palmarum una cum alia communi diffinitione legendam in monasteriis suis habeant et publicent, in plenaria Ordinis potestate.

10. Procuratori generali Ordinis praesenti inhibendo praesens generale Capitulum declaravit, suae mentis non esse, ut praetextu cuiuscumque mandati seu commissionum Ordinis concessarum, fugitivos et apostatas Ordinis ad Curiam seu partes illas, in quibus commissionem accepit, accedentes, quatinus ad sacros ordines promoveantur, dispensare valeat et habilitare.

---

[c] punierint : *MP*[2]. [d] sepeliantur et inhumentur : *MP*[2].

11. Diffinitio super astallatione et proportione contributionum Ordinis in singulis Ordinis monasteriis per Rmum D. et dominos quatuor primos, cum aliis quos secum advocare voluerint, renovatur, continuatur et confirmatur, in plenaria Ordinis potestate.

DIFFINITIONES SPECIALES

12. Praesens Capitulum generale diffiniendo permittit, et ex nunc prout ex tunc, decernit abbati de Boheriis litteras compulsoriales et executivas sub sigillo Diffinitorum, contra abbatissam et moniales monasterii de Virgulto pro tempore existentes, ad recuperandum omnes sumptus, expensas et pecuniarum summas, quas tam pro sustentatione personarum dicti monasterii, durante processu contra sororem Mariam Le Cerf, quam etiam reformationis per supremam Parlamenti curiam ordinatae, clausuris, necnon pro dicto processus prosecutione aut illius occasione fecit seu deinceps faciet, eumdem abbatem de Boheriis ad ulteriorem ipsius processus prosecutionem, etiam usque ad exitum cohortando.

13. Quia per nonnullas Ordinis personas in dubium deductum est, quem locum frater Nicolaus Perret, monasterii de Bullione, se sacrae théologiae doctorem attestans, in praesenti Capitulo generali aut ceteris Ordinis locis obtinere deberet, praesens generale Capitulum, attentis ipsius de Bullione sufficienti litteratura, aliisque quampluribus obsequiis iam Ordini per eum diligenter impensis, ac idoneitate et promptissima voluntate ipsius ad ampliores Ordinis labores et onera subeunda, benigne et de gratia speciali decernit, eum doctorem et s. th. pr. per Ordinem nominandum doctorumque locum post tamen doctores Parisienses in praemissis habiturum, prius ab eo solito iuxta formam *Benedictinae* recepto iuramento, absque tamen quod aliis Ordinis personis in posterum cedat in consequentiam et exemplum.

14. Audita domini abbatis Claraevallis querimonia super rebellione abbatissae et monialium monasterii de Novobosco eidem immediate subiecti, et ad ipsius monasterii reformationem procedere cupientis, praesens generale Capitulum dictam reformationem in singulis Ordinis monasteriis fieri desiderans, ipsum Claraevallis abbatem, quatinus ipsius reformationis in dicto monasterio de Novobosco per eum coeptum negotium viriliter et diligenter perficiat, admonet, et nihilominus praecipit abbatibus de Dunis et de Bodelo et ceteris circumvinicis abbatibus, et cui-

libet eorum, quatinus dicto de Claravalle in hoc tam sancto negotio ac ceteris similibus favorabiliter assistant, expresse iniungendo, invocato ad hoc, si opus sit, quod Deus avertat, brachii saecularis auxilio, consilio et favore, in plenaria Ordinis potestate.

15. Audita abbatis et conventus de Dunis supplicatione, necnon fide digna domini abbatis de Claravalle super flebili eorumdem ob multiplices maris inundationes et elationes, desolatione, praesens generale Capitulum tantae eorumdem iacturae compatiens, eidemque succurrere desiderans, cumque conventus id pro praesenti ob suae flebilem tenuitatem et onerum in dies supportandorum necessitate efficere non valeat, eisdem abbati et conventui contributiones dicti monasterio impositas hinc ad sex annos inclusive remittit, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

16. Visa et cognita diligentia pro parte fratris Aegidii abbatis monasterii B. M. de Palatio, per fratrem Petrum Lambert, religiosum et professum dicti monasterii, in afferendo ad praesens generale Capitulum suae electionis et promotionis decretum, constitoque quod dictum decretum non ex malitia seu subreptione ad dictum Capitulum minime delatum est, sed loco eius quidam processus verbalis dictam electionem concernens, auditoque super his domino de Pontigniaco, praesens Capitulum generale abbati de Phezia, in partibus illis commissario, inhibet ne praetextu diffinitionum contra non afferentes huiusmodi decreta superioribus annis editarum, dictum abbatem et conventum ad solutionem duplicis contributionis compellat, seu alias quovismodo vexet aut molestet, in plenaria Ordinis potestate.

17. Cognita domini abbatis Claraevallis diligentia in visitandis et reformandis hoc anno utriusque sexus Ordinis monasteriis, eidem in ultimo generali Capitulo commissis, ipsum generale Capitulum de eiusdem domini Claraevallis sufficientissima probitate et sollicita diligentia ad plenum in Domino confidens, commissionem suam praeterito anno expeditam, cum omnibus et singulis facultatibus in eadem contentis renovat, continuat et confirmat, ipsam ad omnia et singula utriusque sexus Ordinis monasteria in tota Leodiensi provincia contenta per eumdem dominum Claraevallis visitanda, cum similibus facultatibus, ampliando et extendendo, in plenaria Ordinis potestate.

18. Quia dominus de Pontigniaco anno praeterito ad visitationem Hispaniarum commissus, eamdem visitationem perficere non potuit, et partes illae visitatione egent, ideo praesens generale Capitulum eamdem commissionem suam cum simili facultate renovando confirmat et continuat usque ad biennium, aut aliud maius tempus necessarium et opportunum, eumdem de Pontigniaco hortando, quatinus ad dictam commissionem executioni demandandam diligenter intendat, in plenaria Ordinis potestate.

19. Dominis abbatibus de Morimundo, de Longovado, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum ad supplitionem nobilis viri magistri Petri Taborot, camerae computorum christianissimi domini nostri regis, in oppido Divionensi auditoris, deputat et committit, quatinus tractatum, cui praesens diffinito annectitur, inter abbatem et conventum monasterii de Albaripa ex una, et ipsum supplicantem partibus ex altera, initum et concordatum, diligenter visitent et examinent; et si dictum tractatum ... *etc.*

20. Abbatibus de Frigidomonte, de Caroliloco, s. th. pr., de Gardo, et duobus eorum coniunctim, praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatum, cui praesens diffinitio annectitur, inter abbatem et conventum de Valloliis ex una, et inclitum dominum Paulum Beussarrad militem, dominum de Rieu en Argoues, partibus ex altera, initum et concordatum diligenter visitent et examinent, et si dictum tractatum, *etc.*

21. Audita fratris Mathei Boulier querimonia contra et adversus modernum abbatem de Sancto Andrea in Goferno, ob non solutionem pensionis eidem conquerenti post cessionem eiusdem monasterii factam assignatae, et etiam ob non adimpletionem seu executionem efficacem tractatus et concordati inter praedictos initi et habiti, praesens generale Capitulum, visa primo ipsa pensionis assignatione, eam gratam habet, ratificat, approbat et confirmat. Et nihilominus tractatum seu compositionem amicabilem super eadem passatum inter partes praedictas exinde secutam, illam ratificat et approbat et confirmat, praefato abbati et conventui de Sancto Andrea sub poenis et censuris Ordinis districte praecipiendo, quatinus ipsi Boulier supplicanti et conquerenti procurationem et mandatum sufficiens cum facultate recipiendi partes et summas in dicto tractatu contentas, necnon quoscumque eorum debitores per omnes iuris et iustitiae vias debite

compellendi, et inde quittantias sufficientes nomine abbatis et conventus faciendi eidem supplicanti expediant et conferant, alias ex nunc idem Capitulum dictum supplicantem et conquerentem ad primum ipsius pensionis statum instituit et reponit, abbatibus de Thoriniaco, de Trapa [e] et de Valle Richerii, et eorum cuilibet in solidum, praesentis diffinitionis executionem committendo, in plenaria Ordinis potestate.

22. Abbatibus de Laude, s. th. pr., de Valcellis, de Villari et de Alna, et duobus eorum coniunctis, praesens generale Capitulum committit quatinus si venditio seu alienatio quarumdam woestinarum, seu terrarum quarumdam sterilium magnitudinis septingentarum mensurarum terrae vel eo circiter, pro qua abbas et conventus monasterii de Dunis dicto generali Capitulo supplicationem porrexerunt, in evidentem monasterii de Dunis utilitatem, iuxta eorum supplicationem cedere possit, se diligenter informent, et si sic invenerint, fideliter, super quo eorum conscientias idem generale Capitulum onerat, ad ipsum generale Capitulum proximum referant, in plenaria Ordinis potestate.

23. Procuratorium generale Ordinis in patria Tholosana ad causas fuit expeditum pro abbate de Candelio ; forma huius procuratorii habetur per formam diffinitionis absque clausularum expressione.

ELECTIONUM SEU DECRETORUM CONFIRMATIONES

24. Electionem, installationem, institutionem, promotionem et confirmationem in monasterio Dargum, de persona fratris Theodorici Brekot factam, praesens generale Capitulum habet gratam tamquam iustam, rite et canonice factam, laudat, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

25. Ad idem, electionem, confirmationem et promotionem in monasterio de Hylda, Caminensis dioecesis, de persona fratris Euvraldi Schinker, per abbatem de Novocampo factam, idem Capitulum eamdem electionem approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

26. Praesens generale Capitulum unicuique iustitiam minis-

---

[e] Hyrpa : *L*[5].

trare cupiens, abbatibus de Claravalle, de Igniaco, de Signiaco, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas seu monasteria, aut quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos ... monasterii de Valle regis, *etc.*

27. Ad idem, iudices deputantur ad compellendum debitores qui videbuntur iuste teneri fratri Ioanni de Burreyo, licentiato in sacra theologia, religioso et professo monasterii de Claravalle.

28. Ad idem, abbatibus de Frigidomonte et Regalimonte, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super redditu per sororem Ysabellam Laurens in sua supplicatione eidem generali Capitulo porrecta declarato, per abbatissam de Lilio eidem priori Ysabellae per litteras super hoc expeditas assignato, se diligenter informent, et quod super hoc iustum et aequum debere fieri recognoverint, sub poenis et censuris Ordinis observari faciant, in plenaria Ordinis potestate.

29. Cognitis abbatis de Floridocampo pro accessu ad praesens generale Capitulum laboribus et expensis, quodque solus abbas ex omnibus abbatibus monasteriorum in Frisia situatorum, etiam cum magnis sumptibus et expensis venerit, praesens generale Capitulum eidem, quatinus ab omnibus aliis abbatibus Frisiae, pro quorum parte se praesenti Capitulo praesentavit, summam decem florenorum Rhenensium ad dictorum sumptuum et expensarum supportatione respective recuperare, et si opus sit, sub poenis et censuris Ordinis exigere possit et valeat favorabiliter concedit, in plenaria Ordinis potestate.

30. Viso et diligenter examinato processu Alberti de Sancto Bernardo in Adwert, et Petri de Floridocampo quondam spectantis, per fratrem Paulum eiusdem monasterii abbatem facto, necnon bina ipsius abbatis de Floridocampo in praesenti generali Capitulo Diffinitoris praesentis super legitimis ipsius venditionis seu alienationis causis, medio suo iuramento, habita relatione, praesens generale Capitulum dictum praefatorum abbatum processum, cui praesens diffinitio annectitur, necnon venditionem et alienationem praemissi allodii ibidem plenius descriptas, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

31. Nos frater Iacobus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitiores ... *etc.* et est talis : Audita per generale Capitulum supplicatione et gravi querimonia pauperis mulieris Claudiae ... asserentis, quod licet per certum tempus servierit abbatissae de Colongiis, et pro huiusmodi servitiis suis eidem supplicanti eadem

abbatissa debeat summam septem librarum et decem solidorum, ipsa tamen summae solutionem a praefata abbatissa hucusque habere non potuit nec potest. Ipsum generale Capitulum abbatibus de Aceyo et de Theoloco, et eorum cuilibet in solidum, committendo praecipit in virtute salutaris obedientiae, quatinus vocatis vocandis, auditis audiendis, et consideratis considerandis, si eis seu eorum alteri legitime constiterit, dictam abbatissam debere dictae supplicanti summam supradictam, eamdem abbatissam ad plenarie et integraliter ipsi supplicanti satisfaciendum astringant et compellant, per censuras Ordinis aliasque iuris et iustitiae vias, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate. Datum, *etc.*

REHABILITATIONES

32. Ad expressam et instantissimam supplicationem abbatissae monasterii B. M. de Pratis supra Liza, praesens generale Capitulum de laudabili et honesta morum integritate sororis Petronillae, religiosae supradicti monasterii expressae professae, fide digno relatu, sufficienter informatum, necnon de futura eius ad Ordinis legitimos actus exercendos idoneitate in Domino confidens, cum praefata sorore Petronilla, ut non obstante natalium defectu quem ex soluto et soluta genita patitur, quominus ad quoscumque Ordinis gradus, actus, voces et officia promoveri possit et valeat, misericorditer dispensat in plenaria Ordinis potestate.

33. Generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Ioanne Dankard, Claraevallis monasterii professo, ab apostasia quam incurrit trina vice exeundo de monasterio sine licentia, Ordinis tamen habitu minime dimisso, idem generale Capitulum eumdem absolvit et rehabilitat ad omnes actus et gradus legitimos, officia et dignitates Ordinis, eum habilem faciendo et declarando, in plenaria Ordinis potestate.

CONTUMACES

34. Quia frater Nicolaus de Besson ad praesens generale Capitulum personaliter citatus, debite vocatus et expectatus minime comparuit, nec aliquem pro se misit, ideoque praesens generale Capitulum praefatum fratrem Nicolaum Besson, religiosum et professum monasterii de Nigrolacu contumacem, excommuni-

catum declarat, omnibus Ordinis regularibus personis praesentis diffinitionis executionem committendo.

35. Similiter fratres ... prior, et ... procurator, necnon ... receptor, et ... gubernator firmae seu grangiae de Longovado, monasterii de Oratorio professi, ad praesens generale Capitulum citati, debite vocati et expectati, minime comparuerunt, nec aliquis pro eis, idem praefatos fratres praesens generale Capitulum contumaces declarat et pronuntiat. Et insuper quia eidem generali Capitulo per relationem fratris Caroli de Boery, ipsius monasterii de Oratorio religiosi professi, constat dictos fratres ... sufficienter sub censuris Ordinis monitos fuisse, quatinus quottam ultimi subsidii, quae est 35 libr. turon. receptori contributionum infra secundam diem praesentis Capituli generalis solverent, cum intimatione debita, quod alias dictae Ordinis censurae contra eos fulminarentur, idem generale Capitulum praefatos rebelles et contumaces praedictas Ordinis censuras incurrisse declarat. Omnibus abbatibus, etc.

SUFFRAGIA

36. Primo, pro illustrissimo domino marchione Brandeburgensi, eius inclita ac devotissima consorte, et liberis eorumdem. — Frater Iacobus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, illustrissimo domino et Ordinis fautori singularissimo domino marchioni Brandeburgensi, sacri romani imperii electori dignissimo, necnon inclitae ac devotissimae eius consorti, et quam maxime ingenuis eorum liberis, salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quamvis lege divina charitatis ad intercedendum pro omnibus generaliter obligemur, pro illis tamen multo singularius astringimur, qui nobis et Ordini nostro, necnon locis et personis regularibus pia humanitate affici dignoscuntur. Exigente igitur piae devotionis affectu, quem ad Ordinem nostrum et praesertim ad devotum monasterium B. M. de Leenin, fide digno venerabilis et dilecti coabbatis nostri dicti monasterii de Leenin relatu intelleximus, vos habere, ad instantiam et supplicationem eiusdem venerabilis abbatis de Leenin, vobis supradictis concedimus et liberaliter impertimur communicationem plenissimam et omnimodam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet, *etc. ut in formula consueta, deinde*: Et vestrae clementiae

bonitate, firmam in Domino spem cupientes inclitissimam clementiam vestram, ob maturam totius praesentis Capituli generalis super collegio Franchfordiano determinationem nullatenus in nos aut ceteros coabbates nostros, aut eorum monasteria in amplissimo insignis marchionatus vestri dominio fundata, nullatenus commovendam, quin potius eos et eorum loca huiusmodi nostri suffragii contemplationem favorabilius illustrissima dominatio vestra confovebit. Datum et conclusum in diffinitorio ... *etc.*

37. Auditis per abbatem de Leenin pro parte omnium abbatum Ordinis collegii Francfordiani erectionem et consummationem anhelantium amplissime propositis ex una, et aliis pro parte abbatum Lipzensi collegio faventium diffuse propositis, partibus ex altera, necnon litteris Caesareae maiestatis et illustrissimorum dominorum principum, dominorum videlicet ducis Saxoniae et marchionis Brandeburgensis, sacri romani imperii electoris dignissimi,super hac Lipzensis et Francfordiani collegiorum materia, ad praesens generale Capitulum delatis, benigne reverenterque exceptis. Tandem praefatum generale Capitulum omnibus hinc et inde propositis et lectis, repetitisque prioribus diffinitionibus super hac materia editis, attente diligenterque discussis et examinatis praedictis diffinitionibus et ordinationibus suis in hac parte, iustis, rationabilibusque de causis ad id ipsum moventibus adhaerendo, eas innovat et confirmat, praefatum collegium Lipzense semper approbando, et ne ad alterius collegii Francfordiani ulteriorem aedificationem seu consummationem illarum partium abbates procedant, sub poenis et censuris Ordinis inhibendo omnibus et singulis Ordinis abbatibus praesentis diffinitionis executionem committendo, in plenaria Ordinis potestate.

38. Frater Iacobus, etc. Universis Christi fidelibus salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quamvis divina lege charitatis, *etc. ut supra, n*° 36. Exigente igitur piae devotionis affectu, quem dilectus noster frater Thomas de Nobecourt, prior prioratus B. M. de Bella aqua, dicti nostri Ordinis, in Trecensi dioecesi, ad reparationem seu restaurationem multiplicium ruinarum ecclesiae et aliorum locorum regularium dicti prioratus se habere, sua nobis supplicatione exposuit, necnon praedictis miserabilibus ipsius prioratus iacturis et ruinis compassivis occurrere cupiens affectibus, omnibus et singulis qui ad praedictorum locorum restaurationem de bonis a Deo sibi collatis manus porrexerint adiu-

trices, concedimus et libenter impertimur per praesentes plenariam et omnimodam participationem omnium bonoronum spiritualium, videlicet, *etc. ut in forma consueta.* Et insuper ut omnes et singulae Ordinis personae promptius ad tam pium et charitativum opus assurgant, eidem fratri Thomae priori personas Ordinis praedictas, quae de bonis suis ad hoc contulerint, eidem confiteri volentes ab omnibus et singulis generali Capitulo reservatis casibus in foro conscientiae semel pro se tantum et absque colore et forma alicuius publicae confessionis, seu per quascumque Ordinis personas reliquiarum delationem, facultatem absolvendi, favorabiliter et benigne concedimus per praesentes, hinc ad quinquennium immediate sequens valiturum. Datum, *etc.*

39. Ad idem, suffragium Ordinis ad instantiam domini abbatis de Morimundo benigne concedit honorabili viro Iacobo Morelot, castellano in Brasseyo, et Vincento Morelot, eius filio, ac dominae Philibertae ipsius Vincentii conthorali, eorumque liberis.

40. Ad instantiam domini abbatis de Pontigniaco omnia suffragia conceduntur, videlicet Ioanni Farcier, eius uxori, eorumque liberis ; et laudabili viro Germano Verrault mercatori ac Micheletae consorti eorumque liberis ; et nobili viro Claudio de Montquoquier scutifero et Pierretae eius uxori.

* * *

41. Quia propter multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

42. Illustrissimo domino domino Georgio duci Saxoniae, caesareae maiestatis per totam Frisiam gubernatori vigilantissimo, frater Iacobus abbas Cistercii ceterique Diffinitores praesentis Capituli generalis, salutem quamplurimam, et piis iustisque precibus salutem praebere consensum. — Cum praesenti nostro generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, vestrae illustrissimae dominationis supplicatio super collegio Lipzensi promovendo, ac firmius plenaria totius nostri generalis Capituli auctoritate confirmando, per venerabiles et dilectum coabbatem nostrum de Floridocampo fuerit admodum devote, et cum plurima illustrissimae vestrae dominationis affectatissima collaudatione praesentata, Nos, piis vestris supplicationibus favorabiliter annuentes, benignum dedimus consensum, prout diffinitio nostra iuxta vestrae beneplacitum voluntatis inde secuta lucidissime declarat. Nunc igitur haec est instantissima supplicatio nostra ex parte omnium monasteriorum in regione Frisiae sub

vestra ditione situatorum, ne videlicet ab nimiis exactionibus contra nostri sacri Ordinis privilegia amplius molestentur, seu etiam praegraventur, in eorum praeiudicium non modicum ; et ut sua laudabili consuetudine gaudere valeant, hactenus iuxta nostri Ordinis formam observatam, et praesertim monasterium nostrum de Floridocampo prope oppidum Bolsverdae situatum, quatinus ab annua suorum bonorum exactione seu decimatione, videlicet 50 floren. rhen. exonerari seu redimi valeat, et a quotidianis suarum rerum emendarum gravibus, seu ut proprie dicuntur axsisiis. In his igitur, nos favorabiliter et pro vestra innata clementia exaudiendo, illustrissima vestra dominatio rem nobis faciet gratissimam. Quod ut dignanter efficiat, vobis nostri sacri Ordinis fraternitatem et plenariam omnium bonorum spiritualium participationem per praesentes conferimus. Ex diffinitorio nostro Cisterciensi sub sigillo nostro die 8ª mensis maii anno Domini 1510. — Subscriptio : humiles et devoti oratores vestri, abbas Cistercii ceterique Diffinitores praesentis Capituli generalis ; sic signatum. De mandato dominorum, f. Perret, abbas Bullionis.

43. Venerabilibus et in Christo nobis dilectissimis dominis, dominis capituli ecclesiae parochialis B. M. Antwerpiensis, frater Iacobus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis totius Ordinis Cisterciensis apud Cistercium congregati, salutem et charitativam concordiam nobiscum retinere. — Venerabiles et egregii domini, querimoniam fratrum nostrorum prioris et conventus Sancti Salvatoris Antwerpiensium, super molesta quadam vestra petitione, seu iurium per vos contra eligentes apud eos sepulturam praetensione, praesens generale Capitulum non sine magna tantae novitatis admiratione percepit et audivit, unde nobis omnibus non modica disciplicentia successit, tum videlicet quod inveteratum et hactenus inter vos et nostros firmum illibatae charitatis vinculum solutum sit, tum etiam propter novam et nunc usque inauditam contra sacri Ordinis nostri privilegia novitatem. Non enim vos latet praefatum Ordinem nostrum Cisterciensem amplissimis etiam in *Corpore iuris* clausis privilegiis et libertatibus praemunitum fuisse, et ut de multis unum pro subiecta materia producamus, Gregorii IX extat apud nos apertum privilegium, quo inter cetera sub censuris apostolicis cavetur nullum devotioni seu extremae voluntati fidelium, in monasteriis nostris sepulturam eligentium, obsistere debere, nisi forsan tales sepulturam eli-

gentes publice excommunicati, interdicti, seu usurarii publici forent. Cesset igitur, venerandi et amantissimi domini, contra praefatos priorem et conventum, imo vero contra totius Ordinis nostri libertatem, tam nova et hactenus inaudita vexatio, quin potius vos et ipsi, quos auctor pacis in tam insigne oppidum conclusit, pacifice et concorditer, sicut vere sanctos et praesertim ecclesiasticos decet, convivatis. Siquidem ad conturbandam et concitandam monasticae seu denique totius ecclesiasticae vocationis tranquillitatem, laicorum nobis infestorum molimina quotidiana sufficiuntur, nec opus est ut inter nos iurgia suscitemus. Vos itaque, colendissimi domini, firmissimo mutuae charitatis vinculo colligati, huiuscemodi discordiae, litium et processuum incendia secludatis, sed potius libertatem et immunitatem ecclesiasticam, quae passim hodie per laicos confunditur, unanimiter protegere contendatis. Quae si feceritis, Deum et sanctos eius vobis faventissimos habebitis. Nos autem interim omnium bonorum nostrorum spiritualium participationem et fraternitatem devote et reverenter vobis offerimus, id idem a dominationibus vestris colendissimis factum iri confidentes. Ex diffinitorio... *etc. ut in* n° 42.

44. Nos frater Iacobus... *etc.* et est talis : Cum olim praeclarissimus Ordo noster Cisterciensis ob unanimem et perseverantem in divino cultu et ceteris piis actibus integritatem, necnon ad sanctam Dei romanam Ecclesiam obedientissimam conformitatem a sanctissimis Pontificibus, catholicis imperatoribus et christianissimis regibus nostris plurium hactenus commendationem,ut ex amplissimis privilegiis et cumulatissimis eorumdem beneficiis liquet, reportaverit,ipseque divinus cultus ex insignium amplitudine templorum seu amplissima ecclesiarum ipsius Ordinis nostri structura inter ceteras orbis ecclesias omnibus christicolis elucescat. Cumque per universa christianitatis climata plerique christiani fideles, ut per omnes et singulos hominum status cernitur, se ad ipsius divini cultus amplificationem in dies devoveant et se invicem promoveant. Eorum videlicet nonnulli suas ecclesias restaurando, alii multitudinis credentium domos incapaces ampliando, ceteri vero, et hii quidem multi prioribus suis ecclesiis collabentibus, aut ruinam instantem comminantibus, seu denique ipsis iam in parte collapsis minime contenti, alias magnificas funditus instaurando, quin ipsa communis omnium mater sanctissima romana Ecclesia pro fidei suae dila-

tata magnitudine et suorum filiorum multitudine, suae iam antea spatiosissimae Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius aulae terminos et ambitum priores transcendens mirificis eamdem structuris amplificent. Hinc est quod praesens generale Capitulum laudabilem ipsius Ordinis commendationem erga praenominatos, non nisi eisdem quibus parta est artibus et mediis aptius retineri posse, solerter attendens, seque sanctissimae romanae Ecclesiae, imo vere universae Dei Ecclesiae et omnium fidelium devotioni eorumque vestigiis in hac parte inhaerere desiderans, tandem post gravissimas et iam iam iteratas patrum Ordinis super hac materia considerationes, insigne et revera sumptuosissimum praecipui Ordinis collegii Sancti Bernardi Parisiis templum, seu permagnificam ecclesiam inter haec pacatissima tempora pientissima christianissimi domini nostri Francorum regis clementia nobis adeo concessa perficiendam seu consummandam, quod annis prioribus impedimenta varia fieri prohibuere, diffiniendo censet, ordinat et decernit. Cum vero ad multorum magnatum et potentum, imo verius omnium dictam ecclesiam etiam a longe prospectantium et praesertim dominorum Parisiensium tam pium opus affectantium, et suo nos ad hoc exemplo in cunctis suis ecclesiis et Dei domibus commoventium clamorem omnibus et singulis Ordinis utriusque sexus monasteriis, certas pecuniarum quottas, sub poenis et censuris iuxta papalia et Ordinis statuta persolvendas idem praesens generale Capitulum imponere potuisset, generosos tamen personarum Ordinis animos ad hoc opus piissimum deditissimos praefatum generale Capitulum experiens, eisdem sicut nec equis concurrentibus fieri solet, poenarum seu censurarum calcaria seu stimulos apponere noluit ; quin potius paterna solum et revera benefica simul ac remuneratoria monitione et exhortatione pro hac vice erga singulas utriusque sexus regulares Ordinis personas utendum decrevit. Quocirca omnes et singulas utriusque sexus regulares Ordinis personas, imo vero universos Christi fideles praesens generale Capitulum, totius Ordinis Cisterciensis longe lateque per universum orbem diffusi abbates et conventus repraesentans, in visceribus Iesu Christi exhortatur, rogat, requirit et admonet, quatinus ipsi pro sua facultate et bonorum suorum contingentia ad dictum collegii Sancti Bernardi Parisiensis templum seu sacram aedem et ecclesiam perficiendam annis singulis usque ad ipsius consummationem manus extendant promptissimas et porrigant adiutrices. Quod qui facere

neglexerint, noluerint aut contempserint, detestandum et invisum odiosissimae ingratitudinis vitium, imo verius (ut pie creditur) Dei omnipotentis et Sanctae Sedis Apostolicae, cuius liberalitate fundata et indulgentiis amplissimis dotata et insignita est praefata ecclesia ; necnon totius Ordinis nostri, et quod longe miserabilius est, totius populi christiani indignationem non evadent, neque enim usquam quis inventus est, quin fructum aliquem ex ipso Sancti Bernardi collegio aliquando collegerit, cum ad id ex omni natione quae sub coelo est Ordinis personas ad disciplinas salutares capescendas undique transmitti permissum sit. Et ut promptius omnes praefati Christi fideles pro sua ad hoc liberalitate concurrant, praefatum generale Capitulum praedictis omnibus, tam ipsius Ordinis regularibus personis, quam ceteris Christi fidelibus, temporalia sua ad hoc opus elargientibus, sua spiritualia respective per modum gratitudinis remuneratoriae non modo rependere, sed etiam cumulatissime superimpendere desideramus. Primo omnibus et singulis utriusque sexus regularibus Ordinis personis, quae de bonis eisdem a Deo et Ordine concessis, iuxta suarum exigentiam facultatum ad hoc contulerint, seu etiam Parisios transmiserint, confessorem in Ordine idoneum qui eas ab omnibus et singulis casibus etiam Capitulo generali reservatis, nisi forsan tales essent, pro quibus ipsum generale Capitulum, seu Rmus D. Cisterciensis merito consulendus veniret, toties quoties id fecerint, eligendi facultatem. Et insuper ipsis et ceteris universis Christi fidelibus, qui pias et adiutrices ad hoc manus porrexerint, seu de bonis eisdem a Deo concessis erogaverint, toties quoties id fecerint, plenariam omnium bonorum spiritualium, missarum, *etc. ut in forma consueta.* Ceterum idem generale Capitulum, de legali probitate et solerti prudentia de Frigidomonte et Caroliloco monasteriorum abbatum, s. th pr., necnon moderni provisoris ipsius collegii Sancti Bernardi Parisiensis, etiam s. pag. pr., ad plenum confidens, ipsos et eorum quemlibet in solidum ad ulteriorem praesentis diffinitionis executionem commisit et committit per praesentes, ut ipsi per se videlicet, vel eorum fideles substitutos, omnes et singulas pecuniarum summas inde provenientes recipiant, et super oblatis et receptis litteras seu certificationes omnibus eas requirentibus expediant, fidelesque rotulos cum nominum contribuentium subscriptione super his conficiant, quos singulis annis ad Capitulum generale ibidem audiendos et examinandos de receptis et expensis

fidelem rationem reddituri, sub poenis et censuris contra subsidiorum et contributionum Ordinis receptores fulminatis, afferant, seu eorum alter afferat. Cumque in diversis mundi partibus praesens diffinitio veniat publicanda, idem generale Capitulum vult, intendit, declarat et decernit transumpto seu duplo illius signo alicuius notarii publici signato ac sigillo authentico alicuius personae in dignitate constitutae sigillato, tamquam vero originali, ab omnibus fidem esse adhibendam etiam in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc. ut supra.*

* * *

45. Nos frater Iacobus ... *etc.* et est talis : Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de iusta et expedientissima emissione sex monialium monasterii B. M. de Virgulto, in Cameracensi dioecesi, et ad alia Ordinis monialium monasteria translatione, sororum videlicet Ioannae de Monceaulx ad monasterium de Parco dominarum, Catharinae de Gribonval ad monasterium de Saliceto, Barbarae de Converlu ad monasterium de Marqueta, Ysabellae Quabine ad monasterium de Pratis in Duaco, Ioannae Rasse ad monasterium de Odenarde, et Mariae de Noyele ad monasterium de Fontenel, per abbatem de Frigidomonte, s. th. pr., Rmi D. N. Cisterciensis commissarium in hac parte, factis, omnibus et singulis abbatissis praedictorum monasteriorum, ad quas dictae sex moniales transmissae sunt, districte praecipit, quatinus sex dictas moniales in suis monasteriis tamquam professas detineant et tractent, ne eisdem ad dictum monasterium de Virgulto revertendi, aut extra dicta monasteria evagandi facultatem concedant, expresse inhibendo, usque ad aliam ipsius Capituli generalis vel dicti Rmi D. dispositionem, in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc. ut supra.*

* * *

46. Commissio Rmi D. Cistercii pro Anglia. — Nos frater Iacobus abbas Cistercii ... *etc.* et est talis : Licet annis superioribus Capitulum generale universum Ordinem Cisterciensem ad priorem statum et pristinum decus cum plenaria Dei et hominum commendatione reducere cupiens, ob hoc in diversis mundi partibus generales Ordinis visitatores instituerit, et iam eorum nonnulli suam visitationem et reformationem, cum Dei gratia et multipli-

cis fructus spiritualis reportatione, peregerint, ita ut sola illustrissimorum regnorum Angliae, Walliae, Scotiae et Hiberniae ac circumvicinorum dictorum dominiorum monasteria, collegia et cetera Ordinis loca regularia supersint in plenaria Capituli generalis et totius Ordinis potestate, visitanda et reformanda. Et quia dicta Ordinis monasteria, collegia et cetera loca regularia authenticis nonullorum venerabilium patrum scriptis ac fide digno aliarum insignium personarum relatu praedicta visitatione et reformatione quam maxime indigere, ad ipsius generalis Capituli audientiam deductum est ; hinc est quod praesens generale Capitulum ipsorum monasteriorum, locorum et personarum commoditati consulere ac providere cupiens, necnon Rmi D. N. Iacobi abbatis Cisterciensis, s. th. pr. eximii, vitae religiositatem, Ordinis zelum, doctrinae claritatem, ceterasque bonas animi sui partes solerter attendens, matura super hiis deliberatione praehabita, ac suis iam superioribus annis diffinitionibus editis inhaerendo, ipsius reverendissimae paternitati reverenter supplicandum decrevit et supplicat, quatinus totius Ordinis favore et contemplatione, onus istud visitationis et reformationis generalis in omnibus et singulis utriusque sexus monasteriis, collegiis et ceteris Ordinis regularibus locis in praedictis regnis, dominiis et aliis locis circumvicinis ultra et citra mare consistentibus, et in eisdem in capitibus et in membris instituendi et destituendi, plenarieque in spiritualibus et temporalibus providendi, quamprimum eidem possibile fuerit, assumere et exercere dignetur, in plenaria Capituli generalis et totius Ordinis qua fungitur potestate, quod ipse cum Dei et Ordinis adiutorio se facturum promisit. Quocirca omnibus et singulis dictorum monasteriorum abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis, ceterisque tam dictorum monasteriorum quam collegiorum et aliorum locorum regularium regimini praesidentibus, aliisque Ordinis personis regularibus in dictis regnis et dominiis commorantibus, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis districte mandat et praecipit idem Capitulum, quatinus praefato Rmo patri et domino in praemissis, eorum dependentibus et connexis, humiliter obediant et devote pareant. Datum, *etc.*

1511

A) Nomina monasteriorum quorum abbates interfuerunt Capitulo generali anno Domini 1511.

De choro abbatis: De Cistercio, s. th. pr., de Morimundo, de Strata, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Eleemosina Cistercii, de Bellavalle, de Elnis, de Ioyaco, de Caritate, de Theoloco, de Bullencuria, de Miratorio, de Regalimonte, de Quinciaco, de Bitania, de Lococrescenti, de Ripatorio, de Clarofonte, de Roseriis, de Valle dulci, de Lesiniis. — *De choro prioris* : de Claravalle, de Frigidomonte, s. th. pr., de Bullione, s. th. pr., de Fonteneto, de Igniaco, de Rigniaco, de Signiaco, de Sancto Andrea, de Valle clara, de Boheriis, de Recluso, de Moris, de Aceyo, de Marcilliaco, de Monasteriis, de Belloloco, de Rupe, de Castellione.

B) Ordinatio Capituli generalis anno Domini 1511.

DIFFINITORES : De **Cistercio**, s. th. pr., de Frigidomonte, s. th. pr., de Eleemosina Cistercii, de Regalimonte, de Rupe, monasteriorum abbates. — De Caroliloco, s. th. pr., loco domini **Firmitatis**, de Igniaco, de Elnis, de Boheriis, de Recluso, monasteriorum abbates. — De **Pontigniaco**, de Strata, s. th. pr., de Ioyaco, de Quinciaco, de Bullencuria, monasteriorum abbates. — De **Claravalle**, de Fonteneto, de Rigniaco, de Signiaco, de Monasteriis, monasteriorum abbates. — De **Morimundo**, de Bellavalle, de Theoloco, de Caritate, de Lococrescenti, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Bithania, de Clarofonte, de Marcilliaco, de Castellione, de Valledulci, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., monasteriorum abbates, prior et supprior Cistercii professi.

PROMOTOR CAUSARUM : Dominus provisor collegii, Parisiensis s. th. pr.

RECEPTOR EXCUSATIONUM : de Valle clara monasterii abbas.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Ripatorio monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Bullione, s. th. pr., de Miratorio, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Sancto Andrea, de Aceyo,

1511. *Fontes*: *L*[5]: A), B), 1-60 ; *M* : 12, 13 ; *P*[2] : 1, 7, 11, 12, 13, 18, 34, 35, 36.

monasteriorum abbates, et illi quos Rmus D. N. Cisterciensis voluerit deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Guillemus de Divione, Ioannes de Lingonis, Cistercii professi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo primo, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b] ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 6192 librarum, 4 solid. turon. pro resta computationum generalis Capituli anni 1510 ... *etc.*

7. Cum personae regulares divinis mancipatae ministeriis ceteris in exemplum sint positae, semperque debeat exterior earum habitus sic esse regulatus, ut nil in eo appareat quod offendere possit intuentes, maxime tamen regularium Ordinis personarum ad Cisterciense Capitulum generale venientium, ubi de morum reformatione tractatur, talis in habitibus Ordinis debet esse compositio, ut in eis nec Deus, nec homines offendantur. Eapropter generale Capitulum scandalosis et irregulatis habitibus quorumdam ad Cistercium et praesertim tempore generalis Capituli venientium providere cupiens, diffiniendo statuit caeremoniarum Ordinis censores et magistros futuris temporibus ordinatione officiariorum Capituli generalis fore nominandos, huncque titulum magistri caeremoniarum cum ceteris titulis officiariorum post confessorum titulum describendum. Qui caeremoniarum magistri,

---

[a] *Titulus apud L*[5]. [b] Sub Iulio 2°... : *P*[2].

omni dissimulatione postposita, excessivos et inordinatos religiosorum ad Cistercium et Capitulum generale venientium habitus indilate reforment. Et pro praesenti Capitulo, dominum Morimundi et de Caroliloco s. th. pr., monasteriorum abbates, necnon priorem et suppriorem Cistercii professos, dictarum caeremoniarum magistros creavit et instituit, in plenaria Ordinis potestate.

8. Auditis per generale Capitulum quorumdam monasteriorum abusibus, in quibus regularis Ordinis habitus per solos religiosos ipsius Ordinis solemniter et expresse professos gestari solitus, ante solemnem et expressam professionem in Ordine emitti solitam, a nonnullis deferri permittitur et dissimulatur in magnam et hactenus inauditam Ordinis deformationem, et antiquarum Ordinis observantiarum infractionem ; praesens generale Capitulum talibus obviare cupiens temerariis abusibus, omnibus et singulis Ordinis abbatibus et ceteris in eodem Ordini administrationem quampiam habentibus, ne hoc deinceps in aliqua Ordinis monasterio fieri permittant, prohibet in plenaria Ordinis potestate.

9. Conservationi, defensioni ac integritati iurium, privilegiorum, libertatum, statutorum, laudabilium consuetudinum et praeeminentiarum Ordinis, ac personarum eiusdem, pro posse, ut dignum est, favere, ac contra earumdem infractores et invasores possibiles resistentias et defensiones adhibere cupiens generale Capitulum, omnes et singulos, generales et particulares Ordinis procuratores hactenus in omnibus Parlamentorum aliarumque iurisdictionum curiis institutos et nominatos ac nominandos, iterum nominat, instituit, creat et continuat cum facultate ceterisque universis in talibus necessariis, cum plenaria Ordinis potestate.

10. Diffinitionem super commissione Rmo D. et dominis primis, pro debita contributionum proportione a tribus annis factam et ultimo Capitulo generali innovatam ac confirmatam, iterum praesens generale Capitulum in suo robore renovat, continuat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

11. Ecclesiasticam et christianorum principum pacem praesens generale Capitulum desiderans, diffiniendo statuit, ut in omnibus et singulis utriusque sexus Ordinis monasteriis, per claustrum a conventu solemnis processio qualibet [c] die dominica fiat,

[c] generalis : P^2.

responsorium : *Tua est potentia,* vel *Aspice, Domine,* aut aliud conveniens cum collectis pertinentibus decantando, donec felicia peroptatae pacis nuntia communi rumore ad ipsa monasteria deferantur, in plenaria Ordinis potestate.

12. Praesens generale Capitulum communibus Ordinis privilegiis et diffinitionibus suis iam dudum iteratis et repetitis in hac parte firmiter inhaerendo, omnibus et singulis personis Ordinis regularibus, ne professionem aliquibus commendatariis faciant, aut in spiritualibus eisdem obediant, sub poenis et censuris Ordinis diffiniendo prohibet, quodque patres abbates et Ordinis visitatores in eos, quos tales fecisse professiones invenerint, poenas et censuras Ordinis iam super hiis latas exsequantur, districte mandat et praecipit, in plenaria Ordinis potestate.

13. Scandalosos quorumdam Ordinis fratrum [d] discursus et pernitiosas evagandi occasiones praesens generale Capitulum extirpari [e] desiderans, omnibus et singulis Ordinis abbatibus districte prohibet, ne suos religiosos ad villas et oppida, praetextu ibidem pro defunctorum exequiis aut anniversariis, seu quorumcumque publicorum conventuum [f] solemniis, missis celebrandis, transire permittant, nisi forsan tam graves aut solemnes essent personae, pro quibus abbates ipsi id merito denegare non possent ; super quo patres abbates aut eorum commissarii in suis visitationibus se diligenter informent, et quos tam abbates quam monachos secus egisse compererint, pro suae transgressionis exigentia, corripiant in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

14. Visa per generale Capitulum supplicatione pro parte abbatis et conventus monasterii B. M. de Prulliaco eidem oblata, idem generale Capitulum attentis causis et rationibus in ipsa supplicatione contentis, videlicet unionem loci de Monte Sanctae Mariae iuxta Provinum, quondam monasterii monialium, dicto monasterio de Prulliaco alias per generale Capitulum factam, praesens generale Capitulum monitionem per fratrem Nicolaum Brimel, contributionum Ordinis sub commissione domini Claraevallis receptorem, contra fratrem Stephanum de Paris dicti

---

[d] patrum : *MP*². [e] extirpare : *MP*². [h] conventuum missas celebrandi : *MP*².

loci de Monte gubernatorem factam, revocat et annullat ; eumdem fratrem Stephanum et eius successores, qui pro tempore fuerint ipsius loci de Monte gubernatores a solutione contributionum ipsi loco impositarum absolvendo, proviso tamen quod ipsum monasterium de Prulliaco, cui dictus locus de Monte membrum eiusdem unitum extitit, summam duarum libr. turon. ultra summam suarum contributionum eidem ante datam praesentium impositarum singulis annis persolvet et non alias, in plenaria Ordinis potestate.

15. De Caroliloco, s. th. pr., et Regalimonte monasteriorum abbatibus ac provisori collegii Sancti Bernardi Parisiensis, etiam s. th. pr., et duobus eorum in solidum, generale Capitulum committit, ut diffinitionem praesentibus annexam, quotiescumque per dominum de Boheriis, in praedicta diffinitione mentionatum, requisiti fuerint, secundum sui formam et tenorem, respectum tamen habendo ad sufficientiam monasterii et personarum eius decentem provisionem, exsequantur, in plenaria Ordinis potestate.

16. Nos, fratres Nicolaus de Bullione, et Aymo de Miratorio monasteriorum abbates, certificamus quod, cum materia arresti contra sororem Mariam Le Cerf per R. in Christo P. D. Robertum, monasterii de Caroliloco abbatem, s. th. pr., et generalem Ordinis procuratorem Parisiis, obtenti, in diffinitorio proposito fuisset, Rmus D. N. Cistercii, ceterique domini Diffinitores huiusmodi arrestum et cetera arresta in registris Parisiensibus contenta omnia ipsius Ordinis iura et privilegia concernentia ad perpetuam rei memoriam conservare volentes, eidem reverendo de Caroliloco abbati ordinaverunt et iniunxerunt ut supradicta arresta ab ipsis registris omnibus Ordinis expensis extrahi et extracta duplicari procuret, et faciat in archivis Cistercii et collegii Sancti Bernardi reponenda.

17. Ferventi studii continuandi proposito fratris Iacobi Gabriaci, presbyteri religiosi monasterii B. M. Vallis magnae, in dioecesi Agathensi, expresse professi, praesens generale Capitulum favorabiliter condescendens, eidem ut in altero collegiorum Sancti Bernardi Parisiensis vel Tholosanae Universitatis, cursum theologicum prosequi et continuare, et in ipsa sacrae theologiae facultate gradus assumere possit et valeat, benigne concedit, R. D. Franciscum de Leozeria Sacrosanctae Sedis Apostolicae protonotarium eiusdem monasterii commendatarium et administratorem, ut dicto fratri, ipsius monasterii filio et alumno, de suffi-

cienti suarum ad ipsum studium necessitatum provisionem diligenter provideat, in Christi visceribus exhortando et monendo, in plenaria Ordinis potestate.

18. Praesens generale Capitulum studentium multitudinem in Ordinis collegiis, et maxime in collegio Sancti Bernardi Parisiensis semper desiderans, eisque de necessariis provisionibus debite providere cupiens, abbati de Sancto Benedicto in Vepria, qui honestum sui monasterii religiosum professum ad ipsum Sancti Bernardi collegium promisit transmittere, ut dicto suo religioso de necessariis congruentibus providere possit et valeat, contributionem annuam duodecim libr. turon. per abbatem et conventum monasterii de Alta sylva, in Tullensi dioecesi, eidem scolari de Sancto Benedicto transmittendum, et quamdiu ibidem actu studuerit, singulis annis sub censuris Ordinis persolvendam usque ad aliam Rmi D. Cisterciensis vel Capituli generalis dispositionem creat et assignat. Praesentis diffinitionis executionem universis Ordinis personis regularibus committendo, in plenaria Ordinis potestate.

19. Quia ad praesentis generalis Capituli audientiam per venerabilem et discretum virum dominum Guillermum Ryot, presbyterum canonicum praebendatum sanctae capellae ducum Burgundiae, et honestum virum Ioannem Valtier ad hoc specialia mandata habentes, deductum est, quamdam honestam concordiam inter illustrem et devotam dominam, dominam Catherinam de S. Belin, dominam de Fuxi, et sororem Franciscam de La Fert, quondam abbatissam monasterii B. M. de Benedicta valle, Ordinis nostri Cisterciensis, in dioecesi Tullensi, sub Capituli generalis beneplacito intervenisse, qua videlicet concordia seu tractatu inter cetera dictus dominus Ryot, procurator specialis et nomine procuratorio de eius mandato speciali quoad hoc, praesenti Capitulo generali legitime constitit, abolitioni et extinctioni totali pensionis annuae decem libr. turon. alias per generale Capitulum eidem sorori Franciscae de La Fert super fructibus dicti monasterii assignatorum consensit, seque de complemento omnium a dicto Ioanne Valtier nomine quo supra concordatorum habuisse et effectualiter recepisse confessus est, idem praesens generale Capitulum praefatae illustris et magnificae dominae devotum ad ipsum monasterium Benedictae vallis attendens affectum, ipsamque dicti monasterii restauratricem collaudans suis in hac parte precibus acquiescendo, dictam pensionem decem libr. turon.

ex nunc de consensu quo supra penitus cassat, extinguit et revocat, ipsam concordiam ratificando, approbando et confirmando, in plenaria Ordinis potestate.

20. Cognita legitimis informationibus et testimoniis fide dignis per Capitulum generale contumacia fratris Aegidii, monasterii de Longoponte professi, in vitiosa sua conversatione perseverantia praesens generale Capitulum ipsum ad regularem disciplinam in praesenti Capitulo Cistercii coram omnibus recipiendam, necnon ad carceres Cistercii usque ad aliam Capituli generalis vel Rmi dispositionem, condemnat ; quodque de carceribus exeundo recta via ad monasterium de Salem, infra terminum tunc eidem in suo viatico praefigendum, se transferat, ibidem in vestitu expensis dicti monasterii de Longoponte per Ordinis diffinitiones taxatis providendus et retinendus ; quibus de Longoponte et de Salem monasteriorum abbatibus hoc adimplere praecipitur ; eidemque fratri ne deinceps monasterium Longipontis et Reclusi per 20 leucas appropinquet sub poena perpetui carceris inhibendo, et ut dicto abbati de Salem tamquam proprio abbati obediat sub inobedientiae poena praecipiendo, in plenaria Ordinis potestate.

21. Viso per generale Capitulum processu per abbatem Boniportus, s. th. pr., contra fratrem Thomam Guerin, religiosum monasterii de Barbereyo professum, facto, praesens generale Capitulum sententiam per ipsum de Bonoportu in huiusmodi processu latam approbat et confirmat, abbati de Fulcardimonte ut dictum religiosum retineat, et eidem de necessariis provideat, praecipiendo. Et ne propter hoc dictum monasterium de Fulcardimonte gravetur, abbati et conventui dicti monasterii de Barbereyo, ut super hoc cum eodem abbate de Fulcardimonte amicabiliter componat, aut denariorum summam in hoc casu ab Ordine taxatam ipsius monasterii de Fulcardimonte abbati singulis annis indilate persolvant et transmittant, iniungit et ordinat ; praesentis diffinitionis executionem omnibus et singulis Ordinis abbatibus super hoc requirendis, et eorum cuilibet committendo, in plenaria Ordinis potestate.

22. Auctoritate Capituli generalis inter sororem Franciscam de La Fert, quondam abbatissam monasterii B. M. de Benedicta valle, et sororem ... modernam dicti monasterii abbatissam, tractatus initus est, quod procurator specialis ipsius sororis Franciscae consentit extinctioni pensionis annuae centum libr. par Capitulum generale sibi assignatarum, mediante certa honesta con-

cordia inter dictarum partium procuratores speciales inita, de cuius adimpletione procurator specialis ipsius sororis Franciscae expresse in dicto diffinitorio contentum et sibi satisfactum fuisse affirmavit.

23. Praesens generale Capitulum visis informationibus per fratres Petrum Cartaud et Ioannem de Perrat, religiosos monasterii B. M. de Bonoloco, in Lemovicensi dioecesi, expresse professos, ad ipsum generale Capitulum delatis, necnon audita relatione commissarii per idem Capitulum generale ad dictas informationes et praefatos religiosos super eorum supplicationibus examinandis deputati, praefatum Capitulum primo praedictos fratres, necnon fratrem Ludovicum Dayen eiusdem monasterii religiosum professum, absentem, a sententia excommunicationis, quam occasione sanguinis effusi ratione violentae manus iniectionis iniuriam repellendo, aut alias in eorum praesentia effusi, incurrere potuissent, absolvendos duxit, prout et eosdem fratres Cartaud et de Perrat tunc praesentes et hoc quidem humiliter requirentes, Rmus D. Cisterciensis a dicta excommunicationis sententia, si quam incurrissent, eiusdem Capituli generalis auctoritate absolvit, eisdem poenitentiam salutarem iniungendo. Et insuper idem generale Capitulum fratri Dionisio Coing, eiusdem monasterii priori ut praefatum fratrem Ludovicum Dayen a simili sententia excommunicationis, quam praemissorum occasione incurrit vel incurrere potuit, absolvit, et ut per se vel alios idoneos Ordinis confessores per eum deputandos, super quo conscientiam eius coram Deo idem Capitulum onerat, omnes et singulos ipsius monasterii regulares personas et omnibus casibus etiam Capitulo generali reservatis pro una vice dumtaxat absolvere, et ut ipse ab altero dictorum confessorum absolvi possit et valeat. Necnon ipsum fratrem Petrum Cartaud in officium procuratoris dicti monasterii primo per dominum Claraevallis, et deinde per dominum Pontigniaci, eiusdem monasterii patrem abbatem, constitutum, et postea illicito modo per dominum de Sancto Avito revocatum, ad ipsum procuratoris officium, nisi forsan aliud legitimum obstet impedimentum, restituat,saepedictisque fratribus de vita et vestitu provideri ac cameras, hortos et cetera mobilia, quae prius eisdem ad usum concessa fuerant, restitui. Et insuper diffinitiones Capituli generalis super monasterii Ordinis commendatis editas, ab omnibus et singulis ipsius monasterii religiosis integraliter, sub poenis et censuris Ordinis, observari faciat. Contradictores

vero Ordini subditos, ad certum diem coram Rmo D. Cisterciensi suae contradictionis causas dicturos citet seu citari faciat, facultatem, auctoritatem et mandatum speciale concedit, in plenaria Ordinis potestate.

24. Supplicationem pro parte abbatis monasterii de Septem fontibus [g] super una contributione et unius media parte per modum subsidii pro consummatione aedificii collegii Sancti Bernardi Oxoniensis super Angliae monasteriis imponenda, praesens generale Capitulum diligenter examinans, iustis rationabilibusque de causis idipsum Capitulum moventibus dictum unius contributionis et mediae partis subsidium ab ipsis Angliae monasteriorum abbatibus per modum rigoris exigi non debere censuit et diffinit, felicem tamen ipsius collegii consummationem idem Capitulum vehementer desiderans, eidem abbati de Septem fontibus, ut litteras cohortatorias ad singulas illarum partium abbates quibus ut ad ipsum collegium consummandum manus porrigant adiutrices moneantur, ita tamen ut ad proximum generale Capitulum super hiis rationem referat, quemadmodum pro solemni collegio Sancti Bernardi Parisiensis, cessantibus omnibus rigoribus factum esse didicit, concedit et permittit, in plenaria Ordinis potestate.

25. Visa supplicatione pro parte fratris Claudii Mareschal, alias Laubespin, religiosi monasterii de Miratorio, in Lugdunensi dioecesi, expresse professi, praesenti Capitulo generali porrecta, consideratisque causis ex quibus dictus frater de Ordine Cisterciensi in quo professus est, ad Ordinem S. Benedicti in monasterio Sancti Petri iuxta Cabillonem, vel alio ipsius Ordinis monasterio, in quo benevolum receptorem invenerit, secum dispensari humiliter petiit, attentisque generosi magnificique domini Claudii de Vauldrey, domini de Laigle, militis strenuissimi, precibus suis super hoc litteris ad Rmum D. transmissis, necnon abbatis de Miratorio, cui professionem fecerat ipse frater Claudius, interveniente consensu, idem generale Capitulum eiusdem fratris saluti et commoditati consulens cum eo, ut de dicto Ordine Cisterciensi ad Ordinem S. Benedicti se transferre possit et valeat, ita tamen ut praefatum abbatem de Miratorio infra mensem post professionem in aliquo Ordinis S. Benedicti monasterio per eum factam, certificet, misericorditer et de gratia speciali dispensat, in plenaria Ordinis potestate.

---

[g] *Leg. fors.*: **de Fontibus in Anglia.**

26. Praesens generale Capitulum quarumcumque discordiarum seu litigiorum fomenta et occasiones futuris temporibus auferre, ac quieti et tranquillitati omnium et singularum Ordinis personarum consulere summopere desiderans, omnibus et singulis abbatibus et abbatissis, necnon dominis commendatariis, eorum officiariis, et quibuscumque in Ordine administrationem aliquam habentibus, sub poenis et censuris Ordinis districte mandat et praecipit, ne apud se quascumque Ordinis obligationes ratione mutui per eos ipsi Ordini ad onera et necessitates eiusdem sublevandas facti, quarum quidem obligationum pecuniae per relaxationem et deductionem contributionum suis monasteriis impositarum persolutae et defalcatae sunt, tenere audeant, quinimo suarum contributionum receptoribus ab Ordine deputatis tradere non omittant, ab ipsis auctoritate ipsius Capituli quittantias quas ex nunc ipsum generale Capitulum confirmat, de contributionibus secundum quottam in ipsis obligationibus contentam recipiendo ; aut si dictorum receptorum quittantiae non sufficiant, easdem obligationes ad proximum generale Capitulum deferant, aut transmittant, ab ipso generali Capitulo alias quittantias recepturi, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

27. Universis regularibus personis Ordinis praesens generale Capitulum pro suarum necessitatum exigentia providere cupiens, audita querimonia abbatis et conventus B. M. de Pietate prope Romerum, ratione fratris ... eiusdem monasterii expresse professi, qui, ut fertur, lepram incurrit, et eam ob causam ab omnibus non solum suspectus habetur, sed etiam abiicitur, non sine abbatis et religiosorum dicti monasterii gravi et loci molesta controversia, abbati de Recluso committit, ut de dicti fratris contagiosa aegritudine se diligenter informet, cogatque eumdem fratrem ad purgationis vel condemnationis sententiam subeundam. Ipsumque purgatum vel separandum esse secundum peritorum in hac re et fide dignorum relationem et consilium iudicet et ordinet, dictoque fratri provideat, ac pietatis zelo provideri faciat prout compererit esse agendum, iuxta morem Ordinis consuetum, in plenaria Ordinis potestate.

28. De Monasteriis et de Cheminione monasteriorum, Catalaunensis diocesis, abbatibus coniunctim committit praesens generale

Capitulum, quatinus de et super tractatu nuper inter abbatem et conventum de Tribus fontibus ex una, et virum nobilem et scientificum magistrum Petrum de Thuyssy, regis consiliarium ac ballivi Vitriaci locum tenentem generalem, eiusque consortem partibus ex altera, super concessione, cessione ac dimissione suae domus de Richefort Catalauni inter cruces tinctorum et Sancti Petri sitae, plurimum caducae, collapsae et destructae, ac pertinentiarum eius, in emphiteosim perpetuam, annectumque censum 100 solid. turon. eisdem Thuyssy et suae consorti traditae cum onere urgentium ac pernecessariarum reparationum ad summam 1000 libr., ut fertur, ascendentium, aliisquè conditionibus interiectis, passato et concluso, prout in litteris dictorum abbatis et conventus desuper, sub eorum sigillis confectis, praesentique diffinitioni affixis plenius continetur, fideliter, provide ac diligenter se informent. Et si discussione ac inquisitione diligenti praevia eumdem tractatum rite et canonice, ac etiam secundum nostri Ordinis indulta fuisse celebratum, ipsi monasterio utilem et fructuosum compererint, plenam exinde et fidelem faciant sub eorum sigillis relationem in proximo subsequenti generali Capitulo, ut videatur, si rite ac debite circa praemissa processerint, et tandem visis omnibus per ipsum Capitulum, ad ipsius tractatus confirmationem aut infirmationem procedatur, prout aequitas suadebit, iurisque fuerit et rationis.

29. Generale Capitulum de domini Claraevallis circa monasteriorum visitationem et reformationem solerti fructuosaque diligentia fide digno multorum relatu sufficienter informatum, eidem domino Claraevallis, tum in actu visitationis vel in ipsis monasteriis sibi sine medio subiectis, vices et plenariam Ordinis auctoritatem confert et committit, omnibus et singulis utriusque sexus monasteriis et eorum personis eidem domino Claraevallis sine medio subiectis pro anno a data praesentium computando, iuxta suae discretionis arbitrium, de cuius rectitudine plene confidit, per ipsum exercendas, in plenaria Ordinis potestate.

30. Cognita fideli domini abbatis Claraevallis diligentia in visitandis et reformandis in hiis duobus annis praecedentibus utriusque sexus Ordinis monasteriis in commissione sua contentis, praesens generale Capitulum de eiusdem domini Claraevallis probatissima legalitate et constanti perseverantia ad plenum in Domino confidens, generalem omnium et singulorum utriusque sexus Ordinis monasteriorum et quorumcumque regularium Ordi-

nis locorum in regnis et dominiis Hispaniarum et partibus adiacentibus consistentium visitationem et reformationem, cum clausulis ad hoc necessariis in commissione super his per Rmum D. N. expedienda ponendis, committit in plenaria Ordinis potestate.

31. Quia dominus de Morimundo, ad visitationem et reformationem generalem partium Germaniae superioribus annis commissus, ipsam visitationem perficere non potuit, ideo praesens generale Capitulum eamdem commissionem suam secundum sui formam et tenorem usque ad triennium a data praesentis diffinitionis computandum, confirmat et continuat, in plenaria Ordinis potestate.

32. Visa humili supplicatione abbatis et conventus monasterii B. M. de Neubotll, regni Scotiae, praesenti Capitulo generali porrecta, abbatibus de Melros, de Cupro et de Deer, et duobus eorum coniunctim, idem generale Capitulum committit, quatinus dictum monasterium de Neubotll, terras, pascua et parva dominia eidem monasterio pertinentia, sterilia, infertilia, et eidem minus utilia habeat, se diligenter informent ; et si sic esse cognoverint, eidem abbati et conventui Neubotll dictas terras, pascua et parva dominia in emphiteosim seu per modum infeudationis, more patriae, prout melius expedire cognoverint, dandi seu dimittendi facultatem et auctoritatem concedant, in plenaria Ordinis potestate.

33. Quia fide digno Rmi D. Cisterciensis relatu praesens generale Capitulum commissiones ad visitandum et reformandum, necnon Ordinis contributiones recipiendum, in inclyto Angliae regno, principatu Walliae et partibus adiacentibus, expirasse, et propter hoc renovandas esse cognovit ; idcirco eidem Rmo D. qui ditas commissiones prius expedierat, quatinus omnes et singulas generales Ordinis in partibus illis commissiones, tam ad visitandum et reformandum, quam etiam contributiones et earum ac subsidiorum quorumcumque arreragia exigendum et recipiendum, Capituli generalis qua fungitur auctoritate, cum clausulis necessariis et opportunis eisdem commissionibus per eum prout expedire cognoverit, apponendis idem generale Capitulum reverenter committit in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

34. Electionem, promotionem et installationem de persona

fratris Philippi de Sancta Maria ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Savigniaco, in Abrincensi dioecesi, via scrutinii per dicti loci priorem et conventum et abbatem de Sancto Andrea, domini Claraevallis, patris abbatis immediati eiusdem monasterii, commissarium, eidem electioni personaliter praesidentem, unanimiter et concorditer secundumque nostri Ordinis instituta, rite et canonice factam et celebratam, et per eumdem de Sancto Andrea in vim suae commissionis confirmatam, prout in litteris, *etc.* supplendo, *etc.*

35. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Iudoci Nacher [h] ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Salem, in Constantiensi dioecesi, via compromissi per dicti loci priorem et conventum, secundum nostri Ordinis instituta, rite et canonice factam et celebratam, ac per abbatem de Lucella eiusdem monasterii de Salem patrem abbatem immediatum confirmatam, *etc.* supplendo, *etc.*

36. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Leonis de Chappeio ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Castellione, in dioecesi Verdunensi, via Spiritus Sancti, per dicti monasterii priorem et conventum, secundum Ordinis nostri statuta rite et canonice factam et celebratam, ac per abbatem monasterii de Tribus fontibus, eiusdem monasterii patrem abbatem immediatum, in eadem electione personaliter praesidentem, confirmatam, *etc.* supplendo, *etc.*

37. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Victoris Thyru ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Ripatorio, in dioecesi Trecensi, via Spiritus Sancti, per dicti loci priorem et conventum, secundum nostri Ordinis instituta, rite et canonice factam et celebratam, ac per vicarios domini abbatis Claraevallis ad hoc potestatem habentes confirmatam, *etc.* supplendo, *etc.*

38. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Petri de Sepia, in s. th. bacc. form., ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Bullencuria, via compromissi per dicti loci conventum et dominum abbatem Claraevallis, eiusdem monasterii patrem abbatem, ipsi electioni personaliter praesidentem, unanimiter et concorditer, secundum nostri Ordinis instituta, rite et canonice, *etc.* supplendo, *etc.*

---

[h] Jonderi Nachet : P^2.

39. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Ioannis Fabri ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Lankheym, in dioecesi Bambergensi, via scrutinii, per dicti monasterii priorem et conventum, secundum Ordinis nostri statuta, rite et canonice factam et celebratam, ac per abbatem monasterii de Ebraco, eiusdem monasterii patrem abbatem, confirmatam, *etc.* supplendo, *etc.*

40. Electionem, promotionem et installationem de persona fratris Antonii Bioger [1], ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Varennis, in dioecesi Bituricensi, via Spiritus Sancti, per dicti loci priorem et conventum ac per abbatem de Pratea, abbatis de Valle lucenti eiusdem monasterii de Varennis patris abbatis immediati in eadem electione personaliter praesidentem, unanimiter et concorditer, secundum nostri Ordinis instituta, rite et canonice factam et celebratam, *etc.* supplendo *etc.*

41. Electionem, promotionem et installationem de persona sororis Ahelidis ad monasterium B.M. de Veteri vineto, in dioecesi... [Leodiensi], secundum sui formam et tenorem, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

42. Pensionis ac provisionis assignationem fratri Ioanni de Genduno super abbati de Bullencuria, nostri Cisterciensis Ordinis, in dioecesi Trecensi, admissa utriusque sui regiminis resignatione spontanea, per dominum abbatem Claraevallis, eiusdem loci patrem abbatem immediatum, tamquam benemerito, interveniente sui successoris abbatis totiusque conventus Bullencuriae unanimi consensu, factam, ac in litteris desuper sub praedictorum domini Claraevallis, moderni abbatis et conventus dicti loci sigillis confectis, praesentique diffinitioni alligatis plenius declaratam, praesens generale Capitulum in omnibus suis clausulis et partibus approbat et confirmat, moderno dicti loci de Bullencuria abbati, omnibusque eiusdem religiosis praesentibus et futuris districte ac firmiter iniungendo, quatinus praefatum seniorem abbatem de huiusmodi pensione, gratiis ac libertatibus eidem concessis, in ipsisque litteris seriose contentis, pacifice et integra-

[1] Beruger, *iuxta Gall. christ.* II, 212.

liter uti et gaudere faciant et permittant ; praesentis diffinitionis executionem primo Ordinis abbati super hoc requirendo committendo, in plenaria Ordinis potestate.

43. Similiter pensio fratris Habillonis senioris abbatis monasterii de Castellione, per abbatem de Tribus fontibus assignata, secundum sui formam et tenorem approbatur, ratificatur et confirmatur, in plenaria Ordinis potestate.

44. Pensionis ac provisionis assignationem sorori Beatrici, nuper abbatissae de Veteri vineto, nostri Cisterciensis Ordinis, in Leodiensi dioecesi, admissa utriusque sui regiminis resignatione spontanea, per dominum Gerardum abbatem de Alna, commissarium R. in Christo patris domini Edmundi abbatis Claraevallensis, eiusdem loci patris abbatis immediati, tamquam benemeritae, *etc. ut supra nº* 42.

45. Visis et diligenter examinatis duobus tractatibus inter abbatem et conventum B. M. de Curia Dei, Cisterciensis Ordinis, in dioecesi Aurelianensi, et honorabilem, scientificum et egregium virum magistrum Iacobum Lefuzelin, in legibus licentiatum advocatum et consiliarium Aurelianis commorantem ; primo videlicet super venditione et alienatione perpetua redditus annui 30 libr. turon., et secundo, tractatu etiam super venditione et alienatione perpetua 10 libr. turon. per fratrem Gilbertum de Platea eiusdem monasterii novissimum abbatem acquisitorum, et audita Rmi D. N. Cisterciensis super ipsorum tractatuum debita informatione facta per eum, cum actualiter dictum monasterium de Curia Dei eidem immediate subiectum visitaret, attentaque ipsius venditionis causa, qua moderni abbas et conventus ipsius monasterii in ipsam venditionem faciendam moti sunt, necnon cognita summae pecuniarum inde receptarum in evidentem ipsius monasterii utilitatem et suorum debitorum liberationem conversione, praesens generale Capitulum dictos suos tractatus et eorum quemlibet, quibus praesens diffinitio annectitur, secundum sui formam et tenorem approbat, ratificat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

46. Abbati de Bullione, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, ut sententiam arbitrariam, cui praesens diffinitio annectitur, super discordiis et controversiis inter abbatem et conventum B. M. de Aceyo nostri Ordinis ex una parte, et nobilem ac magnificum dominum Hugonem de Rya, dominum de Balençon et de Cortondroy ex altera, per nonnullos arbitros a partibus

ipsis amicabiliter electos latam, visitet et examinet; et si eamdem sententiam pro bono pacis et concordiae dicti monasterii latam fuisse cognoverit, ipsam secundum sui formam et tenorem approbet, ratificet et confirmet, in plenaria Ordinis potestate.

47. Abbatibus de Landezio et de Pratea committit generale Capitulum, quatinus super materia inter abbatem de Varennis et partem adversam agitata se informent, et si tractatus istos monasterio nocivos invenerint aut iniustos, abbatem et conventum, praesupposito relevamento regio a iuramento et fide per eos in eisdem praestito, relevent, et cum eis dispensent ; et quoad religiosum cui, ut fertur, data est ad firmam aut alias indebite una grangia seu membrum monasterii, ipsi commissarii se informent, et si rem iniustam compererint cassent penitus et annullent, in plenaria Ordinis potestate.

48. De Bullione, s. th. pr., de Aceyo et de Roseriis monasteriorum abbatibus, et duobus eorum coniunctim, praesens generale Capitulum committit, quatinus de et super tractatu nuper inter abbatem et conventum monasterii de Miratorio ex una, et Petrum Glannoys, Ioannem Laurentium et nonnullos alios inito et passato partibus ex altera, videlicet super cessione ac dimissione cuiusdam grangiae dicti monasterii appellatae et nuncupatae de Labergement ad certas vitas ipsorum retinentium, prout in litteris super eodem confectis, quibus praesens diffinitio annectitur plenius continetur, se diligenter informent, et si discussione ac inquisitione diligenti praevia eumdem tractatum rite et canonice, ac etiam secundum nostri Ordinis indulta fuisse celebratum, monasterio utilem et fructuosum compererint, ipsum tractatum confirment, in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

49. Visa humili supplicatione fratris Petri de Baliolo, religiosi de Dunis expresse professi, praesens generale Capitulum eidem clementer et benigne condescendens cum dicto fratre, qui a tempore suae professionis cum quodam nobili suo consanguineo laico discurrendo notabiliter per triennium apostatavit, etiam tunc se immiscens divinis irregularitatem contraxit, et per certum tempus habitu dimisso carnis contagium,puerperio inde subsecuto, se incidisse fatetur. Postea ad cor rediens, in dicto monasterio sibi iniunctam poenitentiam peregisse dicitur, absolutionemque

super dicta irregularitate de Summo Pontifice obtinuit. Denique rursus in carnis contagium cum moniali incidit, etiam prole subsecuta, detestandum sacrilegii vitium incurrendo, super quo gratiam Ordinis lacrimabilibus oculis suppliciter requirens, idem generale Capitulum, ut non obstante dicto sacrilegii vitio, ad omnes Ordinis actus, voces, gradus et officia promoveri possit et valeat, dum tamen consensus abbatis de Dunis, cuius se professum esse dictus frater asserit, ad hoc intervenerit, et non alias, misericorditer et gratiose dispensat, in plenaria Ordinis potestate. Datum in dicto diffinitorio nostro Cisterciensi sub appensione sigilli Diffinitorum, anno, mense et die praedictis.

50. Licet dudum suadente humani generis inimico ac iuvenilis aetatis impellentis lascivia, soror Guillemetta Vay, abbatiae de Monasteriolo professa, in carnis contagio corruerit, puerperio subsecuto; quia tamen poenitentiam sibi propter hoc ab Ordine iniunctam humiliter et devote peregit, ac deinde laudabiliter vixit, prout humili abbatissae dicti monasterii de Monasteriolo supplicatione praesenti Capitulo generali constitit. Eapropter idem generale Capitulum praefatam sororem Guillemettam ab omni inhabilitatis et infamiae macula, quam ratione praemissorum incurrit, benigniter relevat, et ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, etiam dignitate abbatiali inclusa, promoveri possit et valeat, misericorditer dispensat, in plenaria Ordinis potestate.

51. Humili supplicationi abbatis monasterii Bellibecci, in Rothomagensi dioecesi, pro parte fratris Ioannis Ausoult, monasterii B. M. de Bellobecco religiosi expresse professi, praesens generale Capitulum clementer et benigne condescendens, cum dicto fratre, qui a tempore suae professionis citra et ultra montes discurrendo notabiliter, etiam regulari Ordinis habitu dimisso, apostatavit, et propter hoc ad solemnes ipsius Ordinis actus inhabilitatem incurrit, ut non obstante sua apostasia, ad omnes ipsius Ordinis actus, gradus, officia, voces et dignitates, etiam abbatiali dignitate comprehensa, promoveri possit et valeat, cum hoc de consensu abbatis sui dicti monasterii de Bellobecco et ad eius instantiam processerit, misericorditer et gratiose dispensat, in plenaria Ordinis potestate.

52. Licet frater Ioannes de Womopont, monasterii de Aureavalle professus, dudum formidine poenae per eum subeundae ratione percussionis et mutilationis cuiusdam clerici ipsius monasterii se-

verius premente, ab eodem monasterio ad saeculum habitu regulari derelicto aufugerit et per triduum apostataverit, quia tamen corde compunctus protinus ad ipsum monasterium rediit et impositam sibi propter hoc poenitentiam devote peregit, praesens generale Capitulum ad instantiam abbatis sui praefatum fratrem Ioannem ab omni inhabilitatis et infamiae nota per eum praemissorum occasione contracta benigne relevat, concedens ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos promoveri valeat et assumi.

53. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Miratorio praesens generale Capitulum misericorditer cum fratre Antonio de Sancto Iudoco, dicti monasterii expresse professo, in sacro sacerdotali ordine constituto, dispensat ab inhabilitate quam incurrit, a praedicto monasterio absque suorum superiorum licentia pluries recedendo, et per saeculum vagabundus, habitu tamen minime dimisso, furto quoque evidenter et malitiose de monasterio gravi commisso, necnon carnis contagio repetitis vicibus perpetrato, puerperio semel dumtaxat inde subsecuto ; et maxime quia dicti abbatis sui relatu iniunctam sibi poenitentiam humiliter ac sponte peregit, ut praemissis non obstantibus ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos, gradus, voces et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, si id in posterum promeruerit, et suorum intervenerit assensus superiorum, promoveri valeat et assumi, misericorditer et gratiose dispensat, omnibus et singulis dicti monasterii regularibus personis districte praecipiens, ne super huiusmodi infamiae nota eidem fratri insultent vel improperent.

54. Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de nullitate cuiusdam asserti tractatus inter modernum abbatem monasterii de Fonteneto, et certos alios eiusdem monasterii religiosos in dicto tractatu nominatos ex una, et scabinos ac burgenses Montisbarri ex altera, super materia limitum finagii villagiorum Sancti Remigii et Blasen eidem monasterio pertinentium, ut dicitur, habiti et concordati, idem generale Capitulum nolens, ut contra papalia et Ordinis instituta super rebus immobilibus et iuribus ipsius monasterii sine solemnitate debita, tractetur, eiusdem monasterii abbati et conventui districte sub poenis et censuris Ordinis praecipit, ut dictum praetensum tractatum omnibus iustitiae viis, ne locum habeat, impugnent et repellant, ac etiam per litteras regias, si opus sit, rescindi seu revocari et annul-

ari faciant ; et ne praetextu cuiusdam iuramenti, quod in tam damnoso concordiae tractatu intervenisse, et per dictum abbatem modernum et religiosos ibidem nominatos praestitum fuisse diceretur, ab huiusmodi prosecutione repelli possent, praefatum generale Capitulum eosdem abbatem et fratres a tali iuramento, quatinus opus esset, relevat et super illo cum eis omnino dispensat, in plenaria Ordinis potestate.

IUDICES

55. De Igniaco et Signiaco monasteriorum abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus super quibusdam tractatibus per defunctum abbatem et conventum de Valle clara, cum diversis personis, initis et passatis, se diligenter informent, et quod contra papalia et Ordinis nostri statuta ad ipsius monasterii damnum et detrimentum factos esse compererint, ipsos cassent, revocent et annullent, eosdem abbatem et conventum super iuramento in eisdem contractibus interveniente, quatinus opus esset, dispensando, in plenaria Ordinis potestate.

56. Viso per generale Capitulum supplicatione eidem pro parte abbatis et conventus monasterii B. M. iuxta Dublinum contra modernum abbatem de Bildwas in Anglia, porrecta, attentisque magnis et gravibus querelis in eadem supplicatione latius contentis, idem generale Capitulum omnem discordiae materiam inter personas Ordinis et membra diligenter amputare desiderans, gravatisque monasteriis et personis ad ipsum venientibus, de prompto iustitiae remedio providere cupiens, abbatibus monasteriorum de Mellifonte et Beatitudine, et eorum cuilibet in solidum, committit, quatinus quamprimum pro parte praefatorum abbatis et conventus de Dublino requisiti fuerint, seu eorum alter requisitus fuerit, ipsi, omni dilatione frivola postposita, vocatis vocandis, super contentis in dicta supplicatione, cui praesens diffinitio annectitur, se diligenter informent, et illicita gravamina, si quae cognoverint illata fuisse, quamprimum reparari faciant, necessariasque bonorum restituendorum provisiones adiudicent, ac de adiudicatis parti satisfieri faciant, partibus ipsis in omnibus earum querelis debitum iustitiae complementum fideliter ministrent, in plenaria Ordinis potestate. Sic signatum : frater Perret, abbas Bullionis.

CITATIONES CONTUMACES

57. Quia ad praesentis Capituli generalis audientiam deductum est, fratres Ioannem Schyeli et Ioannem Tavernern, religiosos monasterii B. M. Altaeripae, in Lausannensi dioecesi, expresse professos, reprobato ac in Ordine damnatissimo conspirationis vitio notatos esse, nonnulaque contra sacram regulam et Ordinis statuta, in dicti monasterii scandalum et suae tranquillitatis turbationem non modicam commisisse; idcirco idem generale Capitulum ad instantiam promotoris causarum Ordinis dictos fratres et eorum quemlibet ad diem vicesimam post executionem praesentium immediate sequentem, ipsa die executionis minime computata, citat apud Cistercium coram Rmo D. Cisterciensi vel eius vicario, eidem promotori super tunc per eum obiiciendis, quod iuris fuerit responsuros. Omnibus et singulis regularibus Ordinis personis in virtute salutaris obedientiae et sub censuris Ordinis praecipiendo, ceteros vero parochialium ecclesiarum dominos rectores, curatos, vicarios, capellanos et notarios publicos rogando, quatinus praesens mandatum citatorium quandocumque requisiti fuerint, secundum sui formam et tenorem exsequantur, in plenaria Ordinis potestate.

58. Quia fratres videlicet Martinus Gaillaud, Guillelmus Larchier, Ioannes Guédon et Petrus Souchet, monasterii B. M. de Misericordia Dei religiosi expresse professi, ad instantiam promotoris causarum ad praesens generale Capitulum citati fuerunt, in quo debite vocati et expectati minime comparuerunt, nec aliquem pro se miserunt; ideo praefatos fratres et religiosos dicti monasterii, praesens generale Capitulum contumaces et propter hoc excommunicatos declarat, proximo abbati et ceteris Ordini abbatibus sub censuris Ordinis iniungendo, ut si dictos fratres ad se divertere contigerit, eosdem carceribus monasterii de Misericordia Dei mancipent, et contumaces ac excommunicatos in suis monasteriis et aliis locis publicis diebus festivis denuntiari faciant; idque abbati Caroliloci, s. th. pr., eiusdem patri abbati immediato quantocius poterunt, significent; et nihilominus eidem abbati de Caroliloco committitur ut si quando dictos religiosos ad poenitentiae cor redire cognoverit, eosdem per se vel alios a se committendos absolvat, aut si eorum demerita exegerint, ipsos a dicto monasterio, etiam auctoritate Capituli generalis eliminet, et ad alia Ordinis monasteria, prout expedire perpen-

derit, transferat, ipsorum monasteriorum ad quae forsan dicti monachi mittentur, singulis abbatibus praecipiendo, ut dictos fratres sic translatos et dimissos ad eius mandatum recipiant, eisdem de necessariis provideant, praecipiendo, in plenaria Ordinis potestate.

59. Quia abbas monasterii de Kinlos in regno Scotiae ad praesens generale Capitulum citatus, debite vocatus et expectatus minime comparuit, nec aliquem pro se misit, ideo praesens generale Capitulum praefatum abbatem contumacem ac excommunicatum declarat, omnibus Ordinis regularibus personis praesen tis diffinitionis executionem committendo. — Ad marginem huius diffinitionis haec scripta sunt : Ista contumacia fuit reparata et purgata per duos procuratores, scilicet fratrem Thomam de Cistercio professum, et fratrem Georgium de Melros professum, de quorum procuratorio tempore Capituli generalis per eos habito constitit Rmo D. N., sed per eorum oblivionem tunc non comparuerunt, et ideo revocata est dicta contumacia. Ita est, etc.

SUFFRAGIA

60. Frater Iacobus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, magnifico et egregio domino magistro Ioanni Sapin, christianissimi Francorum regis consiliario, ac suo in Burgundia receptori, necnon honestae dominae Mariae eius devotae consorti, salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. — Quamvis lege divinae charitatis ad orandum pro omnibus generaliter obligemur, pro illis tamen multo singularius astringimur, qui nobis et Ordini nostro, necnon locis et personis regularibus pia humanitate affici dignoscuntur. Exigente igitur piae devotionis affectu, quem ad Ordinem nostrum et praesertim ad devotum sacrae matris nostrae Cisterciensis monasterium intelleximus vos habere, vobis supradictis concedimus et liberaliter impertimur communicationem plenissimam et omnimodam participationem omnium bonorum spiritualium, *etc. ut in formula consueta.*

1512

A) Nomina monasteriorum quorum abbates anno Domini 1512 tempore Rogationum apud Cistercium celebrato Capitulo generali interfuerunt.

De choro abbatis : De Cistercio, s. th. pr., de Pontigniaco, de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., de Stamedio, de Prulliaco, de Bellavalle, de Crista, de Bullencuria, de Sigilleriis, de Veteri campo, de Charitate, de Callovio, de Lococrescenti, de Albaripa, de Valle bona, de Roseriis, de Claroloco. — *De choro prioris* : de Firmitate, de Claravalle, de Savigniaco, de Frigidomonte, de Bullione, s. th. pr., de Sancto Andrea, de Longovado, de Valcellis, de Mellifonte, de Aceyo, de Hungaria de Sancto rege Stephano.

B) Ordinatio Capituli generalis anno Domini 1512.

DIFFINITORES : De **Cistercio**, s. th. pr., de Prulliaco, de Frigidomonte, s. th. pr., de Stamedio, s. th. pr., de Mellifonte, s. th. pr., monasteriorum abbates. — De **Firmitate**, de Bullencuria, de Loco crescenti, de Bellavalle, de Charitate, monasteriorum abbates. De Caroliloco, s. th. pr., loco domini **Pontigniaci**, de Sigilleriis, de Callovio, de Aceyo, de Vallebona, monasteriorum abbates. — De **Claravalle**, de Savigniaco, de Longovado, de Valcellis, de Sancto Andrea Bullione (*sic*), s. th. pr., monasteriorum abbates. De **Morimundo** de Roseriis, de Vetericampo, de Claroloco, de Crista monasteriorum abbates.

RECEPTOR EXCUSATIONUM : de Claroloco.

PROMOTOR CAUSARUM : dominus Ioannes de Burreyo, regens collegii Sancti Bernardi.

CONFESSORES : de Veteri campo, de Mellifonte monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Albaripa.

NOTARII ABBATES : de Bullione, s. th. pr., de Bullencuria, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Claravalle, de Morimundo monasteriorum abbates, prior et subprior Cistercii.

1512. *Fontes* : L^5 : A, B, 1-61 ; P^2 : 1, 7, 9, 42.

Auditores computationum : de Sancto Andrea, de Aceyo, et illi quos Rmus D. N. Cisterciensis voluerit deputare.

Receptores contributionum : frater Blasius de Cistercio, et alii quos Rmus D. voluerit deputare.

Notarii ad pedes : fratres Guillemus de Divione, Ioannes de Lingonis, professi Cistercii.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo secundo, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 7166 libr. 10 solid. 10 denar. pro resta computationum generalis Capituli anni Domini 1511 ... *etc.*

7. Ad tollendum quorumdam abbatum et aliarum Ordinis personarum novitatem contra antiqua et usitatissima Ordinis privilegia ac statuta, in nonnullis partibus introductam, qua nonnulli coram R. D. dioecesanorum officialibus actiones suas, tam in agendo quam in excipiendo, expetiri [c] et partes suas de Ordine coram eisdem conveniunt, seu ab eis vel ab aliis conveniri consueverunt. Praesens generale Capitulum huiusmodi processus in maximam amplissimarum conservatoriarum Ordinis diminutionem et exemptionis ac libertatum eiusdem Ordinis praeiudicium non modicum cessuros praevidens, omnibus et singulis abbatibus ac ceteris ipsius Ordinis personis sub poenis et censuris per generale Capitulum taxandis districte inhibet, ne deinceps

---

[a] *Titulus apud* L^5. [b] Sub Iulio 2°... *etc.* : P^2. [c] appetiri : P^2.

coram dictis officialibus litigent, seu quemquam de Ordine in eorum iudicium vocent, aut se a quibuscumque vocari permittant, aut qualibet eorum iurisdictione inter personas utantur, sed ad solum Ordinis iudicium aut ipsius conservatores in suis provinciis ordinatos pro materiis de quibus consuetum est, confugiant, in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

8. Visa per generale Capitulum abbatis de Mellifonte humili supplicatione super revocatione cuiusdam diffinitionis anno Domini 1313, de praeeminentia seu prioritate monasterii B. M. iuxta Dublinum ante dictum monasterium de Mellifonte, in praeiudicium et derogationem antiquitatis sui monasterii, ut dicebat, promulgatae ; praesens generale Capitulum rationes per modernum eiusdem monasterii de Mellifonte abbatem humiliter adductas ex una parte ponderans, ex alia vero quod nullus pro parte dicti monasterii B. M. iuxta Dublinum in eodem generali Capitulo compareret, nec quisquam super hoc proponeret, quodque parte non vocata nihil in eius praeiudicium ordinandum esset, considerans, dictam tamen prioritatis et praeeminentiae querimoniam partium ipsarum et monasteriorum suorum tranquillitati fore nocivam, idem generale Capitulum solerter attendens, ipsam ad aliud generale Capitulum hinc ad biennium celebrandum terminandam seu decidendam remittit, partibus ipsis et earum cuilibet quatinus tunc in dicto generali Capitulo, nisi tamen de breviori tempore inter se convenerint, per se vel procuratores suos super his sufficienter instructos, compareant, cum intimatione tamen quod, non obstante alterius earum absentia, nihilominus generale Capitulum super dicta materia tunc efficaciter providebit, districte, praecipiendo omnibus et singulis abbatibus ac ceteris regularibus Ordinis personis, praesentis citationis executionem committendo, in plenaria Ordinis potestate.

9. Nos, de Bullione, s. th. pr. et de Bullencuria [d] monasterium abbates, notarii praesentis Capituli generalis Ordinis Cisterciensis anno Domini 1512, tempore Rogationum apud Cistercium celebrati, omnibus et singulis quorum interest notum facimus quod die tertia eiusdem Capituli generalis, R. P. dominus Thomas Her-

---

[d] Bellenora : *P*².

by modernus abbas monasterii B. M. de Mellifonte [e], quoddam magnum tabulatum ex tribus tabulis seu asseribus distinctum, et ab utraque parte in membranis monasteria Ordinis descripta continens, quod quidem tabulatum tum apud Cistercium « tabulae monasteriorum Ordinis » communiter vocabatur, nobis duobus simul existentibus, et in praesentia multorum in loco diffinitorii exhibuit, a nobis instantissime requirens, ut lineas sequentes in eadem tabula descriptas diligenter videremus et examinaremus, si forte in eis aliquod rasurae vestigium aut indicium appareret. Cuiusquidem requisitioni, etiam de ordinatione Rmi D. et dominorum Diffinitorum annuentes, lineas sequentes legimus, vidimus et examinavimus, videlicet unam in minio seu rubea sub hac forma descriptam in ordine anni 1133, eodem anno nonis ianuarii, et aliam in atramento sub hac forma : abbatia Mellifontis [f] in Hibernia. Quas quidem lineas sine rasura, ut in eis tunc apparebat, perspeximus. Et procedunt in ordine monasteriorum in eadem tabula tunc nobis exhibita lineam in qua etiam sine rasura habetur, monasterium de Bildewas quod est in fundatione anni Domini 1135, sexto idus augusti. Et post dictum monasterium de Mellifonte usque ad monasterium de Bildewas intersunt 24 lineae, alia monasteria ex ordine continentes. De quibus omnibus a nobis notariis praenominatis attestationem requisivit, qua eidem ex ordinatione praemissa, sub nostris signis manualibus concessimus in hac forma, ipsi ac aliis quibuscumque quorum interest prout iuris fuerit et rationis valituram. Actum et datum Cistercii, anno, mense, die et loco praedictis.

COMMISSIONES

10. Nos, frater Iacobus, *etc.* ... et est talis : Audita per generale Capitulum monasterii monialium B. M. de Derry, in Hibernia, totali ruina ac desolatione eidem per abbatem de Mellifonte intimata, quodque tanto tempore abbatissa et regularibus Ordinis personis caruerit, ut iam ipsos redditus et proventus non ad cultus divini celebrationem, nec Ordinis utilitatem, sed potius ad alios profanos et quorumdam vetitos usus applicentur. Idcirco praesens generale Capitulum pio ac salutari fundatorum dicti

[e] Millefonte : P^2. [f] Millis fontis : P^2.

monasterii devotioni et intentioni concurrens, et ut debitum inde fructum vel ex parte consequantur, solerter providere cupiens, abbatibus monasteriorum B. M. iuxta Dublinum, de Beatitudine, de Hynis et de Flumine Dei, ac duobus eorum coniunctim committit, ut si praemissa veraciter exposita fuisse cognoverint, abbati et conventui dicti monasterii de Mellifonte dictum monasterium et ipsius redditus et proventus ex tunc possidendos usque ad aliam Capituli dispositionem assignent, eisdem nihilominus commissariis ut informationes et quidquid desuper fecerint, ad generale Capitulum hinc ad biennnium celebrandum remittere teneantur, districte praecipiendo, in plenaria Ordinis potestate. Datum in diffinitorio nostro Cisterciensi, sub appensione sigilli nostri, anno, mense et die praedictis.

11. Quia praesens generale Capitulum fide digno quorumdam relatu accepit abbatissam et conventum B. M. de Maloduno fecisse admodiationem seu accensationem cuiusdam suae masurae seu maceriae cum octoginta arpentis, partim terrarum arabilium, partim pratorum et hortorum vel circiter ad multos annos, sitae in dominio Tressovillae, dicto monasterio non solum minus utilem sed etiam tam ipsi quam multis vicinis damnosam ; quapropter ea quae non rite patrata sunt ad rationis aequitatem reducere cupiens, committit idem generale Capitulum de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., necnon de Regalimonte, de Barbello, de Prulliaco monasteriorum abbatibus et duobus eorum coniunctim, ut super dictae admodiationis seu accensamenti commodo vel incommodo se diligenter informent, secluso cuiuscumque favore. Et si contractum eidem monasterio notabiliter damnosum compererint, dictis abbatissae et conventui praecipiant districte ut illi renuntient, eas a iuramento, si quod emiserint, dispensando, in plenaria Ordinis potestate.

12. Domino de Morimundo ac de Crista monasteriorum abbatibus et eorum cuilibet in solidum committit praesens generale Capitulum, quatinus super quibusdam tractatibus per abbatem et conventum monasterii B. M. de Bullencuria cum diversis personis, initis et passatis, se diligenter informent, et quos contra papalia et Ordinis nostri statuta, ad ipsius monasterii damnum et detrimentum factos esse compererint, ipsos cassent, renuntient et annullent, eosdem abbatem et conventum super iuramentis in eisdem contractibus intervenientibus, quatinus opus esset, dispensando, in plenaria, *etc.* Datum, *etc. ut supra.*

13. Quia generale Capitulum fide digna abbatis de Dunis denuntiatione sufficienter informatum extitit, quemdam fratrem Livinum, eiusdem monasterii religiosum expresse et originaliter professum, post abusus multos in officio cellerariatus et cuiusdam grangiae regimine praefato monasterio spectanti sibi creditis, spreto suae professionis vinculo, abbatis proprii obedientia et habitu dimisso, in magnum Ordinis ludibrium et monasterii scandalum, vagus cum saecularibus saeculariter vivit, praesens generale Capitulum ordinat et iniungit praedicto abbati de Dunis, ut omnibus iuris et iustitiae viis eum errantem revocare satagat, invocato etiam brachio saeculari a quo ... et favorem possit eidem abbati de Dunis impertiri, in plenaria Ordinis potestate.

14. Ad audientiam praesentis Capituli fideli abbatis de Caroliloco, s. th. pr., relatu deductum est, monasterium B. M. de Parco dominarum ob monialium multitudinem gravari ; ideo praesens generale Capitulum nolens ut ea quae pro reformatione monasterii de Parco statuta sunt in eiusdem gravamen cedant, ordinat et diffinit summam octo libr. turon. de fructibus monasterii de Virgulto abbatissae et conventui monasterii de Parco [g] singulis annis persolvi, quamdiu soror Ioanna de Monceaulx, eiusdem monasterii de Virgulto professa et illuc emissa, ibidem ex ordinatione Capituli generalis remanserit, cuius quidem pensionis solutio in festo Nativitatis sancti Ioannis Baptistae proxime venturo incipiet. Omnibus regularibus personis executionem praesentis diffinitionis sub poenis et Ordinis censuris committendo, in plenaria Ordinis potestate.

15. Ad supplicationem abbatis de Hardenhusen per abbatem de Vetericampo oblatam, qua postulabat quamdam decimam dicto monasterio, ut dicebat, minus utilem vendere, vel in aliam rem immobilem commutare posse, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Vetericampo, eiusdem monasterii patri abbati, de Campo Mariae, de Veteri monte, et duobus eorum coniunctim, ut super dicta alienatione ac commutatione facienda se diligenter informent ; et si dicto monasterio hoc evidenter utile esse cognoverint, et de consensu conventus procedere, dictam alienationem seu commutationem faciendi auctoritatem impendant, ita tamen quod omnia super his acta ad Capitulum infirmanda vel confirmanda remittant, in plenaria Ordinis potestate.

---

[g] Querco : *L*[5].

16. Ad restaurationem monasterii monialium B. M. in Lionexa incendio quorumdam malitia, ut asseritur, procurato destructi, praesens generale Capitulum favorabiliter anhelans, abbati de Vetericampo, eiusdem monasterii patri abbati immediati committit, ut per omnes iuris et iustitiae vias et contra quascumque personas, quacumque dignitate etiam episcopali fulgentes, quas de incendio praedicto teneri constiterit, pro iniuriae Ordinis satisfactione et damni monasterii praedicti reparatione, virilem prosecutionem faciat, et eos prout iuris fuerit et rationis prosequatur, in plenaria Ordinis potestate.

17. Cognita per generale Capitulum translatione sororis Margaretae de Billy, religiosae monasterii B. M. de Parco dominarum originaliter et expresse professae, ad monasterium Sancti Remigii prope Silvanectum Ordinis S. Benedicti ; quodque de dispensatione desuper obtenta Ordini et maxime abbati de Caroliloco, s. th. pr., eiusdem monasterii de Parco commissario visitatori, minime constare fertur ; idem generale Capitulum talibus regularium Ordinis personarum translationibus temeraris factis obviare cupiens, eidem abbati de Caroliloco districte mandat et praecipit, quatinus omnibus iuris et iustitiae viis, dictam sororem Margaretam tamquam personam Ordinis regularem revendicet ; nisi tamen de sufficienti dispensatione sua legitime constari faciat. Et nihilominus si nondum dispensata fuerit, et cognoverit quod ex certis causis expedire eidem sorori ad dictum Ordinem S. Benedicti convolare, dictus abbas Caroliloci secum super hoc dispenset, proviso tamen quod prius et omnia monasterio suae professionis et Ordinis habitus restituta fuerint, in plenaria Ordinis potestate.

18. Quia fide digno quorumdam relatu generale Capitulum sufficienter et debite informatum extitit, quod a paucis diebus pro maxima salutari reformatione monasterii de Veteri vineto necesse fuerit dicti monasterii moniales ad alia Ordinis monasteria transmittere ; ideo praesens generale Capitulum abbatibus de Alna et de Iardineto, et cuilibet eorum in solidum, committit quatinus abbatissis ad quas dictae moniales apud se detineant, et ipsis monialibus ut ibidem remaneant, donec aliter per Ordinem fuerit ordinatum, ... in plenaria Ordinis potestate.

19. Abbatibus de Fonte salutis et de Lankheim, et duobus in solidum, generale Capitulum committit, quatinus de alienatione seu commutatione cuiusdam decimae ad monasterium de He-

braco spectantis, diligenter se informent, et secundum *Benedictinae* formam procedant.

20. Abbatibus de Fulcardimonte et de Bellobecco coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus super venditione unius eremi duorum vallium et unius domus diligenter se informent secundum formam quae sequitur. Supplicationem pro pro parte abbatis et conventus monasterii de Loco Dei in Pontino praesenti generali Capitulo oblatum, cui praesens diffinitio annectitur, idem generale capitulum de Fulcardimonte, eiusdem monasterii patri abbati et de Bellobecco monasteriorum abbatibus committit examinandam. Et si eosdem abbatem et conventum ad venditionem rerum in eadem contentarum iuste moveri cognoverint, eisdem dictas venditiones faciendi auctoritatem impendant, proviso tamen quod pecuniae inde receptae seu inde recipiendae ad restaurationem locorum regularium et essentialium dicti monasterii effectualiter convertantur, et tractatus inde secuturos confirment, in plenaria Ordinis potestate.

21. Monasterii religiosarum de Honepa prope Daventriam desolationem belligerorum saevitia pernitiose provenientem, adeo ut consuetus religiosarum numerus ibidem sustentari minime possit, sed nec minime, secundum sensum virorum devotorum et maxime praelatorum Ordinis, suffragio benivolo restaurari, praesens generale Capitulum moleste ferens, abbati de Vetericampo committit, ut dictum monasterium visitando et reformando, nonnullas earum ad alia monasteria ad tempus et donec ad meliorem proventuum opulentiam, transmittere possit, et expedire cognoverit, singulis tam religiosis quam abbatissis monasteriorum ad quae duxerit eas transmittendas sub poenis et censuris Ordinis, ut in hoc eidem obediant praecipiens, in plenaria Ordinis potestate.

22. Audita querimonia abbatissae et conventus B. M. Vallis benedictae prope Leodium ex eo quod ad iudicium vetitum per abbatissam et conventum monasterii de Robertimonte evocantur, idem generale Capitulum dictis abbatissae et conventui de Robertimonte, ne coram officialibus Leodiensibus ipsas Vallis benedictae contra Ordinis privilegia ulterius onerent, sed generalem ipsius Capituli diffinitionem super his editam insequantur et prosequantur, sub poenis et censuris Ordinis. Praesentis diffinitionis executionem omnibus Ordinis regularibus personis committendo, in plenaria Ordinis potestate.

23. Abbatibus de Elnis, de Villalonga et de Calercio, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus dominum commendatarium monasterii B. M. Bonaevallis, seu priorem aut quoscumque alios eiusdem monasterii officiarios commendatario in accusatione super certis criminibus contra fratrem Gabrielem de Veteris casibus, eiusdem monasterii religiosum, facto adhaerentes, coram se ad instantiam praefati fratris convocent seu citari faciant, et per eos informationes seu testes aut alia quaecumque legitima documenta super dictis criminibus exhiberi compellent, et auditis hinc et inde partibus super earum petitionem debitam iustitiam subministrent, in plenaria Ordinis potestate.

24. Nota quod commissiones per Capitulum generale præsentis anni expeditae pro domino Thoma Herby abbate Mellifontis, videlicet prima ad visitandum et reformandum monasteria in Hibernia, et alia ad recipiendum contributiones ibidem, sunt registratae in registro Rmi D. N. Cisterciensis.

25. Quia fide digno quorumdam relatu praesens generale Capitulum sufficienter informatum extitit, certam quamdam prosecutionem fieri in suprema Parlamenti Parisiensis curia, ut moniales monasterii B. M. de Virgulto professae, pro bono et firmitate reformationis dicti monasterii, ad alia Ordinis monasteria bene regulata per dictae reformationis commissarium ad tempus emissae seu translatae, ad ipsum Virgulti monasterium reducantur. Idcirco praesens generale Capitulum totis cupiens affectibus, ut ea quae conformiter ad ipsius Parlamenti praesentis arresta in hac parte lata, et quae pro reformationis fundamento per dictum commissarium gesta sunt, integrum sortiantur effectum, abbati de Caroliloco, s. th. pr., totius Ordinis in ressorto et extensione dictae curiae procuratori generali districte mandat et praecipit, quatinus omnibus iuris et iustitiae viis diffinitiones iam super hoc factas insequendo, ne dictae moniales remittantur, viriliter et diligenter resistat. Omnibus et singulis monialibus sic emissis, ne ad dictum monasterium Virgulti revertentur, ac abbatissis ad quas emissae sunt, ne dictas moniales usque ad aliam Capituli generalis dispositionem remittant, sub poenis et censuris Ordinis inhibendo, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

26. Electionem, promotionem, institutionem, provisionem et installationem de persona fratris Erasmi ad monasterium B. M. de Zwettl, Ordinis nostri, per dominum Michaelem abbatem monasterii Sanctae Crucis in Austria, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii, rite et canonice, *etc.* supplendo, *etc*.

27. Electionem, promotionem, et installationem de persona fratris Theodorici ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Purocampo, per abbatem de Luca, patrem abbatem immediatum praefati monasterii, *etc.* supplendo, *etc.*

28. Electionem, promotionem, installationem de persona fratris Erhardini ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Strenosa valle *(sic)*, dioecesis Cistensis *(sic)*, per viam scrutinii rite et canonice factam et celebratam, ac per abbatem de Fonte salutis commissarium Rmi D. Cisterciensis, necnon domini Burardi abbatis de Caesarea, eiusdem monasteri de Strenosa valle patris abbatis immediati, coassistente sibi abbate de Brinbrechiam *(sic)* dicti Ordinis, factam, *etc.* supplendo, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

29. Abbatibus de Bellobecco et de Fulcardimonte coniunctim praesens generale Capitulum committit ut tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Loco Dei in Pontino ex una, et dominam Iaquelinam de Montmorancii relictam nobilis viri Ioannis de Maret partibus ex altera, initum et passatum diligenter et debite examinent, et si eumdem privilegiis et statutis Ordinis conformiter factum compererint, ipsum confirment, in plenaria Ordinis potestate.

30. Tractatus facti inter dominum abbatem et conventum monasterii de Pontiniaco et nonnullos in eisdem nominatos tam ad vitam quam in perpetuum, committuntur examinandi abbatibus de Bullione, s. th. pr., de Prulliaco, de Rigniaco, de Bullencuria, de Vallelucenti et de Schallariis, et eorum duobus coniunctim, quos si debito modo factos compererint, ipsos confirment in plenaria Ordinis potestate.

31. Abbatibus de Bellavalle et de Aceyo coniunctim praesens generale Capitulum committit ut tractatum inter abbatem et conventum de Charitate ex una, et Ioannem Loyer et Pierretam

eius uxorem, Ioannem Amyat et Ioannetam eius uxorem partibus ex altera, initum et passatum, diligenter examinent, et si eumdem rite et debito modo cognoverint esse factum, ipsum confirment in plenaria Ordinis potestate.

32. Abbatibus de Longovado et de Crista coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus se informent super contractum initum, factum et passatum, per dominum de Morimundo et eius conventum ex una, cum partibus in eisdem tractatibus mentionatis, si praefati contractus ad utilitatem monasterii facti esse cognoverint, ipsos confirment in plenaria Ordinis potestate.

33. Abbatibus de Alna, de Moris, de Iardineto et de Nizellā, et duobus eorum coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatus de terris, pratis et culturis inter abbatissam et moniales monasterii Vallis benedictae, cum decano et capitulo cathedralis ecclesiae Leodiensis habitos, examinent, et si eos utilitati ipsius monasterii congruere cognoverint, ipsos confirment in plenaria Ordinis potestate.

34. Salutari ac piissimae devotioni illustrissimae dominae Sibillae ex marchionibus de Brandenburgensibus, ducissae Iuliacensis et Montensis, ac comitissae Ravensbergensis, conthoralis relictae illustrissimi et generosissimi principis, etc., praesens generale Capitulum benigne favere volens, abbatibus de Vetericampo et de Heisterbach tenore praesentium committit, ut omnia acta et contracta per abbatem et conventum monasterii de Veterimonte circa fundationem unius missae quotidie decantandae in dicta ecclesia Veterismontis, pro salute animae dictae dominae ac dicti principis, liberorumque ac praedecessorum et successorum, necnon circa memoriam defunctorum quater in anno in quatuor temporum diebus, perpetuis temporibus celebrandam, diligenter examinent, et si·ea rite et canonice facta compererint, et sine dictorum religiosorum intolerabili gravamine posse perpetuo condigne continuari, confirment et approbent in plenaria Ordinis potestate.

35. Devotioni piissimae ac bonae voluntati nobilis dominae Iaquelinae, relictae nobilis viri Ioannis de Maret, praesens generale Capitulum benigne favere volens, de Fulcardimonte et de Bellobecco monasteriorum abbatibus praesentium committit tenore, ut omnia acta per abbatem et conventum de Loco Dei in Pontino circa fundationem duarum missarum decantandarum in dicta ecclesia qualibet hebdomada pro salute animae dictae

dominae liberorumque ac praedecessorum suorum, necnon circa memoriam defunctorum quater in anno, in quatuor temporum diebus, perpetuis temporibus celebrandam, diligenter examinent, et si ... *etc. ut supra nº* 34.

REHABILITATIONES

36. Visa humili supplicatione per abbatem monasterii B. M. de Alna, praesens generale Capitulum misericorditer agere volens, cum duobus sui monasterii religiosis, videlicet cum fratre Ioanne Bergetz, alias Paleto, qui suadente diabolo et carne stimulante, in apostasia convictus et deprehensus, deinde fracto carcere exiens, post duos ... et ad Dominum conversus poenitentiam egit ; et fratre Ioanne de Preelles, quem contigit apostatare habitu Ordinis nihilominus retento, idem generale Capitulum eosdem absolvit et rehabilitat ad omnes actus et gradus legitimos, officia et dignitates Ordinis eos habiles faciendo et declarando in plenaria Ordinis potestate.

37. Generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Petro Vanbelle, religioso monasterii de Dunis professo, super irregularitate per eum contracta propter egressum monasterii sine licentia pluribus et iteratis vicibus in apostasia celebrando. Pro quibus iniunctas sibi poenitentias pro viribus sustinuit ; ideo praesens generale Capitulum ad expressam et instantissimam supplicationem abbatis sui de Dunis, de qua per relatum domini Claraevallis eidem Capitulo constitit, eumdem eum absolvit et rehabilitat ad omnes actus et gradus legitimos, officia et dignitates Ordinis, abbatiali dignitate seclusa, eum habilem denuntiando in plenaria Ordinis potestate.

38. Ad instantiam et humilem supplicationem abbatis de Ursicampo, praesens generale Capitulum misericorditer agere volens cum fratre Roberto de Ponte, qui dudum suadente humani generis inimico, a praedicto monasterio absque superiorum suorum facultate et licentia recessit, habitu tamen Ordinis minime dimisso, ac etiam in praefato statu pluries temerarie divinis se immiscendo in ordine suo ministravit, sacrosanctumque Eucharistiae sacramentum cum ceteris religiosis alterius monasterii, ad quod illicentiatus transierit, pluries sumpsit. Quia de eius salutari poenitentia fide digno relatu praedicti sui abbatis constitit, ab ea infamiae et inhabilitatis nota, quam occasione supe-

riorum incurrit, misericorditer dispensat, ipsum ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, etiam abbatali dignitate inclusa, si id in posterum promeruerit, et suorum intervenerit assensus superiorum promoveri valeat et assumi. Omnibus et singulis dicti monasterii regularibus personis districte praecipiens, ne super huiusmodi infamiae nota eidem fratri insultent vel improperent, in plenaria Ordinis potestate.

ABBATUM EXCUSATIONES

39. Excusantur a via Capituli generalis praesentis abbas de Pietate Dei, de Fonteneto, de Langonio [h] et de Regalimonte, per litteras eorum ad Capitulum generale transmissas et acceptatas. Sic signatum : f. abbas Bullencuriae.

PRO ALBARIPA

40. Visis supplicationibus hinc inde scripto porrectis ex parte fratris Petri Malcourant electi et confirmati abbatis monasterii nostri de Albaripa ex una, et fratris Alani Girardot, religiosi professi eiusdem monasterii ex altera ; necnon decreto electionis dicti fratris Petri Malcourant, ac procuratorio speciali praefati Alani Girardot, continente quamplurima obiecta tam in materia quam in forma adversus electionem et confirmationem factas de persona praedicti fratris Petri, auditisque ipsis partibus, attentis attendendis, ac considereratis considerandis, ordinat et diffinit dictum fratrem Alanum Girardot fore et esse admittendum ad contenta in dicto suo procuratorio obiicienda, ponenda ac probanda, facta tamen, prout ipse obtulit, prius per eum inscriptione de subeundo poenam, arbitrio iudicum inferius deputatorum sibi infligendam, casu quo in probatione delictorum deficeret, et illa calumniose proposuisse videretur. Insuper ipsum fratrem Alanum Girardot sub protectione Ordinis ponit inhibendo fratri Petro sub censuris Ordinis ne per se vel per alium, directe vel indirecte, attentet in personam praefati fratris Alani, cui pro mansione et residentia interim, et donec prosequatur praedicta obiecta, ac quousque fuerit aliter ordinatum, assignat et deputat monasterium de Sacro portu, alias de Barbello. Praeterea ad cognoscendum ac

[h] Nanxio : *L*[5].

decidendum de negotio et obiectis praedictis, necnon inde dependentibus et connexis, abbates de Caroliloco et de Frigidomonte, s. th. pr., coniunctim committit et deputat in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc.*

PRO COLLEGIO PROCURATIO AD ACCIPIENDUM MUTUUM

41. Nos, frater Iacobus, abbas Cistercii, *etc.* et est talis : Quia fide digno de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., relatu ad Capituli generalis audientiam deductum est, laudabile et magnificum insignis ecclesiae venerabilis collegii Sancti Bernardi Parisiensis aedificium iam a duobus annis ex ipsius Capituli generalis ordinatione, ad Dei honorem et totius Ordinis commendationem laudabiliter coeptum ob defectum promptae pecuniae continuari et perseverare non posse, in magnum tam sancti operis promotorum et fautorum ludibrium, sed et ipsius Capituli generalis et totius Ordinis confusionem et scandalum non modicum. Ideo praesens generale Capitulum tam sancti ~~oper~~is cum Dei gratia et hominum adiutorio totis praecordiorum affectibus felicem continuationem, illudque evangelicum improperium, ut qui coepit aedificare et non potuit consummare, a se propulsare cupiens, praefatis de Frigidomonte et Caroliloco monasteriorum abbatibus, eiusdem operis indefessis promotoribus et commissariis, coniunctim et expresse committit, ut pecuniam mutuo vel per constitutionem reddituum una vice vel pluries super quibuscumque bonis mobilibus etiam pretiosis et immobilibus dicti collegii Sancti Bernardi Parisiensis, pro dicti operis continuatione et operariorum manutentione usque ad summam 600 libr. turon. dumtaxat hinc ad immediate sequens generale Capitulum accipiant, praefata quaecumque bona mobilia etiam pretiosa, et fructus, redditus, proventus, et alia immobilia quaecumque propter hoc obligando, proviso tamen quod redditus forsan propter hoc constituendi Ordini semper redimibiles et non alias permaneant. Ipsis quoad omnia et singula praemissa, eorum dependentia et connexa, procuratores speciales constituendo in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc.*

* * *

42. Minuta diffinitionis seu responsionis Capituli generalis

super bullis Concilii Pisani in eodem Capitulo publicatis. — Quia ex lectura et publicatione bullarum sacrosanctae synodi Pisanae coram Diffinitoribus praesentis Capituli generalis facta, eidem Capitulo evidenter constitit per dictas bullas plures diversarum materiarum articulos in se continere, idcirco praefatum generale Capitulum super his mature deliberare cupiens, praedictarum bullarum materiam in eadem qua apud Cistercium sedebat potestate ad hoc oppidum Divionense deliberandam remisit, ubi matura super omnibus in dictis bullis contentis deliberatione praehabita, idem praesens generale Capitulum publicationem dictarum bullarum, necnon salutarem Rmi D. Cisterciensis monitionem super generali Ordinis reformatione facienda in vim dictarum bullarum et ex parte ipsius sacrae synodi Pisanae, reverenter excepit et gratissimas habet, annuas omnium et singulorum Ordinis utriusque sexus monasteriorum visitationes et reformationes, conformiter ad Ordinis diffinitiones super his editas, sub poenis et censuris Ordinis in eisdem contentis deinceps sollicitius fieri districtius iniungendo seu decernendo, poenasque et censuras praedictas in negligentes, quatinus opus esset, innovando et confirmando. Et insuper, quia praesens generale Capitulum propter absentiam eiusdem Rmi D. et sui tunc ad has partes reditus desperationem ad proximum annum suspensum et quasi dilatum videbatur, et propter hoc pauci exterarum ac remotarum nationum abbates ad hoc praesens generale Capitulum convenerint, sed solum Cistercio viciniores abbates postquam de adventu eiusdem Rmi certiorati fuerunt, et hi quidem pauci et quasi soli de Francia comparuerunt, idcirco super alia materia in dictis bullis contenta omnes et singulos quarumcumque nationum Ordinis abbates concernente, praefati Diffinitores nihil concludere seu diffinire potuerunt, sed ipsam materiam cum suis dependentiis ad proximum generale Capitulum absque aliqua retractatione super ea tunc habita reverenter remiserunt. Et ut quod omnes tangit ab omnibus, ut decet, possit et valeat approbari, praesens generale Capitulum omnes et singulos Ordinis abbates ad dictum immediate sequens Capitulum generale, quatinus omni excusatione legitima cessante, ipsi per se compareant, aut qui de partibus remotissimis fuerint, deputatos suos cum sufficienti mandato super his transmittant, citandos decreverit, prout et eos expresse per praesentes citat. Omnibus et singulis Ordinis commissariis et quibuscumque aliis regularibus Ordinis personis super hoc

requirendis, praesentis citationis executionem committendo, in plenaria Ordini potestate. Sic [i] signatum : frater Perret abbas Bullionis.

SUFFRAGIA

43. Frater Iacobus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, universis Christi fidelibus, salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quamvis divina lege charitatis ad orandum pro omnibus generaliter obligemur, pro illis tamen multo specialius astringimur, qui nobis et Ordini nostro, necnon ecclesiarum restaurationi piis charitatis operibus affici dignoscuntur. Exigente igitur piae devotionis affectu, quem ad nos et Ordinem nostrum, venerabilis et dilectus noster magister et rector seu praeceptor necnon conventus fratrum hospitalis Sancti Spiritus Divionensis, prout fide digno relatu, etiam venerabilis fratris Claudii Laurent, rectoris hospitalis Sancti Spiritus de Fociniaco, et nunc eiusdem hospitalis Divionensis gubernatoris, habere didicimus, omnibus et singulis dicti hospitalis Sancti Spiritus Divionensis, ac quibuscumque Christi fidelibus de bonis suis eisdem fratribus et pauperibus in eadem domo iacentibus et illuc continue affluentibus benigne concedimus et liberaliter impertimur per praesentes, plenissimam et omnimodam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet, *etc.* Datum, *etc.*

44. Ad idem, suffragium Ordinis ad instantiam abbatis de Aceyo pro quodam honorabili viro.

45. Ad idem, suffragium pro magistro Iacobo de Courbarry, ad instantiam abbatis de Bullione.

46. Ad instantiam eiusdem abbatis suffragium pro quodam priore Molismundi.

47. Suffragium ad instantiam abbatis de Veterivilla, pro egregio viro magistro Waldricor, in medicina doctore solertissimo.

48. Ad instantiam domini abbatis de Claravalle, duo suffragia, unum pro quodam honorabili viro Matheo Chanane, de

---

[i] *Reliqua desunt apud* P^2, *qui addit* : Nota quod ille Iacobus 4us, abbas Cistercii, synodo Pisanae, Mediolanum translatae, interfuit, et hoc ipso anno 1512 cuidam decreto ad facultatem Parisiensem ab illis Patribus Mediolani congregatis transmisso cum multis cardinalibus subscripsisse invenitur.

Calvomonte; aliud pro magistro Francisco Bethon, sunt concessa.

49. Aliud pro magistro Petro Perrin, pro patre et matre et parentibus, ad instantiam eiusdem.

50. Similiter ad instantiam abbatis de Sancto Andrea concessa sunt tria suffragia, unum pro nobili viro Aegidio Wode, eius uxore et eorum filio; aliud pro scientifico viro Ioanne Le Bailly et Anna eius uxore ac eorum liberis; tertium pro Ioanne Le Françoys scutifero et eius uxore.

51. Suffragium concessum ad instantiam domini abbatis de Morimundo, pro patre, matre et suis parentibus.

52. Ad idem, suffragium Ordinis pro illustrissimo domino comite Kaldrie, ad instantiam abbatis de Mellifonte.

53. Ad idem, duo suffragia Ordinis pro nobilibus ad instantiam abbatis de Stamedio.

54. Ad idem, suffragium Ordinis pro magistro Ioanne de Sancto Quintino, ad instantiam magistri nostri de Burreyo.

55. Ad instantiam domini abbatis de Morimundo, fuit concessum suffragium Ordinis pro hospitali Sanctae Margaretae de Longecourt.

IUDICES

56. Praesens generale Capitulum universis iustitiam ministare cupiens, abbatibus de Frigidomonte, s. th. pr., de Regalimonte, de Vallibus Cernay, committit quatinus omnes et singulas personas Ordinis seu monasteria aut quaecumque alia loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta, abbati et conventui monasterii de Caroliloco obligatos seu obligata fore, tam in pecuniarum summis seu aliis quibuscumque bonis debite teneri, sive eorum bona detinentes aut indebite occupantes, cognoverint, ab eisdem realiter satisfaciendum constringant, in plenaria Ordinis potestate.

57. Ad idem, iudices deputantur ad compellendum debitores qui videbuntur iuste teneri magistro Ioanni Marsot, bedello collegii Sancti Bernardi.

58. Ad idem, iudices deputantur ad compellendum debitores, qui videbuntur iuste teneri magistro Adae Piette, curato S. Nicolai du Chardonneret, iuxta collegium S. Bernardi.

59. Ad idem, iudices deputantur abbates de Alna et de Molinis ad revocandum contractus factos per abbatissam et conventum

B. M. de Valle benedicta cum domino episcopo Leodiensi, et cum eisdem, si opus sit, dispensandi super iuramento.

CONTUMACES

60. Quia modernus abbas de Moroliis per abbatem de Pinu ad praesens generale Capitulum ob non solutionem suarum contributionum, ac earum arreragiorum citatus extitit, qui tamen debite expectatus et vocatus minime comparuit, nec aliquem pro se misit, ideo dictum generale Capitulum eumdem abbatem de Moroliis, quamvis sua existente contumacia declarare contumacem potuisset, ad proximum generale Capitulum citat per praesentes, promotori causarum super praemissis et aliis obiiciendis responsurum, nisi tamen praedicto abbati de Pinu satisfecerit, omnibus et singulis Ordinis personis praesentis diffinitionis et citationis executionem committendo, in plenaria Ordinis potestate.

61. Audita per generale Capitulum domini abbatis Claraevallis relatione super citatione ad praesens generale Capitulum facta et intimata fratri Aegidio Betum, religiosum monasterii Savigniaci expresse professo, necnon viso processu contra eumdem Betum in visitatione per eumdem dominum de Claravalle monasterii Savigniaci facto, ipsum ab officio prioratus et ad cetera Ordinis officia inhabilitatis declaratione, praesens generale Capitulum praefati fratris Aegidii Betum depositionem ratificavit, approbavit et confirmavit, eumdem ob suorum exigentiam demeritorum ad Ordinis officia deinceps obtinenda inhabilem declarando, in plenaria Ordinis potestate.

1513

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo tertio, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

1513. *Fontes* : A^4 : 1, 2, 6, 8 ; L^5 : 1-81 ; P^2 : 1, 8 *(abbrev.)*, 17, 18, 19, 65 *(abbrev.)*.

[a] *Titulus apud* L^5.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ac beatissimo domino nostro, domino Leone, divina Providentia Papa decimo, necnon pro reverendissimis in Christo patribus, dominis S. R. E. cardinalibus, et maxime pro domino Roberto, misericordia divina, tituli Sanctae Anastasiae S. R. E. presbytero cardinali Nannetensi, nostrique Ordinis in Curia protectore benivolo, et etiam pro RR. in Christo patribus, etc. etc.

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*

3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 8041 librarum, sex solid. duorum denariorum turon. pro resta computationum generalis Capituli anni 1512 ... *etc.*

7. Quia propter multiplicitatem, ... *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

DIFFINITIONES SPECIALES

8. Nos frater Iacobus ... etc. et est talis : Praesens generale Capitulum sufficienter informatum de vita, moribus, conversatione, litterarum peritia, idoneitate fidelique diligentia ac ceteris virtutibus fratris Mathei de Paganis, monasterii de Stratfordia nostri Cisterciensis Ordinis religiosi professi, decretorum doctoris, institutionem ipsius ad exercitium procuratorii generalis per Rmum D. Cisterciensem factam, gratam habuit et habet et approbat, illumque elegit, fecit, creavit et instituit, eligitque, facit, creat et nominat generalem totius nostri Cisterciensis Ordinis in romana Curia procuratorem, cum omnibus reliquis necessariis et opportunis in suis mandatis et commissionibus, ad visitandum, contributiones recipiendum, et ad causas, per eumdem Rmum D. N. Cisterciensem appositis, specificatis et declaratis, in plenaria Ordinis potestate. — Datum, *etc.*

---

[b] Incipit 10 registrum. Ex anno 1513. Sub Leone 10 ; ...*etc.* : *P*².

9. Praesens generale Capitulum sollicitam abbatis Veteris cellae pro collegii Lipzensis manutenentia vigilantiam solerter attendens, consideransque quam damnosa sit ipsi Lipzensi collegio, quod in Ordine antiquum est, quorumdam abbatum in partibus illis contra repetitas eiusdem Capituli diffinitiones super hac materia editas, rebellio, eidem abbati de Vetericella districte mandat et praecipit, ut poenas et censuras in generali diffinitione Ordinis contra studentes extra communia et antiqua Ordinis collegia manentes, et eos mittentes, anno Domini millesimo ... octuagesimo quarto edita, incipiente : Cum viri religiosi, etc., ac aliis diffinitionibus particularibus eiusdem contentas contra qualescumque personas Ordinis eisdem diffinitionibus inobedientes et rebelles, omni dissimulatione semota, viriliter executioni demandet, fulminet, et toties denuntiet, donec ad debitam ipsarum diffinitionum observantiam infractores redeant cum effectu, in quorum executione praefatus abbas de Vetericella auxilium brachii saecularis contra rebelles et contumaces, quatinus opus esset, invocet et procedat, in plenaria Ordinis potestate.

10. Audita querimonia abbatis de Bellavalle, patris immediati monasterii de Roseriis, super rebellione et inobedientia per modernum abbatem eiusdem monasterii de Roseriis factis ; viso etiam instrumento desuper confecto, quod dictum abbatem, priorem, et alios quatuor religiosos eiusdem monasterii ad praesens generale Capitulum citatos fuisse constabat, idem generale Capitulum concordiam inter patrem abbatem et filium reparare et conservare, necnon dicti monasterii in capite et in membris debitam reformationem desiderans, domino abbati de Morimundo committit, quatinus se quantocius poterit ad dictum monasterium personaliter transferat, ibidem dictam querimoniam comperiat, et cetera reformet, sicque super dictis rebellionibus et inobedientiis provideat, quod ceteris transeat in exemplum. Et interim, quantum ad fratrem Anthonium priorem dicti monasterii citatum et comparentem, generale Capitulum, attento quod dictus abbas de Roseriis nihil actualiter exposuit, propter quod dictum fratrem incarcerasset et alias in eum processisset, idem Capitulum eumdem fratrem ad officium prioratus et ad cameram suam ac alia bona, quae prius honeste ad usum suum concessa fuerant, et ab eo ablata fuerunt, per modum provisionis, et donec aliter per dictum dominum de Morimundo ordinatum fuerit, de gratia speciali restituit, dicto abbati de Roseriis districte praecipiendo, qua-

tinus praesenti diffinitioni pareat, et ab aliis dicti monasterii personis pareri faciat cum effectu, alios insuper quatuor dicti monasterii religiosos citatos et non comparentes, a contumacia ex certa causa relevat, in plenaria Ordinis potestate.

11. Audita supplicatione ex parte abbatis monasterii de Strata, s. th. pr., praesens generale Capitulum totis desideriis multiplicationi scolarium et debitae provisioni eorumdem favere cupiens, attendensque dicti monasterii de Strata tenuitatem, necnon et eiusdem abbatis rationabilem sollicitationem vult et ordinat in subsidium et subventionem unius scolaris ex suis religiosis quem Parisiis gratia studii voluerit dictus de Strata mittere, quatinus singulis annis, usquequo unum de suis cum effectu ad idem studium mittere decreverint, abbates inferius nominandi, contribuant ipsi abbates dicto abbati de Strata summas infra taxandas et praefigendas, videlicet abbas de Brolio Benedicti 15 libr. turon. attento etiam maxime, quod dictus de Strata gratanter obtulit per dictum tempus tenere in monasterio suo, expensis suis, unum de religiosis suis dicti monasterii de Brolio, et simul cum aliis suis educare et eum in doctrina et moribus Ordinis pro mediocritate sui monasterii decenter instruere ; praesentis diffinitionis executionem omnibus et singulis personis regularibus Ordinis nostri, in plenaria Capituli generalis potestate committendo. Datum, etc.

12. Audita scandalosa conversatione et discursu vago sororis Mariae Peletier, abbatissae depositae ab administratione monasterii monialium de Thesauro, generale Capitulum ordinat, quatinus infra mensem a die intimationis praesentis diffinitionis sibi per dominum de Bonoportu, in partibus illis commissarium, aut quascumque Ordinis personas fiendam, ad monasterium de Gomerifonte, primum suae professionis locum, revertatur ; alioquin poenas et censuras Ordinis contra rebelles factas incidisse eam declarent, in plenaria Ordinis potestate.

13. Auditis per generale Capitulum propositis per promotorem causarum adversus fratrem Nicolaum de Donnay, cellerarium monasterii B. M. de Bullencuria, responsionibus et propositis et petitionibus per procuratorem suum, secum coassistente sibi consiliario suo, generale Capitulum de gratia speciali nomina et cognomina testium in inquisitione descriptorum, necnon capitula inquisitionis procuratori edenda concedit, quibus habitis tenebitur hodie scripto porrigere super his quaecumque voluerit, communicatione cum suo consilio, in praesentia aliorum deputato-

rum per Capitulum habita, et omnibus visis, idem Capitulum super his, prout iuris fuerit et rationis ordinabit, in plenaria Ordinis potestate.

14. Cum inter dispares et remotos turpis et vituperio digna sit omnis controversiae commotio, consequens est inter affines et proximos, imo similis habitus et religionis, idipsum condemnari ; quapropter praesens generale Capitulum controversiam et querelam inter abbatissam et conventum monasterii B. M. de Bonavia, dioecesis Trevirensis, ex una, et abbatissam et conventum B. M. de Clarofonte, eiusdem dioecesis, ex altera partibus, super materia decimarum quas de his quae propriis sumptibus vel manibus excolunt, contra Ordini nostro amplissima et specialissima concessa privilegia, exigunt, summe desiderans ad pacis et amicitiae concordiam reducere ; hinc est quod abbatibus de Villerio et de Freistorff eiusdem Ordinis, et cuilibet eorum, usque ad diffinitivam sententiam exclusive de .., ipsis committit, quatinus relictis omnibus frivolis excusationibus, ad requestam dictae partis abbatissae et conventus de Bonavia, se de dictae materiae controversia diligenter informent, et prout invenerint rationabiliter faciendum de ea et circa eam tangentia, prout in supplicatione cui praesentes annectuntur longius est expressum, ordinent, terminent et sententient, etiam interdicendo ipsis abbatissae et conventui de Clarofonte ne extra Ordinem partem aliam trahere praesumant, et e converso, in plenaria Ordinis potestate.

15. Summis desideriorum affectibus omnium et singulorum Ordinis monasteriorum longe lateque dispersorum, tamquam unius veri corporis mystici membrorum colligantiam et cohaerentiam solidam, praesens generale Capitulum desiderans duos illos dilectos in Christo fratres ex parte abbatum Tusciae et Lombardiae oratores grato et benivolo charitatis affectu excepit, gaudenter recepit, eosque in tenore sui mandati et instructionum et articulorum capitulariter per eosdem propositorum ample et benigne audivit ; sed quia dictum eorum mandatum, instructiones et articuli per eos propositi ampliorem et maturiorem patrum deliberationem exposcunt, ideo dictae suae legationis materiam ad Divionem remittit deliberandam et concludendam, in plenaria Ordinis potestate.

16. Pium **in Deum et** apud homines laudabile et sanctum desiderium abbatissae de Andeciis [c], Ordinis S. Benedicti, in Cata-

---

[c] **Antessy :** *L*[5].

launensi dioecesi, super sui monasterii quod omnino desolatum erat, restauratione, tam in aedificiis temporalibus quam spiritualibus, praesens generale Capitulum relatu domini Claraevallis auribus, cordibus in visceribus charitatis plurimum commendans, supplicationem abbatissae super translatione sororum Guillelmetae de Conflans, Catherinae Dronyne, Mariae de Retois, Annae de Sourcelles monialium, necnon sororis Franciscae de la Florière conversae monasterii Argentaecellae, nostri Cisterciensis Ordinis, in dicta dioecesi Catalaunensi, domino Claraevallis immediate subiecti, in quo professae fuerant, necnon habitus sui mutatione ac professione earumdem sororum, dictae abbatissae de Andeciis ad sui monasterii reformationem faciendam hilari animo admittit ipsam dominam abbatissam in Domino Iesu, necnon et ipsas dictas filias nostras hortando et deprecando ne sanctum propositum deserentes, retrocedendo a via Dei, animas suas ab ipso Domino Iesu pretiosissime redemptas negligere videantur. Datum, etc.

17. Audita supplicatione ex parte devoti filii fratris Nicolai Carrel, religiosi Montis S.M., Bisuntinensis dioecesis, et Ioannis Carrel germani eiusdem, super fundatione ab eisdem facienda de duabus missis annis singulis perpetuo dicendis in eodem monasterio, una videlicet die sancti Nicolai sexta decembris, et alia die Visitationis B. M. secunda iulii, ad refectionem corporalem conventus et religiosorum eiusdem monasterii, dictis duobus diebus praedictarum missarum, praesens generale Capitulum libenter annuens piae supplicationi petentium ad ampliationem divini cultus, suffragiumque tam vivorum quam defunctorum, consentit in forma eidem factae petitioni, sub ea tamen conditione quod litteras eiusdem fundationis, priusquam effectum suum debite sortiantur, tenebuntur ipsi fundatores ad proximum generale Capitulum mittere per ipsum plenius videndas et examinandas, si quid contineant quod Ordinis statutis, regulae aut iuri dissonum sit. Datum, etc.

18. Ad instantiam et supplicationem prioris et religiosorum monasterii de Valle S. M. dioecesis Parisiensis, petentium licere sibi ad honorem beati Felicis in Pincis cuius corpus illic dicitur esse translatum, eiusdem diei translationis festum solemne celebrare, praesens generale Capitulum ob huius sancti reverentiam libenter deferens piae petentium intentioni concedit et annuit, ut non obstantibus quibuscumque Ordinis statutis et diffinitionibus, id fieri possit. Datum, etc.

19. Ad idem, de beata Berga in monasterio Regalismontis, eiusdem dioecesis, ad instantiam abbatis et conventus eiusdem monasterii Regalimontis.

20. Audita supplicatione abbatis de Igniaco super discoliis et discursu vario et irregularitate fratris Livini, eiusdem monasterii professi, praesens Capitulum generale renovando diffinitionem iam super hoc factam, dat auctoritatem eidem abbati supplicanti quatinus eumdem monachum possit ad tempus mittere ad monasterium de Cambrone, sub praecepto poenae excommunicationis abbati eiusdem monasterii de Cambrone ut eumdem monachum suo in monasterio recipiat et educat, usque ad aliam Capituli generalis ordinationem, sub tamen conditione quod idem abbas Igniaci eidem abbati de Cambrone in subsidium et sustentationem eiusdem fratris Livini annis singulis, quamdiu ibidem permanserit, conferret summam decem libr. turon. iuxta antiquas Ordinis diffinitiones, in plenaria Ordinis potestate.

COMMISSIONES

21. Visa supplicatione praesenti diffinitioni annexa, pro parte abbatis monasterii Ebracensis porrecta, praesens generale Capitulum abbatibus monasteriorum Schonaviensis, Wormatiensis dioecesis, et Veterismontis, eorum cuilibet, ut secundum quod materiarum in dicta supplicatione contentarum exigentia requiret, duobus coniunctim committit, quatinus se super singulis dictae supplicationis articulis diligenter informent, et quidquid utile dicto monasterio compererint, ad Capitulum generale proxime futurum scripto remittant, in praemissis procedendo in plenaria Ordinis potestate.

22. Visa supplicatione generali Capitulo pro parte fratris Ludovici de Amanciaco, monasterii de Cheseriaco expresse professi, porrecta, idem generale Capitulum abbati de Miratorio committit, quatinus se diligenter informet super expulsione et eiectione dicti fratris Ludovici, facta per abbatem dicti monasterii de Cheseriaco ab eodem monasterio Cheseriaci, et ne eum iam senem et annosum diutius vagari extra monasterium contingat, in grave totius Ordinis et signanter dicti abbatis scandalum, compellat ipsum abbatem de Cheseriaco ad recipiendum dictum religiosum in suo dicto monasterio, aut ad providendum ei in alio, prout rationabilius

iuxta antiquas Ordinis diffinitiones et statuta invenerit esse faciendum, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

23. Audita relatione abbatis Caroliloci, s. th. pr., asserentis fratrem Ioannem de Sancto Iusto, religiosum professum monasterii B. M. de Valle, poenam pro gravibus criminibus iniunctam patienter sustinuisse, praesens Capitulum dictum fratrem ad ipsum monasterium de Valle remissionem approbat, illumque ibidem remanere debere eo modo quo ceteri monasterii religiosi educandum decrevit; quod si dominus eiusdem monasterii commendatarius id facere et expensas per dictum abbatem pro eius punitione et reductione factas refundere renuerit, omnibus et singulis Ordinis abbatibus super hoc requirendis, praecipitur, quatinus praefatum dominum commendatarium per omnes poenas et censuras in privilegiis Ordinis contentas ad praemissa compellant, in plenaria Ordinis potestate.

24. Inspecta fratris Petri Maco, monasterii Sancti Albini, dioecesis Briocensi, a suo dicto monasterio, ut fertur, violenter eiecti supplicatione, praesens generale Capitulum abbati de Begario ordinat et committit, quatinus dictum fratrem in praedictum monasterium Sancti Albini unde professus est, collocet et restituat ad pristinos gradus et locum, et nihilominus, si quid dignum in dicto fratre castigatione et emendatione invenerit, castiget et emendet, in plenaria Ordinis potestate.

25. Attentis matureque pensatis gravibus rebellionibus, insolentiis et scandalosis, pernitiosisque actibus per sororem Mariam Le Cerf, dudum monasterii de Virgulto, sexque dicti monasterii moniales, eius in hac parte complices, in grave Ordinis scandalum, ac ipsius monasterii dispendium commissis et perpetratis, propter quae eaedem moniales ab eodem monasterio, iustitia exigente, fuerint emissae; generale Capitulum paci et quieti modernae abbatissae et conventus dicti monasterii providere, et ne talia deinceps bidem, quod absit, perpetrentur obviare cupiens, praedictis sexi monialibus, sororibus videlicet ... *(locus vacuus)* sub obedientiae poena, habitus regularis privatione, ac alia poena condigna, districtione qua potest, dicti monasterii regressum prohibet et interdicit perpetuo, omnibus et singulis abbatissis, ad quas per praecedentia Capitula merito fuerint emissae, in virtute sanctae obedientiae, et sub depositionis poena praecipiendo, quatinus easdem in suis monasteriis respective detineant, tractent ac regulariter vivere compellant, eisdem sicut et ceteris suorum monasteriorum

monialibus de necessariis providendo; modernae insuper dicti monasterii de Virgulto abbatissae sub similibus poenis earumdem sex emissarum religiosarum receptionem seu introductionem in ipsum monasterium districte prohibendo, et penitus interdicendo; omnibus et singulis ipsius Ordinis abbatibus super hoc requirendis praesentis diffinitionis executionem, in plenaria Ordinis potestate committendo.

26. Abbatibus de Heberbaco et de Valle Sancti Lamberti coniunctim praesens generale Capitulum committit, ut super contractu venditionis seu commutationis certae decimationis in Spira pro qua ex parte abbatis et conventus monasterii B. M. de Hembrots [*Himmerode*] supplicatum est, et cui praesens diffinitio... se diligenter... etc.

27. Ac supplicationem abbatis et conventus de Himmerod pro pecuniaria commutatione nonnullarum decimarum apud Spirensem civitatem longe a dicto monasterio distantium, abbatibus de Heberbacho et de Valle Sancti Petri committit praesens generale Capitulum, quatinus facta super eo diligenti inquisitione, si viderint huiusmodi permutationem seu venditionem fore commodam ipsi monasterio de Himmerod ... etc.

28. Generale Capitulum tamquam de primordiali et omnium summo Ordinis studiorum specialem curam et sollicitudinem gerens de collegio Sancti Bernardi Parisiis, informatum, certis referentium iudiciis, super capitulo statutorum eiusdem collegii quod intitulatur: *De porta claudenda*, iniuncta nova per praesentem dominum abbatem eiusdem capituli limitatione, quod ad intentionem instituentium legitime non servetur, sed diu noctuque ocurrant defectus non modici; ideo abbatibus de Frigidomonte, et de Caroliloco, s. th. pr., simul committit, quatinus sese super eo informent, et pensatis omnibus modis melioribus tam de porta ipsa quam portario eius, et ea tangentibus instituendo disponant et ordinent, in plenaria Ordinis potestate.

29. Querimonia regentis, supprioris et nonnullorum aliorum scolarium collegii Sancti Bernardi Parisiis super regimen bedelli eiusdem collegii graviter audita, praesertim in causa infamationis et scandali dati ab eo, ut fertur, ipsi collegio, ratione commissae ab eo culpae fornicationis vel adulterii, etiam secuto inde puerperio gradienti argumento, praesens Capitulum generale committit abbatibus de Frigidomonte, s. th. pr., et de Vallibus Sernay pariter, quatinus facta super eo sufficienti investigatione super

dicto casu et eum tangentibus omni via rationabili et iusta, dictum crimen vindicent et expient, etiam si ita faciendum invenerint usque ad irrevocabilem dicti bedelli ex collegio eliminationem procedendo, in plenaria Ordinis potestate.

30. Visa supplicatione ex parte fratris Michaelis Ardonyn, professi monasterii de Chalocheyo porrecta, praesens generale Capitulum propter multiplices rationabiles causas ad hoc ipsum moventes, abbati de Savigniaco dicti monasterii de Chalocheyo patri abbati immediate, ordinat et praecipit, quatinus infra tres menses a die intimationis praesentium computandos, dictum monasterium visitet in capite et in membris, singula in eodem, quae digna reformatione invenerint, corrigendo et emendando ; et interea dictum supplicantem in eodem monasterio, in quo professus est, si et postquam facta super vita eius sufficienti examinatione, ita faciendum invenerit, eum collocet et restituat in pristinum eius locum et gradum, et nihilominus iuxta culparum et delictorum ipsius qualitatem, de quibus constaret, corripiat et castiget, in plenaria Ordinis potesate.

31. Audita supplicatione scolaris baccalarii de Escureyo, praesens Capitulum generale eo benevolentiae affectu, quo iugiter solet erga studentium subventionem se facile promptumque exhibere, committit vobis abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., simul, quatinus in subsidium eius, pro tempore lecturae suae sententiarum, super monasteria de Tribus fontibus, de Cheminione, de Belloprato, et de Insula Barrensi, assignetis et solvi faciatis certam quottam pecuniae super singula dicta monasteria, iuxta aequitatis exigentiam, per vos taxandam, in plenaria Ordinis potestate. Quod si forsan ipsa vel aliquod eorum maluerit proprium scolarem ad studium Parisiense transmittere, eo in casu poteritis eidem scolari de Escureyo ad solvendum summam per vos et taxamdam alium loco eius vel eorum eadem auctoritate compellere. Datum in diffinitorio, etc.

[ELECTIONUM CONFIRMATIONES]

32. Electionem, provisionem, institutionem et promotionem de persona fratris Petri Bachimont, bacc. form. s. th., ad monasterium B. M. de Caricampo Ordinis nostri Cisterciensis, dioecesis Ambianensis, per dominum Iacobum abbatem monasterii Pontigniaci, patrem abbatem immediatum eiusdem monasterii, rite

et canonice factam, praesens generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint, in plenaria Ordinis potestate.

33. Electionem... de persona fratris Anthonii Le Besgue, s. th. bacc., ad monasterium B. M. de Belloprato, Ordinis nostri Cisterciensis, Belvacensis dioecesis, per abbatem Caroliloci, abbatis de Urcisampo patris immediati eiusdem monasterii de Belloprato, necnon Rmi D. N. Cisterciensis commissarium, rite, *etc.* supplendo, *etc.*

34. Viso et attento per generale Capitulum processu seu decreto resignationum monasteriorum de Albaripa, in Lingonensi, et de Bullione, in Bisuntinensi dioecesibus, de licentia et consensu Rmi D. Cisterciensis causa et ad effectum translationis seu permutationis factarum, videlicet magistri Nicolai Perret, s. th. pr., de dicto monasterio Bullionis, quod pacifice possidebat, ad praefatum monasterium Albaeripae, et fratris Vincentii Le Marlet de omni iure dicti monasterii Albaeripae sibi tam ex persona sua, quam cessione aliorum ius in illo et ad illud praetendentium, quomodolibet competenti, ad dictum monasterium Bullionis ; visis insuper provisionibus de consensu conventuum utriusque monasterii respective, et aliorum quorumcumque interesse habentium inde secutarum per dominum abbatem Claraevallis, patrem abbatem immediatum utriusque monasterii, partibus ipsis respective factis, idem generale Capitulum praefatum processum seu decretum, cui praesens diffinitio annectitur, ad hoc ut dicta translatio seu permutatio suum plene sortiatur effectum, approbat, ratificat et confirmat, omnes et singulos defectus, si qui forsan in eodem intervenerint, supplendo, ac etiam ipsa monasteria, si et in quantum ad ipsum generale Capitulum illorum provisiones devolutae forent, pro hac vice cuilibet praedictorum, qui modo quo supra resignaverunt respective conferendo, in plenaria Ordinis potestate.

35. Ad idem, confirmatio pro domino de Bullione.

36. Electionem ... de persona fratris Christofori de Bonnerez, in sacra pag. bacc. ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Lanneyo, Ordinis nostri Cisterciensis, in dioecesi Belvacensi, rite et canonice factam et celebratam ac per abbatem de Bellobecco, patrem abbatem immediatum confirmatam ... confirmat, *etc.* supplendo, *etc.*

37. Electionem ... de persona magistri Ioannis de Maceriis,

s. th. pr., ad abbatialem dignitatem B. M. de Gratia Dei, nostri Cisterciensis Ordinis, Bisuntinensis dioecesis, per viam Spiritus Sancte rite et canonice factam, et per abbatem de Charitate immediatum patrem dicti monasterii de Gratia Dei approbatam, *etc.* confirmat, *etc.* supplendo, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

38. Cum nuper pro parte abbatis et conventus de Tribus fontibus generali Capitulo anni praecedentis fuerit supplicatum, quatinus tractatum cessionis, dimissionis et traditionis per eos de domo sua Cathalaunensi, quae dicitur de Richebourg, ad censum perpetuum titulo emphitetico viro nobili et scientifico, magistro Petro de Thousy et eius uxori, pro se suisque successoribus et eorum causam habentibus et habituris dudum factarum, sub conditionibus et clausulis in litteris desuper sub sigillis eorumdem abbatis et conventus confectis habitum et celebratum, tamquam iuri consonum ipsique monasterio accommodum ratificare dignaretur et confirmare; super quo idem Capitulum, *Benedictinae* formam insequendo, abbates de Cheminione et de Monasteriis ad se sufficienter ac debite de praemissis et eorum dependentiis informandum, et eidem Capitulo referendum, prout per diffinitionem eidem tractatui ac praesentibus infixam plenius constat, commisisset et deputasset. Qui quidem commissarii abbates, praehabita de praemissis informatione et inquisitione diligenti suam ipsi Capitulo litteralem sub suis sigillis remiserunt informationem, inquisitionem ac etiam compertae veritatis relationem, praesentibus alligatam; quibus omnibus mature visis ac digestis, rerumque veritate cognita, praesens Capitulum tractatum praedictum ac omnia et singula in praedictis litteris dictorum abbatis et conventus desuper confectis, tamquam iuri et rationi consona et utrique partium profutura, praesentium serie secundum sui formam et tenorem ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

39. Viso tractatu, cui praesens diffinito annectitur, de Caroliloco et de Regalimonte monasteriorum abbatibus coniunctim, praesens generale Capitulum committit, quatinus se debite et diligenter informent, et si dictum tractatum utilem et commodum ipsi monasterio repererint, veritate comperta, secundum sui formam et tenorem confirment, in plenaria Ordinis potestate.

40. Viso praesenti contractu inter partes in eodem nominatas diligenterque examinato, ac ipsi monasterio utili comperto, ac attestationem testium et notariorum regiorum fide dignorum non damnoso, praesens generale Capitulum tractatum praedictum, cui praesens diffinitio annectitur, cum omnibus et singulis in eodem contentis, secundum sui formam et tenorem, ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

41. Audita supplicatione abbatis de Strata, s. th. pr., super confirmatione cuiusdam tractatus et conventionis de novo factae de grangia dicta de Champillon, eidem monasterio pertinente, quam resecato priori tractatu, vi litterarum regiarum inter ipsum monasterium de Strata et ipsam grangiam iam dudum occupantem nacta uberiore opportunitate sub ampliori redditu, eidem contrahentibus tradiderunt ; praesens generale Capitulum dictum tractatum et conventionem sic de novo inter dictos contrahentes initam et passatam approbat, confirmat et corroborat, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

42. Nos frater Iacobus, abbas Cistercii, *etc.* et est talis : Generale Capitulum abbatis et conventus monasterii de Loco Dei in Pontino, Ambianensis dioecesis, humilem supplicationem super aliquibus irrationabilibus contractibus et alienationibus quorumdam membrorum supradicti monasterii in maximam divini cultus diminutionem, monasteriique et fundatorum defraudationem, pietatis oculis attendens, de Belloloco, de Gardo et Fulcardimonte monasteriorum abbatibus, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus omnes et singulos contractus illicitos, irrationabiles, fraudulentos in damnum dicti monasterii de Loco Dei hactenus factos contra papalia et Ordinis nostri decreta, facta, et specialiter contractum super grangia vel manerio de Missegny iuxta Audum, cum suis dependentiis confectum et passatum inter praedictos abbatem et conventum de Loco Dei ex una, et Patrum de Glicoret partibus ex altera, quatinus contra Ordinis privilegia et statuta dictus contractus initus et passatus fuerit, cassent, irritent, annullent, nulliusque roboris et efficaciae declarent, ipsos abbatem et religiosos a iuramentis ratione praedictorum irrationabilium contractuum factis, absolvendo. Datum, etc.

43. Abbatibus de Signiaco et de Ellantio coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatum cui praesens diffinitio annectitur, inter dominum abbatem et conventum mo-

nasterii de Claravalle ex una, et honestum virum Nicolaum Largentier, civem et mercatorem Trecensem, partibus ex altera, initum et passatum, diligenter et debite examinent et inquirant, et si praedictum tractatum partibus ipsis utilem fore compererint, ipsum ratificent, approbent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

44. Abbatibus de Signiaco et de Ellantio coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatum cui praesens diffinitio annectitur, inter abbatissam et conventum monasterii B. M. de Pratis, prope Trecas ex una, et honestum virum Nicolaum Largentier, civem et mercatorem Trecensem, partibus ex altera, initum et passatum, *etc. ut supra.*

45. Abbatibus de Signiaco ... *etc. ut in n*° 43, *pro alio tractatu.*

46. Abbatibus de Signiaco et de Ellantio coniunctim praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatum, cui praesens diffinitio annectitur, inter dominum abbatem et conventum monasterii de Claravalle ex una, et dominam Sabinam, relictam Claudii Le Tartrier et suos liberos, ac alios in dicto tractatu nominatos, partibus ex altera, initum et passatum, *etc. ut supra.*

REHABILITATIONES

47. Generale Capitulum audita supplicatione fratris Ioannis Compere dicti Adam, religiosi monasterii de Pietate super rehabilitatione obtinenda pro contagio carnis, evagatione a monasterio suo, iniectione manuum violenta in confratres suos, pro quibus poenitentiam egit, attento bono proposito omnia emendandi, prout commissarii Rmi didicit relatu, ad supplicationem dicti commissarii dictum generale Capitulum ipsum fratrem Ioannem Compere ad omnes Ordinis actus, voces et officia, rehabilitat, inhibendo omnibus et singulis Ordinis nostri personis sub poena talionis, ne aliquid horum eidem fratri Ioanni improperet, in plenaria Ordinis potestate.

48. Audita et inspecta supplicatione per abbatem monasterii B. M. de Caricampo, praesens generale Capitulum misericorditer agere volens cum religioso suo, videlicet fratre Philippo de Rantre qui, suadante diabolo, egressionis quindecim dierum a suo praedicto monasterio, bina vice reiterata, non tamen habitu regulari deposito, quodammodo apostataverit, delato secum furtive

prima vice cipho uno seu tassea argentea, idem generale Capitulum supposita poenitentia praemissorum delictorum, quam patienter per eumdem abbatem suum egisse asseritur, eumdem fratrem Philippum absolvit et rehabilitat ad omnes actus legitimos, gradus, officia, ordines et dignitates eumdem habilem faciendo et declarando, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

49. Exhibita generali Capitulo pro parte venerabilis coabbatis nostri monasterii de Alna, ipsius Ordinis nostri in dioecesi Leodiensi, petitio continebat, quod a certo tempore fratres Bernardus de Nyvella et Ioannes Bersebet, sacerdotes ipsius monasterii de Alna religiosi professi, iteratis vicibus apostataverunt et apostasia durante missas celebraverunt, aliisque officiis divinis temere se pluries immiscuerunt, frater quoque Iacobus Boscan, diaconus eiusdem loci religiosus professus, durante apostasia similiter per eum contracta, divinis se ministerialiter ingessit, propter quod irregularitatis et infamiae notam incurrerunt, supplicans, quatinus de medio providere dignaretur salutari, praesens generale Capitulum, attenta huiusmodi supplicatione, ac eorumdem salutari poenitentia et vitae prioris emendatione, cum eisdem misericorditer super irregularitatibus dispensat, ut non obstantibus praemissis omnibus ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, gradus et officia, si sua in posterum id exigant merita, suorumque superiorum intervenerit assensus, promoveri valeat et assumi, in plenaria Ordinis potestate.

50. Generale Capitulum petitioni domini abbatis de Pontigniaco verbaliter expositae tamquam rationabili, suorum intuitu meritorum, favorabiliter condescendens, eidem facultatem tribuit et potestatem duodecim ipsius Ordinis personas sexus utriusque, ab omni inhabilitatis et infamiae macula per eas aut earum alteram, suis exigentibus culpis contracta, infra annum, praemissa tamen iuxta qualitatem delicti poenitentia salutari, relevandi, et ut praemissis non obstantibus ad omnes ipsius Ordinis actus legitimos, voces, gradus, dignitates et officia, *etc. ut supra.*

51. Ad supplicationem abbatis de Hemmerod generale Capitulum cum fratre Francisco de Treveris, ut non obstante contagio carnis, in quod suggerente maligno naturae humanae hoste prolapsus est, et de quo convictus extitit, iniunctam super illo poenitentiam humiliter peregerit, ad omnes gradus, actus, voces et officia promoveri possit et valeat, misericorditer dispensat, in plenaria Ordinis potestate.

52. Audita supplicatione fratris Petri Guerre, professi monasterii de Albis petris, super rehabilitatione apostasiae quam pro recessu ex praedicto monasterio absque licentia videtur incurrisse, praesens generale Capitulum committit abbati de Varennis, quatinus investigatis diligenter et cognitis, quae circa hoc investiganda sunt et cognoscenda, faciat circa dictum religiosum quidquid pro salute eius viderit expedire, etiam ipsum, si eius vitae et emendationis merita exegerint, ad omnes Ordinis gradus, actus, voces et officia plene restituendo, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

53. Audita supplicatione fratris Ioannis Cheybingues, religiosi professi monasterii B. M. de Boheriis, convicti et confessi super contagio carnis, secuto inde puerperio, praesens generale Capitulum supposita ipsius fratris emenda, et expleta super eo poenitentia condigna, dictum fratrem rehabilitat per praesentes, ad omnes actus, gradus et officia, dum tamen abbatis sui dicti monasterii de Boheriis consensus intervenerit, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

54. Ad idem, pro fratre Tussano Brojart, religioso monasterii de Belloprato Belvacensi, qui absque licentia se a suo monasterio per spatium trium septimanarum absentaverat, habitu suo pro parte dimisso.

55. Rehabilitatur ad supplicationem abbatis de Igniaco frater Ioannes Le Kint, ipsius monasterii de Igniaco professus, super contagio carnis, secuto inde puerperio, solum ad resumptionem habitus regularis, ad omnes gradus et officia, praeterquam ad prioratum dicti monasterii, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

IUDICES

56. Domino abbati Claraevallensi, abbatibusque de Caroliloco, s. th. pr., de Tribus fontibus et de Valcellis, et eorum cuilibet in solidum praesens committit generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, quas tam per testes fide dignos, litteras, scedulas,obligationes, aliave legitima documenta, compererint erga abbatem, monasterium et personas de Boheriis efficaciter teneri et colligari, eosdem partibus auditis ad debite eisdem de summis et rebus debitis satisfaciendum seu componendum, compellent, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

57. Dominis abbatibus de Claravalle et de Vallelucenti, et

cuilibet eorum in solidum, committit praesens generale Capitulum, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, utriusque sexus, seu earum monasteria aut quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta, honesto viro Michaeli Hannequin mercatori Trecensi invenerint legitime teneri in quibuscumque, etc.

58. Praesens generale Capitulum nolens abbatem Ordinis iniurias tolerare, aut eas perpetratas sine punitione debita deserere, abbatibus de Igniaco et Signiaco, et cuilibet eorum in solidum, committit ut super iniuriis et contumeliis abbati de Ellantio, quomodocumque per suos religiosos aut alias personas Ordini subiectas comminatis, irrogatis et perpetratis, diligenter se informent, easque condigne puniant, ac criminosos, prout ratio exegerit, corrigant, ita ut ceteris cedat in exemplum, in plenaria Ordinis potestate.

59. Dominis abbatibus de Rigniaco, de Quinciaco et de Vallelucenti, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas, *etc.* ... monasterium de Candelio ... *etc. ut supra.*

60. Ad idem, pro domino de Pontigniaco.

61. Ad idem, pro abbate de Caroliloco.

62. De Caroliloco, s. th. pr., et de Valcellis abbatibus, et eorum cuilibet in solidum, committit generale Capitulum, quatinus de et super contentis in supplicatione et extractis praesenti diffinitioni annexis, debite diligenter ac fideliter, vocatis vocandis, se informent, et rerum veritate cognita, debitum iustitiae complementum partibus impendant, abbatissam et conventum de Virgulto ad debite satisfaciendum abbati de Boheriis de summis per easdem ratione prosecutionis agendorum processuum ac provisionum et reparationem dicti monasterii et personarum de Virgulto, uti per cedulas, obligationes et recognitiones earumdem plenius constiterit atque constat ; contradictores ac solvere renuentes ad hoc iuridice compellendo, in plenaria Ordinis potestate.

63. Dominis abbatibus de Frigidomonte, s. th. pr., de Regalimonte, de Vallibus, de Barbello, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas ... *etc.* domino abbati de Caroliloco aut monasterio suo... *etc.*

64. Ad supplicationem subditorum abbatis Cheseriaci, qua petebant abbatem Cheseriaci compelli ad observationem et adim-

pletionem certae conventionis seu transactionis inter ipsos initae et factae, praesens generale Capitulum committit abbati de Miratorio, ut super dicta conventione seu transactione se diligenter informet, et si ad utilitatem praefati monasterii de Cheseriaco dictam conventionem factam esse cognoverit, compellat abbatem eiusdem monasterii ad illius observantiam et adimpletionem circa praemissa, procedat, prout iuris fuerit et rationis, in plenaria Ordinis potestate.

65. Audita supplicatione abbatis de Rigniaco super renovatione cuiusdam diffinitionis quondam factae confirmatoriae cuiusdam tractatus fundationis duarum missarum in eodem monasterio de Rigniaco, praesens generale Capitulum committit dominis abbatibus de Pontigniaco, de Albaripa, Longovado et Quinciaco, et cuilibet eorum in solidum, quatinus se super dicto tractatu diligenter informent, et si invenerint dictum tractatum dicto monasterio esse utilem et commodum, eum confirment, renovent et corroborent de novo, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

66. Nos frater Iacobus, abbas Cistercii, *etc.* et est talis : Audita supplicatione ex parte nobilis viri Guillelmi de Fontainne, domini de Viennes super certa pecuniae summa, videlicet 60 libr. turon. levari et percipi solita, annis singulis super dominium et pertinentias dicti loci de Viennes, per abbatem et conventum monasterii de Valle B. M. Ordinis nostri Cisterciensis, dioecesis Parisiensis, ratione fundationis certi obitus, dicente ipso nobili ad hoc se non teneri ; ideo vobis abbatibus de Caroliloco, de Frigidomonte, de Regalimonte, et duobus vestrum simul, committit quatinus dictis partibus exigentibus et vos debite informantibus super dicta materia, de ipsa deque circumstantiis et dependentiis eius cognoscatis, et prout ad utilitatem dicti monasterii de Valle inveneritis esse secundum ius et iustitiam faciendum, libere disponatis, ordinetis et sententietis, etiam aliam recompensam pro dicto redditu, si bonum visum fuerit, admittendo et acceptando, in plenaria Ordinis potestate.

67. Dominis abbatibus de Pontigniaco, de Morimundo, de Quinciaco et de Moris committit praesens generale Capitulum, quatinus querelas et actiones inter fratres Petrum Malcourant, priorem Vallis crescentis ex una, et Alanum Girardot monasterii Albaeripae professum partibus ex altera, audiant et unicuique debitum iustitiae complementum ministrent usque ad sententiam diffinitivam inclusive, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

SUFFRAGIA

68. Frater Iacobus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Capituli generalis eiusdem Ordinis, generoso domino, domino Gratiano Daguerre, baroni de Rumigniaco, militique strenuo, salutem et pecum suffragium salutare. Quamquam lege divinae charitatis ... *etc.* piae devotionis affectu, quem ad nos et nostra monasteria, referente venerabili coabbate nostro de Signiaco, intelleximus vos habere ... plenariam vobis concedimus participationem omnium bonorum spiritualium... *etc. ut in forma consueta.*

69. Ad idem, pro illustrissimo ac potentissimo principe domino Philippo de Croy, comite de Chimaco, eiusque generosissima consorte, domina de Labiert comitissa, ad supplicationem dicti domini abbatis de Signiaco.

70. Ad idem, pro generoso et strenuissimo viro domino Iacobo de Beaulne, regis consiliario, et generali Franciae, una cum sua coniuge et liberis.

71. Ad idem, pro solertissimo et discretissimo viro magistro Renato de Beaulne, locumtenente praepositi curiae Castelleti Parisiis, una cum sua conthorali et liberis.

72. Ad idem, pro magistro Ioanne Garsonnet, procuratore Claraevallis in curia Parlamenti Parisiis, una cum sua coniuge et liberis.

73. Ad idem, pro Ioanne de Presente villiers, scutifero domino Dorières, et Paula de Coblan eius conthorali, pro Ioanne de Borbone et Ioanna de Coblan, ad instantiam domini abbatis de Morimundo.

74. Ad idem, pro nobili ac honesta domina, domina Iaquelina de la Thoronte, ad supplicationem abbatis Caroliloci, eius fratre.

75. Ad idem, pro honorabili viro Matheo Bolignière scutifero, Rmi D. abbatis Cistercii, ac magistro Iuliano Bolignière, eius fratre germano.

76. Ad eidem, pro generoso et honorabili viro Humberto Callot et Ioanna eiusdem uxore et liberis.

77. Ad idem, pro domino Michaele, episcopo Lingonensi, ad instantiam domini abbatis Claraevallis.

78. Ad idem, pro magistro Petro de Pilles, fratre domini abbatis Claraevallis, ad instantiam eiusdem domini Claraevallis.

79. Ad idem, pro magistro Petro de Vers, ad instantiam abbatis Theoloci.

80. Generale Capitulum ad supplicationem abbatis de Begario, Ordinis commissarii in Britanniae partibus, concedit plenam participationem omnium suffragiorum Ordinis omnibus visitantibus et de bonis suis largientibus ad fabricam et structuram quarumdam capellarum de novo aedificatarum prope et circa dictum monasterium de Begario ad honorem beati Nicolai, in plenaria, etc. Datum, etc.

81. Universis Christi fidelibus has praesentes visuris et audituris, frater Iacobus abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Cisterciensis in hoc Capitulo congregatorum, totum Ordinem Cisterciensem representans, debitis cum honore et reverentia, orationum in Domino suffragium salutare. Quamquam generaliter intercedere pro omnibus sanctae matris Ecclesiae alumnis, tum praecepto charitatis, tum singulari nostrae professionis obligatione simus astricti, his tamen familiarius orationum nostrarum suffragia impertiri consuevimus, qui nobis et nostro Ordini, personisque ac locis eiusdem ampliori charitatis vinculo affici dignoscuntur ; exigente igitur piae devotionis affectu, quem honorabilis vir Nicolaus Morelet, mercator apud locum de Mirabello, Lingonensis dioecesis, commorans, ad nos et Ordinem nostrum, ut relatu et expositione venerabilis coabbatis nostri monasterii de Bullione, habere dignoscitur et comprobatur, instantissimis eius precibus condescendere volentes, omnibus et singulis praesentibus et futuris utriusque sexus, qui visitando ecclesiam parochialem B. M. V. de dicto Mirabello, altareque sancti Ioannis Baptistae et sancti Nicolai situm in dicta ecclesia, ad quod singularem dictus Nicolaus Morelet gerit affectum, in qua quidem ecclesia zelo devotionis accensus ad laudem omnipotentis Dei eiusque Genitricis Virginis Mariae, et eorumdem sanctorum, tam pro sui quam parentum suorum salute acquirenda, ad latus dicti altaris ante imaginem crucifixi prope duo sepulchra seu tombas, in quibus corpora suorum praedecessorum requiescunt, unum aquaticum seu vas de cupro ad aquam benedictam tenendam, et super corpora defunctorum iuxta devotione a populi aspergendam sumptuoso opere inibi construi fecit, divinum auxilium invocando *Pater noster* et *Ave Maria* dicendo, aquam benedictam ex dicto aquatico super dicta sepulchra seu tombas aspergendo, oraverint,

plenam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet, *etc. ut in forma consueta.*

1514

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1514.

DIFFINITORES : De **Cistercio**, s. th. pr., de Prulliaco, de Miratorio de Vallelucenti, monasteriorum abbates ; de **Firmitate**, de Thela, de Roseriis, de Signiaco, monasteriorum abbates ; de Caroliloco, s. th. pr., loco domini **Pontiginaci**, de Bonoradio, de Ioyaco, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Igniaco, de Longovado, de Bullione, monasteriorum abbates ; de Strata, s. th. pr., loco domini **Morimundi** de Gratia Dei. s. th. pr., de Aceyo, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : De Signiaco, de Vallelucenti, monasteriorum abbates, frater Petrus de Veteri villa, frater Guillemus Radulphi s. th. regens collegii S. Bernardi Parisiensis.

MAGISTRI CÆREMONIARUM : de Claravalle, prior et supprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : Provisor collegii.

RECEPTOR EXCUSATIONUM : de Longovado monasterii abbas, et loco eius frater Annethus de Montepetroso.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Roseriis, et loco eius frater Nicolaus Boucherat, in sacra pagina licentiatus.

NOTARII ABBATES : de Gratia Dei, s. th. pr., de Miratorio.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Aceyo, de Bullione, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : frater Claudius de Pontescisso, frater Peregrinus de Divione, Cistercii professi.

RECEPTORES CONTRIBUTIONUM : Rmus et quos voluerit deputare.

B) Nomina abbatum qui interfuerunt hoc anno praesenti in generali Capitulo. Rmus D. N., dominus de Firmitate, de Claravalle, de Caroliloco, loco domini de Pontigniaco, de Strata, loco domini de Morimundo, de Prulliaco, de Gratia Dei, de Igniaco

1514. *Fontes* : A^4 : A), 1-5 *(abbrev.)*, 6-10, 39, 40 ; L^6 : A), B), 1-67 ; P^2: 1, 12 ; 17, 39, 41. 67.

de Signiaco, de Miratorio, de Longovado, de Thela, de Aceyo, de Ioyaco, de Vallelucenti, de Bullione, de Bonoradio, de Roseriis.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo quarto, in generali Capitulo, tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... et maxime pro domino Christoforo, miseratione divina tituli sanctae Praxedis, S. R. E. presbytero cardinali Angliae, nostrique Ordinis in Curia protectore benivolo, etc.

2. Praeterea pro serenissimo ... etc.

3. Insuper pro burgensibus ... etc.

4. Ceterum pro pace ... etc.

5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Iacobus ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa ... *(locus vacuus)* pro resta computationum ... *etc.*

7. Attenta negligentia multorum abbatum, qui hoc anno ad generale Capitulum non venerunt, neque se legitime excusaverunt, cum tamen secundum *Benedictinam,* et alia Ordinis statuta ac privilegia, comparere aut excusatores mittere tenebantur, praesens generale Capitulum declarat eos incurrisse poenas in ipsis *Benedictina,* privilegiis apostolicis ac statutis Ordinis contentas, nisi proximo generali Capitulo de causis, huiusmodi non comparitionis sufficienter et legitime constare fecerint. Et nihilominus ex tunc idem generale Capitulum ex abundanti ordinat et praecipit, quatinus omnes et singuli abbates ipsius Ordinis sub eisdem poenis in proximo generali Capitulo comparere habeant, iniungendo singulis Ordinis commissariis tam ad visitandum, quam ad contributiones levandum deputatis, qui nunc sunt et pro tempore

---

[a] *Titulus apud* A^4L^6. [b] Sub Leone... *etc.* : P^2.

erunt, ut praesentem diffinitionem per se vel alios debite notificent, insinuent et intiment, abbatibus monasteriorum in suis commissionibus comprehensorum, et de huiusmodi eorum notificatione et insinuatione per legitima documenta dictum proximum generale Capitulum certificent, cum intimatione quod sive venerint sive non, procedetur contra eos ad declarationem dictarum poenarum, et ulterius in ceteris Ordinis agendis et materiis, prout iuris fuerit et rationis.

8. Licet a certis annis nonnullis considerationibus dictum extitisset et ita practicatum, quod die dominico ante dies Rogationum abbates et ceterae Ordinis personae ad generale Capitulum venientes possent ad hoc Cisterciense monasterium libere intrare; nihilominus praesens generale Capitulum aliis rationibus permotum statuit, diffinit et ordinat, ut deinceps expectetur ad diem lunae de mane, quo poterunt, morem antiquum insequendo, egredi de Divione, vel aliis locis et ad istud monasterium Cisterciense continuo accedere, praefatum Capitulum generale eadem die ante prandium more solito incepturi et celebraturi.

9. Attenta negligentia, incuria et contemptu abbatum noviter ad dignitates abbatiales promotorum, praesens generale Capitulum approbat, confirmat et ratificat diffinitionem quondam per generale Capitulum factam, quod videlicet in abbatiales dignitates noviter promoti teneantur ad proximum tunc generale Capitulum decreta suarum electionum afferre aut mittere, sub poena cadendi a iure suo, ad videndum si patres abbates aut alii commissarii in eorum electionibus et provisionibus praesidentes, aut etiam et eligentes recte in eisdem processerint.

10. Iuxta praemissam diffinitionem, citati sunt ad requestam promotoris causarum praesentis generalis Capituli duo noviter promoti in abbatias de Villanova et Buzayo, Nannetensis dioecesis, cuius executio commissa est domino abbati Claraevallis in plenaria Ordinis potestate.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

11. Attenta favorabili prosecutione abbatis de Strata, s. th. pr., in materia appellationis nuper per quemdam Robinetum Dondeville, in monasterio monialium nostri Ordinis de Aqua prope Carnotum famulantem a sententia ballivi eiusdem civitatis Carnotensis ad curiam Parlamenti Parisiensis interiectae, prae-

sens generale Capitulum considerans huiusmodi appellationis processum non modo ipsum abbatem de Strata, sed etiam totum Ordinem concernere, in favorem tam processus quam dicti abbatis zelo Ordinis prosequentis, vult, decernit et ordinat, ut generalis procurator Ordinis in dicta curia Parlamenti Parisiis institutus, se dictae appellationis prosecutioni adiungat omne iuvamen et auxilium praestando, in plenaria Ordinis potestate.

12. Generale Capitulum vult, diffinit et ordinat effectum clausulae positae in carta visitationis monasterii de Brolio Benedicti per patrem abbatem de Vallibus Sernay, videlicet, nec de cetero volumus eos, imo etiam prohibemus aliquem alium recipere visitatorem praeter Rmum D. Cistercii, qui ipsum monasterium scilicet de Brolio Benedicti visitet, aut aliquam in ipso exerceat iurisdictionem absque permissione et nostra voluntate esse suspendendam, prout suspendit usque ad generale Capitulum proxime venturum ; decernitque ipsum esse citandum ad proximum generale Capitulum, dicturum causas propter quas abstulit alias chartas visitationis, tam per Rmum D. Cistercii, quam per alios nonnullos Ordinis commissarios, iam prius in eodem monasterio de Brolio Benedicti relictas et datas. Executionem autem huiusmodi diffinitionis committit abbati de Caroliloco, s. th. pr., et quibus voluerit iniungere, in plenaria Ordinis potestate.

13. Praesens generale Capitulum sententias per abbatem de Prulliaco, de Regalimonte, de Gimonte et de Barbello, per abbatem de Caroliloco in hac parte commissos contra fratres Petrum de Luperis, Caroliloci, et Petrum Souchet, de Misericordia Dei monasteriorum professos, latas in materia criminali furtorum et sacrilegiorum per dictos fratres perpetratorum, per quarum unam dictus frater Petrus de Luperis in pane doloris et aqua tristitiae ad perpetuos carceres, et dictus Souchet ad tres annos continuos in simili poena, videlicet pane doloris et aqua tristitiae in carcere clausus, condemnati sunt, idem generale Capitulum confirmat, ratificat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

14. Generale Capitulum, attenta determinatione facultatis theologicae Parisiis facta de stipendiis regentis collegii Sancti Bernardi Parisiis contra bedellum et pro ipso regente, approbat, ratificat et confirmat dictam determinationem, non obstante appellatione abbatis Caroliloci, proprio et non procuratorio nomine, allegantis alias super hoc conclusum extitisse per dictum generale Capitulum.

15. Audita relatione abbatis de Tela, commissarii tam generalis Capituli quam patris abbatis, scilicet de Claravalle, in monasterio de Alpibus super malitia et incorrigibilitate fratris Ioannis Ursi, praesens generale Capitulum fratrem Ioannem condemnat ad carceres in pane et aqua per octo dies, sumpta prius disciplina regulari in capitulo huius monasterii ; et nihilominus eum eliminat a praedicto monasterio de Alpibus et transfert ad monasterium de Ripatorio, illic mansurum usque ad aliam Capituli generalis dispositionem, hac tamen conditione quod praedictum monasterium de Alpibus tenebitur singulis annis pro victu et vestitu dicti religiosi eidem monasterio de Ripatorio in summa duodecim scutorum ; praecipitur igitur sub Ordinis censuris abbati de Ripatorio, necnon singulis eiusdem monasterii officiariis et personis regularibus, ut dictum fratrem Ioannem Ursi, sic ut dictum est, ad illud translatum recipiant et tractent sicut ceteros eiusdem monasterii religiosos. Praecipitur insuper sub eisdem censuris dicto domino commendatario et singulis eiusdem monasterii de Alpibus officiariis et monachis respective etiam, ut dictam summam duodecim scutorum annis singulis tradant et consignent dicto abbati de Ripatorio, in plenaria Ordinis potestate.

16. Generale Capitulum policiae, regimini et ordinationi sui Ordinis attente providere cupiens, attendens nonnulla Ordinis monasteria contra iuris communis et statutorum Ordinis determinationem adeo excedere in numero religiosorum, ut monasteriorum facultates minime sufficere possint sustentationi eorumdem religiosorum, ideo dictum generale Capitulum singulariter de et super tenuitate monasterii de Loco Dei in Pontino sufficienter informatum iubet et praecipit abbati eiusdem monasterii de Loco Dei, quatinus ultra numerum quindecim aut sexdecim monachorum deinceps recipere non praesumat.

17. Generale Capitulum informatum super morte piissimae memoriae Rmi D. cardinalis Nannetensis, quondam protectoris Ordinis in romana Curia, eiusdem Ordinis utilitati salubriter providere cupiens, unanimiter sibi in novum protectorem assumit et eligit, sub beneplacito domini nostri Papae moderni, Rmum in Christo patrem dominum Christoforum, miseratione divina tituli Sanctae Praxedis S. R. E. presbyterum Eboracensem cardinalem, rogando et supplicando humillime praelibatum sanctissimum dominum nostrum Papam, ut dictum Rmum D. cardinalem in protectorem eiusdem Ordinis nostri dignetur acceptare.

COMMISSIONES

18. Querimonia contra moniales de Sancto Thoma, in dioecesi Trevirensi, Ordinis nostri Cisterciensis, super insolentiis et rebellionibus earumdem graviter audita, praesens generale Capitulum de possibili remedio more suo sollicite providere cupiens, religioso viro et zelatori Ordinis praecipuo, fratri Nicolao Edeger, professo in Heymerode, iniungendo committit, quatinus ipsum monasterium et personas regulares eiusdem monasterii visitet, dirigat, puniat et corrigat rebelliones eorumdem pro virili compescendo ; necnon singulos defectus, si quos invenerit, ad debitae emendationis regulam reducendo, secum pro auxilio et favore vocatis abbatibus de Eberbac, in dioecesi Moguntinae, Heisterbach in dioecesi Coloniensi, Hymerode in dioecesi Trevirensi, Altenberg in dioecesi Coloniensi, et Mergenstach in dioecesi Trevirensi, vel aliquo ipsorum, in plenaria Ordinis potestate.

19. Praesens generale Capitulum negotiis aliis plurimis occupatum, committit dominos abbates Firmitatis et Claraevallis, et quemlibet eorum, ut, assumpto uno vel duobus de vicinioribus abbatibus circa Parisios, secum audiant computationes trium annorum prius computandorum aedificii ecclesiae S. Bernardi Parisiis, ad concludendum, approbandum vel reprobandum easdem, prout rationabiliter cognoverint faciendum, in plenaria, etc.

20. Audita ex parte abbatis Boniradii querimonia super rapinis, violentiis et excessibus in eodem monasterio de Bonoradio, per fratrem Michaelem, Pontigniaci professum, perpetratis ; praesens generale Capitulum committit abbatibus de Frigidomonte, s. th. pr., et de Regalimonte, quatinus causis hinc inde auditis partibus, iustitiam ministrent, in plenaria Ordinis potestate.

21. Praesens generale Capitulum legitime informatum fratrem Aegidium, de Longoponte professum, sibi iniunctam poenitentiam humiliter et patienter in monasterio de Salem sustinuisse, idem generale Capitulum monet abbatem dicti monasterii de Longoponte, et nihilominus praecipit ut dictum fratrem Aegidium, professum dicti loci de Longoponte, recipiat, tractet et sibi provideat in vitae et vestibus necessariis ; huius autem diffinitionis executionem dictum generale Capitulum abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte committit in plenaria Ordinis potestate.

22. Praesens generale Capitulum miseratione commotum erga

fratrem Laurentium Desgrijs, professum in Sacracella, qui pro favore Ordinis, per commendatarium monasterio suae professionis, videlicet de Sacracella, dicitur eiectus extitisse ab eodem monasterio, in non parvum Ordinis et suae personae scandalum, ordinat et praecipit abbati de Barbello, ut dictum fratrem Laurentium recipiat in suo monasterio, providendo sibi de victu et vestitu sicut uni de religiosis suis, sub ea tamen conditione quod a proprio monasterio de Sacracella sibi singulis annis providebitur in summa decem librarum turon. ; quare idem generale Capitulum praecipit eiusdem monasterii de Sacracella commendatario, omnibusque eiusdem monasterii officiariis et personis regularibus respective, quatinus annis singulis dictam summam decem librarum turon., usque ad aliam Capituli generalis dispositionem, abbati de Barbello procurent et consignent, in plenaria Ordinis potestate.

23. Ad idem, pro fratre Nicolao de Maceriis, monasterii de Ellancio professo, ut abbas dicti loci habeat dictum fratrem recipere, abbatibus de Igniaco et Signiaco huius diffinitionis executionem committendo.

24. Audita supplicatione ex parte religiosorum et conventus monasterii Bonaecumbae, dioecesis Ruthenensis, pro permutatione seu alienatione, vel non census datione, quarumdam vinearum in territorio vulgo appellato de Bogones, situatarum, quae quidem vineae ob distantiam et multitudinem commode ab eodem monasterio excoli non possunt ; praesens generale Capitulum abbati de Candelio eiusdem monasterii de Bonacumba patri immediato, committit quatinus facta de dictis alienationibus diligenti inquisitione, prout compererit eas ipsi monasterio fore utiles vel inutiles referat in proximo generali Capitulo, ad confirmandum vel infirmandum.

25. Abbatibus de Strata, de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., et duobus eorum simul, committit praesens generale Capitulum auctoritatem cognoscendi, iudicandi et decidendi usque ad sententiam diffinitivam inclusive, in causa iuris devoluti iam dudum fratri Ioanni de Maceriis, s. th. pr., per Rmum D. N. Cisterciensem dati et concessi et ab eodem fratre Ioanne de Maceriis acceptati et admissi, in et super iure abbatiae de Bullencuria, Trecensis dioecesis, in plenaria Ordinis potestate.

26. Generale Capitulum de quamplurimis excessibus, multiplicibusque insolentiis per nonnullos de Grandisylva monachos, et praesertim per fratres Guillermum Lafos, assertum sindicum

praedicti monasterii, necnon Ioannem de Romacho, Bernardum Berengarii, Hugonem Sabaterii et Anthonium Hardisas, commissis et perpetratis satis superque et quam sufficientissime informatum, cupiensque in eodem monasterio extirpando vitia virtutes inserere, corrigendoque excessus mores reformare, ut inde flores honoris et honestatis fructus in ubertate succrescant, providereque ne ipsorum consortio ceteri dicti monasteri monachi depraventur, aut nequiores fiant, verum potius ad regularem et monasticum vivendi modum attrahantur, expedireque iudicans ut oves morbidae, ne ceteras inficiant, ab ovili arceantur et expellantur, errantesque ad viam salutarem reducantur, ordinat, diffinit et decernit quod praedicti quinque monachi transferentur, prout eos transferendos decernit et declarat a supradicto monasterio Grandissylvae, dictos scilicet Lafos et de Romacho ad monasterium Claraevallis a quo dependet immediate monasterium praedictum Grandissylvae ; ceteros vero tres ex praedictis quinque videlicet Berengarii, Sabaterii ad monasterium de Mansiade, et Ardusas *(sic)* ad monasterium de Palatio, singulis respective in praetactis monasteriis mansionem deputando, donec et quousque per abbatem ipsius monasterii Claraevallis, quem ad hoc delegat et committit, aliter fuerit ordinatum, seu per idem generale Capitulum, aut alium Ordinis commissarium, expensis monasterii Grandissylvae, privatque et destituit praenominatum fratrem Guillermum Lafos, ipsumque privandum declarat ac destituendum ab officio sindicatus in dicto Grandissylvae monasterio, illi sub poena inobedientiae, aliisque censuris Ordinis prohibendo et iniungendo, ne de cetero illud officium exerceat ; insuper praecipit et ordinat ipsum praesens generale Capitulum priori ceterisque religiosis supradicti monasterii Grandissylvae, ut ad electionem alterius sindici, providi et maturi viri, quamcitius commode fieri poterit a tempore insinuationis praesentis diffinitionis procedant ex consensu, iudicio et voluntate abbatis de Candelio eorum commissarii, illumque ex ipsis eligant, quem idoneiorem et utiliorem fore cognoverint ad illud officium recte debiteque exercendum ad opus et utilitatem dicti monasterii, super quo eorum conscientiam onerat et astringit. Praeterea ut ab ipsis religiosis tollatur occasio evagandi, idem generale Capitulum omnibus et singulis dicti monasterii religiosis inhibet, vetat ac defendit sub inobedientiae et excommunicationis latae sententiae poena, a qua non nisi ab ipso generali Capitulo aut

eius commissario, vel Rmo D. N. Cistercii seu ab abbate Claraevallis, dicti monasterii Grandissylvae patre abbate immediato, absolvi poterunt, aut eorum commissario vel commissariis absolvi poterunt, ne ipsum monasterium pro quacumque causa exire praesumant, exceptis officiariis, quibus pro negotiis eorum officia concernentibus de prioris permissione et licentia exire permittitur. Confert ulterius idem generale Capitulum praedicto abbati de Candelio auctoritatem praedictos religiosos excommunicatos corrigendi et, poenitentia eis salutari iniuncta, absolvendi ab omnibus Ordinis censuris et excommunicatione, eamdemque potestatem dicto priori conferendi, si ita viderit expedire, necnon in praemissis omnibus et singulis ceterisque omnibus quae observantiam regularem in eodem monasterio Grandissylvae respiciunt agendi, exsequendi, iudicandi et sententiandi, in plenaria Ordinis potestate.

27. Audita supplicatione ex parte abbatis de Caroliloco, s. th. pr., pro confirmatione tractatus quondam initi, facti et passati inter abbatissam et conventum de Vicinis ex una, et honorabilem virum Droyn Jaquet, notarium regium in castellis Aurelianensibus, partibus ex altera, prout in quadam copia papirea praesenti diffinitioni annexa plenius continetur, abbatibus de Curia Dei et de Eleemosina coniunctim, praesens generale Capitulum committit, quatinus se super eo diligenter informent et quidquid invenerint pro utilitate dicti monasterii esse agendum, in proximo generali Capitulo referant et renuntient.

28. Ad idem, de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Fonteneto ex una, et priorem Valliscrescentis partibus ex altera, domino abbati de Claravalle et abbati de Longovado, praesens generale Capitulum committit ad referendum in proximo generali Capitulo, in plenaria, etc.

29. Praesuppositis humili supplicatione abbatis in Heymerode, Ordinis nostri Cisterciensis, dioecesis Trevirensis, super tractatu quarumdam decimarum, quas monasterium idem de Heymerode possidebat in villa Spirensi vendendarum seu alienandarum, commissioneque Capituli generalis anno praecedente 1513 duobus abbatibus, videlicet de Eberbacho et de Valle Sancti Petri coniuncti super eo directa, necnon demum relatione eorumdem, quibus omnibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum memoratum tractatum, cum eum praesentem non habeat, secundum omnem sui formam et tenorem confirmandum, rati-

ficandum et approbandum eisdem duobus abbatibus de Eberbacho et de Valle S. Petri committit, in plenaria Ordinis potestate

30. Praesens generale Capitulum abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Gardo, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus bonae memoriae Roberti Radulphi oblationem ultimae voluntatis testamento roboratam, factam abbati et conventui monasterii de quadam fundatione in eodem monasterio de Caricampo ad ipsius defuncti et haeredum suorum petitionem contemplentur et examinent, et demum de quantitate et merito fundationis fideliter proximum generale Capitulum certificent.

31. Visa supplicatione abbatis de Heymerode, praesens generale Capitulum plenariam concedit potestatem dicto abbati, quatinus omnes et singulas dicti loci personas in foro conscientiae infra diem Assumptionis B. M. V. proxime venturum, subiectasque dicto abbati moniales ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis absolvere possit et valeat, ut plenaria Ordinis potestate.

32. Audita supplicatione ex parte abbatissae et conventus Clarifontis, Cisterciensis Ordinis, Trevirensis dioecesis, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum, tam in causa principali decimae illic mentionatae, quam in causa suspicionis per easdem supplicantes allegatae, easdem ad eosdem iudices, videlicet abbates de Villerio Metensi et de Freistorf, cum potestate iam eisdem super hoc collata, remittit et committit, in plenaria Ordinis potestate.

33. Audita supplicatione abbatis de Chasseneya pro fratribus Iacobo Sochery, priore, et Andrea eiusdem monasterii de Chasseneya professis, super appellatione et excommunicatione per fratrem Claudium Enard seniorem abbatem monasterii de Sancto Sulpitio in eos lata, praesens generale Capitulum committit abbati de Miratorio eiusdem Ordinis, ut de huiusmodi appellatione inquirat, determinet et sententiet, in plenaria Odinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

34. Electionem, promotionem, institutionem et installationem de persona fratris Goberti de Chalerange, monasterii de Signiaco expresse professi, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii de Signiaco, prout in decreto praesenti diffinitioni annexo

plenius continetur, tamquam rite et canonice factas et celebratas, praesens generale Capitulum approbat, supplendo, *etc.*

35. Ad idem, de promotione fratris Ioannis des Curtiles, monasterii Fulcardimontis professi, ad dignitatem abbatialem eiusdem monasterii Fulcardimontis.

36. Generale Capitulum confirmat sententiam confirmationis electionis monasterii de Bonoradio facta de persona fratris Simonis Robert, monasterii Claraevallis professi, latam per abbates de Strata et Caroliloco, s. th. pr., abbatis Pontigniaci patris abbatis immediati eiusdem monasterii de Bonoradio commissarios, approbat, confirmat et ratificat, in plenaria etc.

37. Ad idem, de promotione fratris Ioannis de Francia electi et confirmati in dignitatem abbatialem monasterii de Chasseneya.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

38. Ad instantiam abbatis Gratiae Dei, s. th. pr., pro confirmatione trium tractatuum, qui omnes ex parte una initi sunt et passati inter dictum abbatem de Gratia Dei et eius conventum, sed ex parte altera, primus initus est et passatus inter Simonem, Hugonem et Ioannes Grelot, secundus inter Ioannem Vitot de Chault prope Passaventum, et tertius inter Anthonium Maulnais, alias Trainebaston, de villagio Drulsens, de certis pratis, peciis ad censum, perpetuo datis, abbatibus de Charitate, patri immediato eiusdem monasterii de Gratia Dei, et de Lococrescenti coniunctim, praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenti super praedictis tractatibus facta inquisitione, si invenerint eos fore utiles dicto monasterio, ratificent, approbent et confirment, in plenaria Ordinis potestate.

PROVISIONES SCOLARIUM

39. Multiplex sumptuum et expensarum onus ex parte fratris Guillelmi le Fauconnier [c], professi monasterii de Mortuomari, nuper in sacra pagina licentiati ex iam peractis actibus theologicis, quam ex brevi ad festum suum doctoratus peragendum necessario sufferendum, considerans praesens generale Capitulum eidem tamquam de Ordine toto, et praesertim de monasterio praedicto Mor-

---

[c] de Faulconnier : P^2.

tuimaris, cuius ut dictum est, extat professus, et cui ex eo ampliores honores et commoda nimirum redundabunt optime merito non minorem, et quam ceteris in casu simili gratiam facere volens, monet in visceribus charitatis et nihilominus sub Ordinis censuris praecipit eiusdem monasterii commendatario, necnon singulis eiusdem monasterii personis et officiariis respective quatinus infra tres menses ab intimatione praesentium eidem licentiato procurent, tribuant et consignent centum libras turon., et hoc absque diminutione ordinariae pensionis sibi annuae tribui consuetae. Cuius quidem diffinitionis executionem idem generale Capitulum abbati monasterii de Bonoportu, s. th. pr., committit in plenaria Ordinis potestate.

40. Iuxta commissionem iam pridem per abbates de Caroliloco et de Frigidomonte, s. th. pr., fratri Wanzelao scolari de Sancto Benedicto, Ordinis nostri, Metensis dioecesis traditam et concessam, praesens generale Capitulum monet, et nihilominus praecipit abbati de Insula Barrensi, Tullensis dioecesis, sub Ordinis censuris, quatinus eidem fratri et scolari singulis annis, usque dum proprium sui monasterii religiosum Parisiis causa studii miserit scolarem, eidem scolari de Sancto Benedicto subveniat in summa decem libr. turon., quibus ut persolutis praefatum generale Capitulum eumdem abbatem suumque monasterium de Insula per idem tempus absolvit a cuiuscumque alterius scolaris subsidio ; cuius quidem diffinitionis executionem committit abbatibus de Crista, de Tribus fontibus et de Claroloco, et eorum cuilibet in solidum, in plenaria Ordinis potestate.

REHABILITATIONES

41. Ad humilem supplicationem abbatis de Ursicampo, Noviomensis dioecesis, necnon domini Claraevallis, patris abbatis immediati dicti monasterii de Ursicampo, praesens generale Capitulum fratres Anthonium Loffroy [d], Anthonium Cardon, Guillermum Barbelion, Albinum Fontainnes, eiusdem monasterii professos, ab omni infamiae et inhabilitatis macula, quam incurrerunt seu incurrere potuerunt, ob quamdam insolentiam per eosdem fratres commissam, propter quam crimine conspiratorum merito notati sunt, super quo poenitentiam eis iniunctam humili-

[d] Coffroy : *P*[2].

ter peregerunt, relevat, rehabilitat, cum eisdem fratribus misericorditer dispensando, ut praemissis non obstantibus ad omnes Ordinis actus legitimos, voces, *etc.* etiam abbatiali dignitate inclusa, *etc.*

42. Ad idem, pro fratre Guillelmo de Lomgny, professo monasterii de Noa, ad instantiam proprii abbatis, ut non obstantibus apostasiae nota, quam incurrit certo tempore extra praedictum monasterium pervagando, necnon irregularitatis contractae per eum sese divinis in excommunicatione immiscendo, ad omnes, etc. inclusa dignitate abbatiali.

43. Ad idem, pro fratre Guillemo Fabri, monasterii de Voto professi, pro apostasia duorum mensium, habitu non dimisso, ad omnes, etc., etiam dignitate abbatiali inclusa.

44. Ad idem, pro fratre Ioanne le Kint de Igniaco, pro contagio carnis, puerperio secuto, ad omnes gradus, etc., dignitate etiam abbatiali inclusa.

45. Ad idem, pro quatuor religiosis dicti monasterii de Igniaco, quorum tres, videlicet Baltasar Lestot, Petrus de Vincellis et Ioannes de Arceyo, a contagio carnis et de puerperio convicti, alius autem videlicet Ioannes Lestot sollummodo fugitivus fuit per certos dies, ad omnes gradus, etc., dignitate abbatiali seclusa, praeterquam in dicto Baltasar, qui quidem rehabilitatur dignitate abbatiali etiam inclusa.

46. Ad idem, pro fratre Guillermo Larniet, monasterii de Monte Sanctae Mariae professo, pro contagio carnis, puerperio inde secuto, ad omnes, etc., dignitate abbatiali inclusa.

47. Ad idem, pro fratre Hugone de Giaco, monasterii de Charitate professo, pro homicidio solum praesumpto non convicto; ad omnes, etc. dignitate etiam abbatiali inclusa.

48. Ad idem, pro fratre Philiberto de Cabilone, monasterii Claraevallis professo, pro furto et sacrilegio in dicto monasterio per eum commissis, etiam pro irregularitate immiscendo se divinis, ad omnes, etc., dignitate abbatiali inclusa.

IUDICES

49. Abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., necnon abbati de Igniaco, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, ut si personae Ordinis nostri repererint in aliqua pecuniarum summa monasterio Cisterciensi

obligatas, eas compellant per omnes iuris et iustitiae vias ad integraliter eidem monasterio Cisterciensi satisfaciendum et persolvendum, in plenaria Ordinis potestate.

50. Ad idem, pro abbate Igniaco committitur abbatibus de Savigniaco et de Bellabrancha et cuilibet eorum, in plenaria, etc.

51. Ad idem, pro abbate de Caroliloco, s. th. pr., committitur abbatibus de Frigidomonte, s. th. pr., et de Regalimonte, et eorum cuilibet, in plenaria, etc.

52. Ad idem, pro Guidone Bourdet contra abbatem Bullionis, committitur abbatibus de Claravalle et de Longovado, et cuilibet eorum in solidum.

53. Ad idem, pro Humberto Carlot contra dominum Morimundi remittitur ad Rmum D. N. Cisterciensem.

54. Ad idem, pro domino de Firmitate committitur abbatibus de Claravalle et de Longovado, et cuilibet eorum in solidum.

SUFFRAGIA

55. Ad instantiam magistri Petri Reynardi conceditur participatio omnium bonorum spiritualium Ordinis universi, venerabili ac scientifico viro Ioannis Guion, decano ecclesiae collegiatae Sancti Dyonisii de Vergeyo.

56. Ad idem, ad eiusdem instantiam pro discreto viro domino Claudio Leblanc, sacrista ecclesiae capellae divitum oppidi Divionensis.

57. Ad idem, ad eiusdem instantiam pro discreto viro domino Jauglerre, presbytero eiusdem oppidi Divionensis, et pro omnibus benefactoribus certae fundationis per eum factae pro celebratione antiphonae *Salve Regina* in ecclesia Sancti Philiberti eiusdem oppidi singulis dominicis diebus et festis.

58. Ad idem, ad instantiam Ioannis de Grandecourt, Rmi D. N. Cistercii famuli, omnibus qui manus adiutrices porrexerint reparationi ecclesiae de Domnobelno ad quinquennium praecise.

59. Ad idem, ad instantiam Rmi D. N. Cistercii serenissimo domino regi Daciae, nomine Christiano.

60. Ad idem, ad instantiam provisoris Parisiis pro N. Juliani advocati Parisiis in curia Parlamenti, eiusdem consorti et liberis.

61. Ad idem, ad instantiam abbatis de Bonoportu, s. th. pr., pro consultissimo viro Ioanni de Salva, praesidenti in curia Scacarii Normanniae, eiusque consorti.

EXCUSATIONES ABBATUM

62. Excusantur a via praesentis generalis Capituli abbates de Fonteneto, de Charitate et de Bonofonte ; item, de Valleclara.

CONTUMACES

63. Fratrem Livinum de Rolloy, monasterii de Igniaco professum, ad secundam diem praesentis Capituli generalis legitime citatum, debiteque expectatum et vocatum, et non comparentem, nec per se nec per alium, idem generale Capitulum contumacem, rebellem et excommunicatum reputat, denuntiat et declarat, omnibus et singulis Ordinis personis in sacro presbyteratus ordine constitutis ; alios vero non de Ordine dominos presbyteros curatos et non curatos publicos rogando, quatinus dum requisiti fuerint, ipsum fratrem, sive per affixionem aut alias in locis publicis et consuetis, rebellem, contumacem et excommunicatum, denuntient et declarent, in plenaria Ordinis potestate.

64. Ad idem, de abbate de Re, et ultra citatur ipse abbas contumax ad proximum generale Capitulum in protestatione, quod sive venerit sive non, procedetur contra eum prout fuerit de iure, non obstante quod quarto die immediate post Capitulum, videlicet die Ascensionis Domini, advenerit nuntius gerens secum procuratorium, tamen ignorabat quid in dicto procuratorio contineretur neque praestare voluit iuramentum super hoc.

65. Litterae missivae ad abbatem de Vetericella. — Frater Iacobus abbas Cistercii, ceterique diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, venerabili et in Christo nobis praecarissimo coabbati nostro in Vetericella, eiusdem Ordinis salutem et tuitionem eiusdem Ordinis semper intendere. Venerabilis pater, praesenti nuntio fratre Paulo referente, recepimus querimonias vestras, ceterorumque patrum Lipzensi collegio ascriptorum, adversus abbates marchionistas, eo amplius ex eo contristati quo inter patres Ordinis dissidia prosequentes totis viribus concordiam procuramus, cui quantum vices nostras hucusque interposuimus satis superque potuit experiri, praesertim in materia illa collegii Francfordiensis, quod iam rursus denuoque in pernitiem collegii Lipzensis diffinivimus non instaurari ; modo superest vos iugiter insistere ipsarum diffinitionum et statutorum Ordinis hoc tangentium executioni. Quoad vero illud indultum apostolicum obten-

tum opera illustrissimi domini marchionis, cum formam eius ignoremus, non aliud modo valemus decernere quam quod in oppositum totis nisibus iugiter obsistatis, nuntios post haec ad nos transmissuri, quibus super singulis melius informaremur, et nihilominus interea scribemus procuratori nostro in romana Curia, quatinus mediis Rmi D. N. Protectoris illi, si fieri potest, velut libertati dicti Ordinis nostri contrario indulto derogetur. Ex diffinitorio nostro, etc.

PROCURATORES

66. Praesens generale Capitulum decernit procuratorium ad lites in forma communi abbati de Candelio, cum potestate substituendi, in plenaria Ordinis potestate.

67. Quia generale Capitulum aliis plurimis negotiis occupatum, omnes et singulas occurrentes materias debite terminare ad praesens non potest, ideo eas remittit per Rmum D. N. Cisterciensem et quatuor primos, et alios Diffinitores qui interesse voluerint apud Divionem terminandas, in plenaria Ordinis potestate.

1515

A) Nomina abbatum qui interfuerunt hoc anno in generali Capitulo.

De Pontigniaco, de Claravalle, de Frigidomonte, de Caroliloco, de Gratia Dei, de Voto, de Albaripa, de Tribus fontibus, de Fonteneto, de Rigniaco, de Alna, de Sancto Andrea, de Longovado, de Signiaco, de Valle regis, de Valle S. Lamberti, de Asseyo, de Laude, de Baudelo, de Bellavalle, de Furnesio, de Forda, de Bonoradio, de Manziade, de Ellancio, de Valcellis, de Insula, de Noa, de Theoloco, de Charitate, de Bullione, de Miratorio, de Clarofonte, de Ovila, de Valle ecclesiarum, de Villanova, de Sigilleriis, de Ripatorio, de Grandiprato, de Molinis, de Iardineto, de Moris, de Marcillyaco, de Belloloco, de Bellabranca, de Bullencuria, de Valle dulci, de Porta coeli, de Escallariis, de Sancto Remigio.

1515. *Fontes* : A^4 : 1-5 *(abbrev.)*, 6-15, 17, 28, 44, 60, 98 ; L^6 : A), 1-101 ; P^2 : 1, 8, 10, 14, 15, 21, 92, 97 ; *Va* : 25.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo quinto, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... etc.

2. Praeterea pro serenissimo..., necnon pro christianissimo domino nostro, domino Francisco, Francorum rege, ... etc.

3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Iacobus, abbas Cistercii ... et est talis : Cum totus Ordo noster ... necnon in summa 10361 libr., 12 solid., 2 denar. turon. pro resta computationum ... etc.

7. Generale Capitulum informatum de discolia et evagatione multarum personarum regularium per orbem discurrentium, tam importunitatibus suis quam indiscretione suorum superiorum, et quandoque sine regulari professione contra sanctorum patrum diffinitiones et statuta viventium, in grave suarum animarum periculum et Ordinis scandalum, omnibus et singulis abbatibus et prioribus Ordinis, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis per ipsum Capitulum taxandis, districte prohibet, ne suis religiosis viaticum absque causis rationabilibus deinceps tradant ; si vero rationabilibus causis intervenientibus ad aliquos religiosos licentiandum abbates compellantur, de receptore suorum religiosorum, si possibile fuerit, certi sint, nec eisdem viaticum ad profitendum plus quam tribus mensibus duraturum tradant. Monachos autem aut moniales aliter per saeculum vagantes, sine regulari professione alicui abbati vel abbatissae facta existentes, quacumque dignitate, pensione, praeeminentia vel officio fulgeant, ipsum Capitulum declarat transgressores, meritisque seu gratiis Ordinis decernit indignos, nisi tamen infra trimestre, postquam praesen-

---

[a] *Titulus apud* A^4L^6. [b] Sub Leone... *etc.* : P^2.

tis diffinitionis notitiam habuerint, humiliter satisfecerint ; tales autem religiosi ad monasteria declinantes, vel ad alicuius abbatis seu provisorum collegiorum aut procuratorum generalium in Curia romana vel alibi constitutorum praesentialem notitiam venientes, a praemissis abbatibus, provisoribus seu procuratoribus per octo dierum spatium incarcerentur ; et deinde ad suum abbatem sumptibus monasteriorum, ubi professionem fecerunt, remittantur. Abbatibus de Bonoportu, de Strata, de Noa, et cuilibet eorum in solidum etiam districte praecipiendo, quatinus praesentem diffinitionem seniori abbati de Voto et senioribus abbatissis de Lilio et Thesauro infra tres menses data praesentium insinuant, qui vel quae, si parere noluerint, carceribus usque ad aliam Ordinis dispositionem per eos mancipentur, in plenaria Ordinis potestate.

8. Praesens generale Capitulum graviter ferens multorum suppositorum Ordinis insolentiam, quae adeo hucusque contra status sui decentiam et Ordinis honestatem in forma vestium et indumentorum suorum videntur excedere, ut etiam ex eo saecularium oculos plerumque offendant, et singulariter cum in latitudine manicarum, multiplicitate et distinctione plicatis in tunicis fissura earumdem ante et retro, necnon fenestratione in sotularibus curialium magis, imo armigerorum et scurrarum ostentationem et levitatem imitentur, quam simplicitatem seu gravitatem monasticam ; quare reductis ad memoriam diffinitionibus super eo iam dudum factis iuri et ordinationibus Summorum Pontificum conformibus, et ne in nobis amodo populi scandalum patientur, sed ex conversatione nostra glorificent Deum, qui in coelis est, omnibus et singulis Ordinis utriusque sexus personis, quacumque fulgeant officio vel dignitate, in virtute salutaris obedientiae praecipit, quatinus huiusmodi erroribus ad regulam castigatis sese deinceps formae antiquae et suo Ordini condecenti omnino conformare studeant ; huiusmodi diffinitionis executionem omnibus et singulis Ordinis abbatibus in suis monasteriis et patribus abbatibus in suis filiationibus, necnon Ordinis commissariis firmiter committendo, in plenaria Ordinis potestate.

9. Praesens generale Capitulum debite informatum quod nonnulli abbates Ordinis, contra Ordinis privilegia, diffinitiones et statuta, imo iura communia et decreta Summorum Pontificum, religiosos Mendicantes in suos professos et monachos recipere non formidant, ex quo plurima Ordini incommoda, sicut docente expe-

rientia in praeteritum constat evenisse, ita in posterum formidandum est evenire ; quare ab his solerter praecavare cupiens praedictum generale Capitulum, praedictas diffinitiones et statuta innovando, omnibus et singulis Ordinis abbatibus, in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis, prohibet, ne de cetero quoscumque de Ordine Mendicantium in suos professos recipiant, declarando ulterius, quod si iam sint in Ordine recepti, aut unquam in futurum recipi contingat, eos ad quodcumque Ordinis officium et dignitatem esse perpetuo inhabiles et incapaces. Et specialiter quod eidem generali Capitulo constat, abbatem de Vallibus Sernay in huiusmodi diffinitionis transgressione nuper temere incidisse, ideo ex nunc decernit ad secundam diem proximi generalis Capituli eum esse citandum, citationis huiusmodi executionem abbati de Caroliloco, s. th. pr., et cui committere voluerit committendo, in plenaria Ordinis potestate.

10. Attento diligenter defectu nonnullorum Ordinis monasteriorum, qui vel nolunt vel nequeunt sibi de libris ad usum divini servitii debite providere, ex quo paulatim crescente difformitate, uniformitas in Ordine continuo minuitur ac decrescit, et quod longe deterius est, sub ignorantiae velo plerisque in locis penitus dissolvitur et perit, in gravem iacturam formae et honoris totius Ordinis nostri, qui in hoc potissimum hac laude hucusque singulariter meruit honorari, quod ubique et semper uniformitatem iugiter tenuerit. Quare praesens generale Capitulum super hoc morbo de remedio opportuno solerter cupiens providere, perlibenti et voluntario animo vult et permittit, imo instanter hortatur et praecipit uni ad hoc non idoneo sed experto multum et diligenti fratri Maturino de Cangeyo [c] professo monasterii de Claravalle, quatinus sua diligentia et sollicitudine laboret imprimi libros qui sequuntur : videlicet *Graduale* Ordinis, *Antiphonarium, Epistolare, Evangeliorium, Ordinarium* et *Usus* ; verumtamen sub ea conditione quod antequam memorati libri ad plenum tradantur impressioni, praesertim de*Ordinario* et *Usibus*, habeat cum Rmo D. N. aut per eum deputatis, conferre de singulis ; et quantum attinet de memoratis *Usibus*, providentia praesentis Capituli generalis, postquam fuerint impressi, Deo duce, in uno loco Ordinis pariter conservandis, prohibet idem generale Capitulum sub gravissimis poenis, certa diffinitione in capite dictorum *Usuum*

[c] Saugeyo : *L*[6].

simul imprimenda explicandis, omnibus et singulis Ordinis, ne cuiquam omnino extra Ordinem eos communicent, sed si comparere voluerint, apud se secrete et singulariter custodiant. Datum, etc.

11. Praesens generale Capitulum pie considerans praesentium abbatum competentem affluentiam et tanto coetui non indignam concionem, quamquam plurimi ex patribus absentibus legitimis tam litterarum suarum quam nuntiorum iure excusati hucusque accedere non potuerunt, omnes et singulos, licet ad hanc diem citati extiterint, misericorditer et ex gratia speciali excusat ab accessu praesentis anni, cum remissione poenarum omnium contra non venientes in *Benedictina* et Ordinis diffinitionibus iam diu taxatis ; eos nihilominus omnes et singulos in visceribus charitatis hortando atque monendo, quatinus ex hoc beneficio gratiores effecti, annis sequentibus et praesertim ad proximum venturum generale Capitulum accedere non omittant facturi hic, Deo dante, prout a patribus nostris iuxta occurrentes materias summa cum providentia et sanctitate legitur institutum.

12. Propter importunitatem quorumdam religiosorum qui, pro consequendis ordinibus, praesertim sacerdotio, non cessant infestare superiores suos contra iura communia, et papales institutiones, etiam quantumcumque ignari, insulsi et imbecilles existant, praesens generale Capitulum huiusmodi temeritatem volens de medio abiicere, diffinit, ordinat et instituit sub censuris Ordinis, ne deinceps sub cuiuscumque privilegii, exemptionis aut alias quoviscumque exquisiti coloris praetextu, ad huiusmodi ordinem consequendum, antequam vigesimum quintum annum attingerint, et in grammaticalibus sufficienter fuerint instructi, monachos suos licentient.

13. De decretis deferendis. — Generale Capitulum multorum abbatum simplicitatem, arrogantiam et contumaciam de suis decretis seu promotionibus litteras ad instantia seu proxima Capitula deferendis, iuxta nostrorum patrum diffinitiones per ipsum Capitulum frequenter approbatas, ratificatas et confirmatas, omnes et singulos abbates, qui ad praesens generale Capitulum decreta seu provisiones non detulerunt, condemnat ad duplicis contributionis istius anni persolutionem, quos etiam negligentes ac alios futuros promovendos abbates, qui huiusmodi decreta seu provisiones ad immediatum seu instans Capitulum imposterum non detulerint, condemnat ad duplicis contributionis annuam

persolutionem, donec et quousque, sicut praemissum est, praedicta exhibendo satisfecerint, ipsos insuper officiis Capituli generalis indignos declarat ; praesentis diffinitionis executionem omnibus contributionum receptoribus seu collectoribus committit in plenaria Ordinis potestate.

14. Praeceptum domini Claraevallis abbatis in sua novissima visitatione Wasconiae factum aliquibus religiosis, ne deinceps praesumerent cedulas proprietatis, per regulares personas dari consuetas, dare seu porrigère abbatibus seu prioribus vel abbatissis clausas, sed patentes et apertas, generale Capitulum confirmat.

15. Generale Capitulum destestabilem consuetudinem aliquorum [d] patrum abbatum et maxime abbatis de Bardonis petentis et praetendentis spolium abbatis de Gymonte, sibi immediate subiecti, graviter ferens, districte prohibet patribus abbatibus, ne deinceps praesumant extorquere praetextu talium illicitorum ab abbatibus seu abbatissis sibi immedite subiectis, ratione vacationis monasteriorum, spolium quodcumque, videlicet equum aut mulum, breviarium, lectum, vestem, aut aliam quamcumque rem.

COMMISSIONES

16. Fratris Petri Teffere, religiosi monasterii de Longovillari, supplicationi continenti velle suo monasterio restitui, generale Capitulum misericorditer annuens, ne defectus videatur dictus frater conscius, eidem fratri Petro sub censuris Ordinis districte praecipit, quatinus infra quindecim dies post praesentium intimationem ad portam monasterii de dicto Longovillari se transferat, abbati vero dicti loci sub poena depositionis dictum generale Capitulum praecipit, ut ipsum fratrem Petrum in monasterio recipiat, eidem victum et vestitum sicut ceteris ministrando, nisi tamen aliquid obiicere vellet, propter quod supradictus frater Petrus non esset recipiendus, quo quidem casu contingente, causam huiusmodi abbatibus de Caricampo, de Claromarisco, et cuilibet eorum in solidum, iam dictum Capitulum generale committit in plenaria Ordinis potestate.

17. Piae petitioni abbatis de Vetericella aliorumque reverendo-

---

[d] antiquorum : P^2.

rum patrum Misniae, Thuringiae et Saxoniae collegio Lipzensi ascriptorum contra praetensum collegium Francfordianum, praesens generale Capitulum omne quod potest favoris subsidium exhibendo, vult, decernit et diffinit appellationem et processum dictarum partium apud Curiam romanam ratione dicti collegii Lipzensis, factam pro et nomine totius Ordinis nostri Cisterciensis, deinceps duci et actitari, praecipiendo Ordinis procuratori generali in eadem Curia, quatinus pro et nomine dicti Ordinis, ut praemissum est, materiam ipsam dicti collegii ducat, actitet et prosequatur usque ad finem, in plenaria Ordinis potestate.

18. Commissio datur abbatibus de Heisterbach et de Veterimonte, et cuilibet in solidum, ad reponendum fratrem Engelbertum monasterii de Bonobello *(sic)* religiosum in proprio monasterio, vel aliquo alio, in plenaria Ordinis potestate.

19. Committitur abbati de Voto, ut iuxta diffinitionem hoc anno factam contra vagabundos et nolentes profiteri, cogat in plenaria Ordinis potestate fratrem Ioannem des Hayes, eiusdem monasterii de Voto quondam, licet modo nullius abbatis professum, neque profiteri curantem, quatinus facta sibi, scilicet eidem religioso dictae diffinitionis sufficienti insinuatione, prosequatur ulterius contra eum iuxta eiusdem diffinitionis formam et tenorem. Datum, etc.

20. Generale Capitulum considerans diversa temporum discrimina a tribus annis in multis diversarum regionum locis contigisse, quibus obstantibus dominus Claraevallis commissionem suam, praesentibus annexam, non potuit executioni demandare, ipsam commissionem usque ad biennium a data praesentium continuat, et in quantum opus est, renovat et confirmat, eidem domino abbati Claraevallis districte praecipiendo, quatinus praelibatam commissionem infra praedictum tempus viriliter exsequatur, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

21. Visitationem et reformationem omnium et singulorum monasteriorum in tota Alemania et in regnis circumvicinis, videlicet Ungariae, Poloniae, Daciae, Suesciae et Boemiae, necnon in ducatibus Bavariae et Lotharingiae constitutorum, praesens generale Capitulum committit, ad biennium solum a data praesentis diffinitionis domino abbati de Morimundo, cum clausulis aliis per Rmum D., prout viderit, in sua commissione opportunis apponendis et specificandis.

22. Attento his diebus iure praetenso visitationis et aliorum

ad iurisdictionem spiritualem spectantium, quae per reverendum in Christo patrem dominum episcopum Bangorensem, Ordinis nostri, ratione monasterii de Belloloco regis commendatarium, in dicto Ordine nostro attentata esse noscuntur, prout in monasterio de Gratiis, praesertim de praesidentia et praetensa institutione novi abbatis eiusdem monasterii a paucis constat effecisse, praesens generale Capitulum hoc alta mente considerans et advertens non sine gravi totius Ordinis iactura, necnon privilegiorum et statutorum Ordinis maximo praeiudicio permitti posse, abbatibus de Phorda et de Strafordia, tam coniunctim quam divisim, in visceribus Iesu Christi hortando committit, quatinus amore Ordinis, vocationis suae et status, tuendae libertatis et iurisdictionis zelo, in manibus accepto, dicti episcopi in usurpationem huiusmodi iurisdictionis occurrendi conatibus ei per omnes iuris et iustitiae vias, iuxta privilegiorum et statutorum nostrorum tenorem, viriliter repugnando et contra eum usque ad sententiam diffinitivam inclusive procedendo, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

23. Audita rebellione per fratrem Richardum praetensum abbatem de Gratiis in partibus Anglicanis, dioecesis Londoniarum, Rmi D. N. Cisterciensis commissariis nuper in contemptum non modicum totius Ordinis facta, praesens generale Capitulum huic tam culpandae inobedientiae minime favere volens, sed pro virili, uti dignum est, eam quamprimum reprimere, corrigere et castigare satagens, abbatibus de Fontibus et de Woburneya, tam coniunctim quam divisim, committit quatinus facta super eo diligenti inquisitione, ita iuxta Ordinis instituta, diffinitiones et privilegia, ex iurisperitorum vel aliorum Ordinis consilio, in dictae inobedientiae emendam procedant, ut debitae iustitiae ordine servato et Ordinis honore, quantum fieri poterit, reparato, ceteris cedat, non in rebellionis et audaciae scandalum, sed in humilitatis et obedientiae perpetuum exemplum. Quod si forsan dictos abbates, vel eorum alterum, memoratus praetensus abbas certis ex causis recusaverit, eo in casu possint alium abbatem, quem duxerint non suspectum secum assumere, sicque in eo negotio usque ad sententiam diffinitivam inclusive procedere, in plenaria etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

24. Electionem, promotionem, institutionem et installationem

de persona fratris Thilmanici de Sibergh ad dignitatem abbatialem monasterii Loci Sanctae Mariae, prout in decreto... approbat ... cum suppletione ... *etc.*

25. Provisionem abbatis de Signiaco, patris abbatis monasterii de Valle S. Lamberti de persona fratris Ioannis de Lamine, in abbatem dicti monasterii de Valle S. Lamberti ... approbat, etc. supplendo, *etc* [e].

26. Electionem,... fratris Nicolai Parent, de Ursicampo expresse professi, ad dignitatem abbatialem dicti monasterii de Ursicampo ... approbat ... supplendo ... *etc.*

27. Nos, frater Iacobus, abbas Cistercii ... *etc,* et est talis : Cum propter varia et multum ardua ac difficilia Ordinis nostri agenda, a patribus Ordinis pro ipsorum agendorum prospera directione, singulis monasteriis Ordinis, annuae et gratiosae contributiones, et nonnumquam gratiosa subsidia sub magnis et gravibus poenis impositae fuerint, nec hac nostra aetate minora, quam priscis temporibus, sed longe maiora praefata Ordini occurrant agenda, tum propter magnarum expensarum tantorum dominorum abbatum, nobilium virorum, procuratorum, religiosorum, nuntiorum, et aliarum venerabilium personarum quolibet anno in loco et monasterio Cistercii ac alibi tempore Capituli generalis factarum et fiendarum, debitam satisfactionem, necnon domini protectoris generalis Ordinis in Curia romana residentis, ac provisorum, magistrorum regentium, sententiariorum, biblicorumque Ordinis in Universitatibus seu studiis generalibus constitutorum, annuorum stipendiorum solutionem, tum etiam propter privilegiorum, immunitatum, exceptionum et libertatum, apostolicorum seu apostolicarum, regum, ducum et aliorum principum adversus et contra quoscumque ipsum Ordinem, ipsiusque monasteria, loca et personas, Romae et in quibuscumque regnis, ducatibus et provinciis infestantes, virilem defensionem, propter quae Ordo ipse gravissima in diversis curiis regum et principum in dies supportat onera, eas ob causas, ut dictis necessitatibus facilius occurratur, praesens generale Capitulum de fidelitate et diligentia venerabilis patris reformatoris triennalium monasteriorum in inclytis Castellae, Legionis et Galleciae regnis existentium confidens, committendo praecipit, quatinus omnibus excusationibus cessantibus, contributiones per ipsum generale Capi-

---

[e] *Va habet decretum authenticum in forma solemni.*

tulum impositas secundum quottas inferius annotatas, unacum restis et arreragiis dictarum contributionum et subsidiorum charitativorum, si quae sint a viginti annis, debitis, necnon rationabilibus expensis suis sive deputatorum aut deputandorum suorum ab omnibus et singulis abbatibus, abbatissis, commendatariis, prioribus, officiariis et procuratoribus monasteriorum, militiarum, prioratuum et aliorum locorum regularium utriusque sexus Ordinis, in praefatis Castellae, Legionis et Galleciae regnis consistentium, secundum quottas inferius annotatas, per se aut per suos deputatos vel deputandos, petat, exigat, levet et percipiat, ipsosque et eorum quemlibet ad sibi ostendendum quittantias solutionum contributionum seu quottarum huiusmodi a dictis viginti annis ultimate elapsis, necnon ad dictas contributiones una cum restis et arreragiis earumdem, subsidiorumque necnon rationabilibus expensis suis aut deputatorum seu deputandorum suorum sub poenis et censuris apostolicis ac Ordinis solvendum, et sibi realiter satisfaciendum viriliter compellat ; de receptis quoque bonas et validas quittantias faciat, det et expediat ; contradictores vero seu rebelles ... *etc.*

Sequuntur nomina monasteriorum, militiarum et prioratuum a quibus dictas contributiones levare et exigere debitis, cum taxis eorumdem. Et primo in regno Castellae : de Monte Syon 4 flor. arrag., de Sanctis Martyribus 2 flor., de Valle ecclesiarum 12 flor. 10 solid., de Palaceolis 3 flor., de Vallebona 4 flor. 10 solid., de S. Petro de Gomellis 3 flor., de Sacramenia 4 flor. 10 solid., de Buxedo 2 flor. cum dimidio, de Ferrera 3 flor. cum dimidio, de S. Prudentio 3 flor., de Rivosicco 3 flor., de Benevivas 6 flor., de Ortha 5 flor., 5 solid., de Vegha 12 flor., de Mataplana 3 flor., de Valle paradisi 10 flor., de Bonavalle 3 flor., de Morerola 10 flor., de Spina 7 flor. 10 solid., de Ovila 9 flor., de Monte salutis 3 flor. Militiae de Calatrava et suis militiis 20 flor., de Alcantara pro se et suis militiis 12 flor. Prioratus de Sancto Bernardo Hispalensi 6 flor., de Saltualbo 3 flor., in regno Legionis de Sancto Martino de Casteneda 2 flor., de Nogalibus 20 flor., de Saltunovali 12 flor., de Valle Dei 13 flor., de Valle mõte vel Laxindæ 9 flor., de Villa nova de Oscos 9 flor., de Carraceto 3 flor. In regno Galleciae, de Superado 18 flor. 17 solid. 6 denar., de Montefero 11 flor. 5 solid., de Armentariis 7 flor., de S. Claudio 6 flor., de Mellone 15 flor., Oya, 18 flor., de Meyra 18 flor., de Ursaria 37 flor., de Castro regis 2 flor., de Monte ramorum 13 flor. Prioratus de

Iunquera vel Spadenado 8 flor. 10 solid. 6 denar., de Penna maiori 11 flor., de Franquera 4 flor., de Azibeiro 4 flor., de S. Iusto 4 flor. Nomina monasteriorum militiarum et prioratuum utriusque sexus dictorum regnorum, necnon taxa subsidii eisdem imposita. Et primo in Castella, de Sanctis Martyribus 4 flor. arragoneneses, de Monte Syon 20 flor., de Valle ecclesiarum 8 flor., de Palaceolis 8 flor., de Valle bona 12 flor., de S. Petro de Gomellis 6 flor., de Sacramenia 6 flor., de Buxedo 6 flor., de Ferrera 8 flor., de S. Prudentio 5 flor., de Rivosicco 10 flor., de Benevivas 6 flor., de Ortha 12 flor., de Vegha 3 flor., de Mataplana 12 flor., de Valle paradisi 8 flor., de Bonavalle 4 flor., de Morerola 20 flor., de Spina 10 flor., de Ovila 7 flor., de Monte salutis 7 flor. Militia de Calatrava pro se et suis militiis 20 flor., de Alcantara 60 flor. Prioratus de S. Bernardo Hispalensi 2 flor., de Saltu albo 6 flor. In regno Legionis, de Morerola 20 flor, de S. Martino de Casteneda 4 flor., de Nogalibus 15 flor., de Saltu novali 10 flor., de Valle Dei 10 flor., de Valle monte vel Laxindae 4 flor., de Villa nova de Oscos 4 flor., de Carraceto 13 flor. In regno Galleciae, de Superado 15 flor., de Montefero 8 flor., de Armentariis 10 flor., de S. Claudio 10flor., de Mellone 12 flor, de Oya 10 flor., de Meyra 10 flor., de Ursaria 10 flor., de Castro regis 3 flor., de Monte ramorum 10 flor. Prioratus de Iunquera vel Spadenado 3 flor., de Penna maiori 3 flor., de Franquera 3 flor. de Azibeiro 4 flor., de S. Iusto 3 flor.

Moniales: S. Maria de Dominabus in Corduba 15 flor., de S. Clemente 12 flor., de S. Catharina 6 flor., de S. Anna 5 flor., de S. Miliano 3 flor., de S. Scholastica 3 flor., de S. Maria de Gomesronima 5 flor., de S. Spiritu 4 flor., de S. Maria regali in valle Oleti 25 flor., de Fonte calido 6 flor., de S. Maria de Villa maior 10 flor., de Villena 6 flor., de Cannez 5 flor., de Warria 3 flor., de Herre 8 flor., de S. Maria de Balys 30 flor., pro hospitali eidem monasterio subiecto 30 flor., de Renosa 3 flor., de S. Felice 3 flor., de S. Andrea de Arreyo 8 flor., de Avia 3 flor., de Barria 3 flor., de Peralles 4 flor., de Turrecremata alias S. Mariae de Scobar 3 flor., de S. Columba alias de S. Salvatore 3 flor., de Carriso 8 flor., de Ottero 4 flor., de Gradeffez 8 flor., de S. Vincentio de Segovia 6 flor., de S. Dominico in Sylis in Toleto 6 flor., de S. Benedicto in oppido Calabriensi 4 flor., de S. Bernardo in óppido de Guadelapara 4 flor., de Villabona 3 flor., de S. Michaele 3 flor.,

de Fenara 3 flor., arrag., praesentibus post triennium minime valituris. Datum, etc.

28. Nos frater Iacobus ... *etc.* et est talis : Attendens et cum magna ac matura deliberatione considerans praesens generale Capitulum, quam fructuosae, necessariae et salutares sint monasteriis, prioratibus et aliis locis regularibus Ordinis, necnon personis regularibus utriusque sexus in utroque statu, regulares visitationes et reformationes, accipiensque non sine magno moerore et tristitia quam plurima ipsius Ordinis monasteria, militias, prioratus, collegia et alia loca regularia in inclytis Castellae, Legionis et Galleciae regnis situata, quae a multis iam praecedentibus annis propter guerrarum et divisionum turbines, vastitates, aliaque mundanae conditionis et humanae variabilitatis impedimenta, visitata non fuerunt, ob inordinatum regimen et vulgatam sanctae religionis et regularis observantiae transgressionem non modicis in spiritualibus et temporalibus subiacere detrimentis. Quare dictorum monasteriorum, militiarum, prioratuum, collegiorum et aliorum locorum regularium incommoditatibus ac animarum periculis occurrere salutarisque observantiae puritatem simul et fervorem in monasteriis, militiis, prioratibus, collegiis, aliisque locis regularibus ad Dei laudem et honorem, animarum salutem, populi christiani aedificationem, et praedicti Ordinis incrementum pullulare crescere et florere cupiens,de discretione, prudentia, fidelitate et religionis zelo reformatoris congregationis triennalium Hispaniae monasteriorum, tenore praesentium committendo, dat et concedit potestatem, auctoritatem et mandatum speciale se ad omnia et singula dicti Ordinis monasteria, militias, prioratus, collegia et alia loca regularia in praedictis Castellae, Legionis et Galleciae regnis situata personaliter transferendi, in eisque visitandi, reformandi, corrigendi, puniendi, emendandi, instituendi et destituendi, in capitibus et in membris, in spiritualibus et temporalibus, omnia et singula quae secundum Deum, S. P. N. Benedicti regulam, salutariaque ipsius Ordinis statuta, diffinitiones, libertates, privilegiaque apostolica Ordinis praefato concessa, cognoverint ac iudicaverint visitanda, reformanda, corrigenda, punienda, emendanda, instituenda et destituenda, abbates, abbatissas, commendatarios,priores, priorissas, officiarios et officiarias, monasteriorum, militiarum, prioratuum et locorum regularium praedictorum, a suis dignitatibus abbatialibus, prioratibus et officiis, si sua exegerint demerita, suspendendi, amovendi, privandi,

deponendi, ac alias iuxta suorum exegentiam demeritorum corrigendi et puniendi, et alios seu alias, eorum loco iuxta communium privilegiorum, statutorum et diffinitionum Ordinis praedicti tenorem, instituendi, creandi et deputandi ; cessiones seu resignationes abbatum, abbatissarum, priorum, priorissarum, commendatariorum et aliorum quorumcumque locorum regimini et administrationi praesidentium, si rationabiles et secundum formam privilegiorum, statutorum et diffinitionum Ordinis factae fuerunt, acceptandi et admittendi, cedentibusque seu resignantibus benemeritis pensionem gratiosam, rationabilem, non excessivam, et ipsis monasteriis non onerosam super fructibus dictorum monasteriorum, prioratuum et locorum regularium, secundum facultates eorum constituendi et assignandi, ac superfluas et excessivas resecandi, et moderandi, ipsis quoque monasteriis, prioratibus et aliis locis regularibus utriusque sexus, sive sic sive per mortem aut alias quovismodo vacantibus per electionem canonicam, aut alias iure ad superiorem devoluto de abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis sufficientibus et idoneis, in Ordine nostro professis, secundum dicta privilegia, statuta et diffinitiones Ordinis canonice providendi, dum tamen in monasteriis perpetuos abbates et abbatissas seu commendatarios habentibus, nulli praeterquam abbates perpetui instituantur, eligantur et promoveantur. Personas quoque electas, seu, ut praemittitur, provisas instituendi et installandi, et in realem et actualem, vel quasi, possessionem dictorum monasteriorum, prioratuum et locorum regularium ponendi et inducendi. Electiones canonicas et secundum privilegia, statuta et diffinitiones Ordinis factas et celebratas confirmandi, ratificandi et approbandi, minus vero canonicas ac contra formam privilegiorum, statutorum et diffinitionum Ordinis celebratas infirmandi, cassandi, irritandi, reprobandi et annullandi. Omnes ac singulos abbates et commendatarios, ut ad generalia Ordinis collegia suos religiosos ad litterarum studia aptos et cum debitis et sufficientibus provisionibus mittant et in eisdem usque ad gradus adeptionem interteneant, sub poenis et censuris in *Benedictina* et diffinitionibus contentis, compellendi. Iura etiam et privilegia tam vetera quam nova per Summos Pontifices, reges, concilia generalia et alias quascumque personas, tam contra commendatarios quam quoscumque alios novarum rerum molitores, impetitores eorumdem praedicto Ordini concessa, per omnes iuris et iustitiae vias

tuendi et defendendi ; omnes insuper alienationes iurium, libertatum, privilegiorum, exemptionum et possessionum monasteriorum, prioratuum, collegiorum et locorum regularium Ordinis ac quoscumque contractus illicitos in damnum et praeiudicium ipsorum monasteriorum, prioratuum, collegiorum et locorum regularium praedicti Ordinis factae seu factos, cassandi, revocandi et annullandi, nulliusque roboris et efficaciae fore et esse declarandi et denuntiandi. Omnes praeterea personas regulares utriusque sexus dictorum monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum regularium Ordinis semel quolibet anno in confessione audiendi, et eas ab omnibus peccatis, casibus, criminibus excessibus, censuris et delictis ipsi generali Capitulo reservatis cum poenitentia salutari in foro conscientiae absolvendi. Contra insuper commendatarios, capitula, collegia, communitates, Ordines et alias quascumque personas, monasteria, prioratus et alia loca Ordinis in commendam ad vitam seu sibi incorporata obtinentes et occupantes iuxta privilegiorum a Sancta Sede apostolica Ordini praedicto concessorum tenorem, videlicet ut habitum Ordinis suscipiant,competentem religiosorum numerum secundum monasteriorum facultatem in ipsis monasteriis et prioratibus pro divini cultus persolutione ponant, et de omnibus ad vitae monasticae usum necessariis provideant, reparationesque necessarias, ac alia quae in dictis privilegiis continentur, faciant et adimpleant, per censuras et poenas in dictis privilegiis contentas, agendi, defendendi et compellendi. Computationes dictorum monasteriorum, prioratuum, collegiorum et aliorum locorum regularium, necnon officiariorum eorumdem audiendi, examinandi, approbandi vel reprobandi ; et nihilominus ad redditionem earumdem quolibet anno in forma debita et authentica abbates, abbatissas, commendatarios, priores, officiarios et officiarias iuxta Ordinis formam astringendi. De redditibus, iocalibus, clenodiis, libris, cartis et aliis bonis mobilibus et immobilibus monasteriorum, prioratuum, collegiorum et locorum praedictorum inventaria bene specificata faciendi. Monasteriis monialium de confessoribus, capellanis, procuratoribus, ac aliis officiariis sufficientibus et idoneis providendi ; et insufficientes, si qui sunt, revocandi et expellendi. Easdemque moniales, ac ceteras personas eorumdem monasteriorum et locorum regularium Ordinis secundum Ordinis privilegia, diffinitiones et statuta ac secundum dispositionem capituli iuris quod incipit *Periculoso*, claudendi, regulandi ac vivere compel-

lendi. Fugitivos et apostatas monasteriorum dictae congregationis ad quaecumque alia regnorum, principatuum et dominiorum Hispaniae monasteria, sine speciali suorum superiorum licentia divertentes, et in eisdem monasteriis commorantes revocandi, capiendi et ad propria monasteria remittendi, abbatibusque perpetuis, commendatariis, prioribus et aliis officiariis monasteriorum, prioratuum et locorum praedictorum, ne quoscumque dictae congregationis monachos in suis monasteriis recipiant, aut apud se quomodocumque retinere praesumant, sub poenis et censuris Ordinis inhibendi, et quos ex eis habere contigerit reddere compellendi et astringendi, nisi forte praefati praelati eos detinentes legitimas causas et excusationes allegaverint, quas causas Rmo D. Cistercii, dicto Capitulo generali, reformatori vel ab eis substitutis infra competentem terminum per praefatum reformatorem aut substitutos eis praefigendum, per authentica scripta, sive vivae vocis oraculo intimare tenebuntur. Insuper si quacumque ex causa legitima contigerit praefatum reformatorem non posse commode praesentem commissionem debitae executioni demandare, praesens generale Capitulum dat et concedit praefato reformatori potestatem substituendi duos abbates dictae congregationis, qui coniunctim similem vel limitatam in praemissis habeant potestatem, revocatque omnes commissiones quibuscumque personis Ordinis in regnis supradictis existentibus super quaecumque monasteria in praefatis regnis situata ante datam praesentium datas et expeditas ; aliis nihilominus in suo robore et vigore duraturis. Et generaliter, etc. Invocato, etc. Omnibus igitur, etc. Praesentibus post triennium a data praesentium minime valituris. Datum, etc.

CONTRACTUUM CONFIRMATIONES

29. Generale Capitulum decenter informatum de damnoso et illicito contractu cum magistro Ioanne Le Moinne per abbatissam et conventum monasterii de Maloduno fraudulenter, ut accepimus, inito, abbati de Caroliloco committit, ut quamcitius poterit de praemissi contractus commodo vel incommodo se informet ; et si laesionem monasterii religiosae praedictae in ipso contractu contraxerint, ipsum contractum revocet, casset et annullet, praemissas abbatissam et religiosas a iuramento super hoc emisso absolvendo, in plenaria Ordinis potestate.

30. Praesens generale Capitulum abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Gardo, et eorum cuilibet in solidum, committit, quatinus bonae voluntatis oblationem bonae memoriae Roberti Radulphi testamento roboratam, factam abbati et conventui monasterii B. M. de Caricampo, atque ipsius defuncti et haeredum suorum petitionem et requestam scrutentur et examinent, ac de qualitate et meritis fundationis fideliter proximo generali Capitulo certificent, in plenaria ... etc.

31. Venditionem per abbatissam monasterii de Parco dominarum factam de quibusdam bonis nuper oblatis per sororem Martham Nicholas, supradicti monasterii religiosam, generale Capitulum abbatibus de Claravalle, de Caroliloco, de Longoponte, et duobus eorum in solidum, committit confirmandam vel infirmandam, in plenaria, etc.

32. Audita supplicatione ex parte domini abbatis de Begario super revocatione, cassatione et annullatione cuiusdam tractatus, per modum permutationis de quadam domo et eius appenditiis in villa de Guingamp situatis, prout plenius continetur in duplo papyreo ipsius eiusdem tractatus, cui praesens diffinitio annectitur, abbatibus de Bonarequie, de Langoneyo et de Landavalle, vel duobus eorum simul, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnibus circa eumdem tractatum diligenter examinatis et consideratis, si eumdem repererint dicto monasterio de Begario fore dispendiosum revocent, cassent et annullent, in plenaria, etc.

33. Contractus inter abbatem de Escharliis et Ioannem Le Maire, in curia Senonensi procuratorem, de quadam pecia terrae continente nonaginta arpenta terrae vel circiter, committitur confirmandus vel infirmandus abbatibus de Pontigniaco et de Vallelucenti simul, in plenaria, etc.

34. Contractum inter reverendum in Christo patrem dominum abbatem et religiosos inclyti, regalisque monasterii S. Dionysii in Francia, dioecesis Parisiensis, ex una, et abbatem de Regalimonte partibus ex altera, ratione dominii de Sineres et eius appenditiis, initum, in quodam rotulo papyro diffuse contentum, generale Capitulum abbatibus de Frigidomonte et Caroliloco, s. th. pr., committit confirmandum vel infirmandum, in plenaria, etc.

35. Audita supplicatione honesti viri Urbani Iacob, pro confirmatione eiusdem tractatus initi quondam facti et passati inter ipsum supplicantem ex una, et abbatissam et conventum B. M.

prope oppidum Sancti Desiderii, Ordinis nostri Cisterciensis, partibus ex altera, de quadam grangia, quae ab eisdem abbatissa et conventu ad certum censum ad tempus dumtaxat octoginta annorum accepit, prout in litteris quibus praesentes annectuntur plenius continetur, abbatibus de Tribus fontibus, de Cheminione, de Monasteriis, et duobus eorum, praesens generale Capitulum committit, quatinus se illuc usque transferentes diligenter investigent et informent, et si invenerint dictum tractatum, salva dicti monasterii utilitate, posse confirmari, proximo generali Capitulo intiment et renuntient.

REHABILITATIONES

36. Ad instantiam et requestam abbatis de Valle S. Lamberti, generale Capitulum fratrem Ioannem Deville, sacerdotem eiusdem monasterii Vallis S. Lamberti religiosum, qui spiritu maligno ductus in carnis contagium lapsus est, puerperio ter secuto, poenitentia ductus punitionem inde patienter pertulit, ab omnibus praemissis et inde secutis absolvit et rehabilitat ad omnes Ordinis actus, voces, gradus et officia.

37. Ad instantiam et requestam abbatis de Valle S. Lamberti, generale Capitulum fratrem Henricum de Momallea, sacerdotem religiosum eiusdem monasterii, qui monasterium sine licentia nocturno tempore exivit, poenitentia tamen ductus punitionem humiliter pertulit, *etc. ut supra.*

38. Ad supplicationem abbatis de Gratia Dei, s. th. pr., Bisuntinensis dioecesis, pro quodam religioso suo nomine Richardo Bouquart, in ordine sacerdotali constituto, qui in carnis contagium lapsus est, puerperio subsecuto, monasteriumque, habitu dimisso, exivit, generale Capitulum rehabilitationem concessit, etc.

39. Ad instantiam domini abbatis Claraevallis rehabilitatus est frater Ioannes Buvet, sacerdos religiosus de Longovillari, carnis contagio bis secuto *(sic)*, ad omnes actus, voces et officia.

40. Ad supplicationem abbatis de Longoponte per abbatem de Caroliloco, s. th. pr. nuper exhibitam, generale Capitulum fratrem Aegidium de Ternas, eiusdem monasterii de Longoponte professum, super carnis contagio, puerperio subsecuto, de exitu monasterii, fractione camerae pro carceribus sibi traditae, ac mutilatione cuiusdam scolaris duos digitos eidem in claustro scindendo, de quibus tamen casibus per generale Capitulum poe-

nitentiam sustinuit, misericorditer dispensat, et ipsum ad omnes actus et officia, abbatiali dignitate seclusa, rehabilitat, et in gradum pristinum restituit.

41. Ad supplicationem abbatis de Longoponte, generale Capitulum fratrem Matheum Balosse, eiusdem monasterii religiosum, qui spiritu levitatis et inconstantiae, regulari habitu deiecto, per annum apostatavit, mulierem suspectam in dormitorium introduxit, dormitorium per fenestras nocte cum funibus, habitu regulari deiecto, descendit, in habitu regulari facetias repraesentavit seu lusit, poenitentia tamen motus punitionem patienter sustulit, ab omnibus praemissis, casibus et inde secutis, absolvit et rehabilitat, ad omnes voces, gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa. Datum, etc.

42. Ad supplicationem abbatis de Caricampo, generale Capitulum fratrem Matheum Maturin, presbyterum religiosum eiusdem monasterii, qui spiritu maligno lapsus est in carnis contagium, puerperio subsecuto, absolvit et rehabilitat ad omnes voces, gradus et officia.

43. Ad instantiam et requestam abbatis de Voto, generale Capitulum fratrem Petrum de Fonte, sacerdotem eiusdem monasterii religiosum, qui sacros ordines presbyteratus suscepit in Avinione, mutato nomine in istud nomen Bernardus de Lintot, et illius sacerdotalis ordinis praetextu frequenter celebravit, ipse etiam carceribus mancipatus, tam in supradicto monasterio quam in Bonoportu, fractis carceribus exivit et per saeculum diu vagatus est, ab omnibus praemissis casibus et inde secutis absolvit et rehabilitat ad omnes gradus, voces et officia.

44. Generale Capitulum suppositis seu personis Ordinis iuxta necessitatum exigentiam consulere cupiens, fratrem Petrum Noetol [f], religiosum monasterii Vallis B. M., qui superbiae spiritu ductus considerans praedictum monasterium Vallis B. M. saeculari commendatum et a priore claustrali licentiam ad ordines presbyteratus consequendos minime valens obtinere, diversis mediis huiusmodi presbyteratus ordines, sine cuiuscumque superioris facultate obtinuit, ab huiusmodi temeritate dictum fratrem Petrum absolvit et rehabilitat, ut sacerdotii dignitate, quemadmodum ceteri sacerdotes, commode fungi valeat.

---

[f] Metol : *A*[4].

IUDICES

45. Generale Capitulum dolenter informatum de quodam ecclesiastico viro nomine Andrea de Kelchterim, canonico et scholastico ecclesiae collegiatae Sancti Servatii Traiectensis, collectorem apostolicae camerae, praetextu certarum litterarum apostolicarum se dicente, qui communis Ordinis praefati libertates et privilegia infringendo, maxime erga eiusdem Ordinis particularia membra ac utriusque sexus monasteria, praesertim in Leodiensi et episcopatibus circumvicinis, et ab illis, ratione exemptionis et iurisdictione ordinaria vel forsan aliis causis nonnullas pecuniarum summas, omni rigore et absque causa saltem legitima, conatur exigere, quas ipsa et alia saepe dicti Ordinis nostri monasteria nusquam solvisse comperiuntur, in maximum nedum illorum particularium monasteriorum, sed et totius corporis mystici ipsius Ordinis praeiudicium, nisi tamen de remedio celeriter provideatur opportuno. Quibus conatibus generale Capitulum mediis debitis obviare cupiens, abbatibus de Alna, de Molinis, de Valle Dei, et duobus eorum in solidum, mandat et praecipit, ut ipsi simul aut eorum duo super his informati consilio a famosioribus et discretioribus abbatibus et abbatissis vel aliis, si fuerit opus, providis personis prius habito, si necesse fuerit, pro iurium, libertatum et privilegiorum Ordinis defensione, iuxta praemissarum personarum consilium, cuilibet monasterio tam virorum quam monialium praedictarum diœcesium, quottam particularium contributionum imponant, et per regularem vel saecularem virum recipiant, seu recipi faciant ; praedictus tamen generale Capitulum non intendit summas contributionum cuiuslibet monasterii solvi consuetas aut alia Ordinis onera in aliquo diminui, abbatibus et abbatissis, et aliis monasteriorum antedictorum personis sub poenis et censuris Ordinis compellendo, in plenaria, *etc.*

46. Supplicationis abbatis et religiosorum monasterii de Cheminione causam contra abbatem de Tribus fontibus, generale Capitulum domino abbati Claraevallis remittit et committit, ut tam ipsius ordinaria et paterna quam eiusdem Capituli auctoritate posset huiusmodi materiam terminare, in plenaria, etc.

47. Visis informationibus super abbate de Charmeya per suum patrem abbatem, videlicet de Valleclara factis, praedictique abbatis de Charmeya citatione ad praesens generale Capitulum, causam huiusmodi abbati de Caroliloco, s. th. pr., Capitulum generale committit, in plenaria, etc.

48. Relatione patrum Ordinis et aliarum fide dignarum personarum, generale Capitulum de gyrovaga saecularique conversatione sororis Mariae La Peletière, monasterii de Thesauro, nuper abbatissae rebellis et inobedientis, et auctoritatem Ordinis omnino contemnentis, ipsum generale Capitulum abbatibus de Bonoportu, de Strata, de Voto, s. th. pr., necnon abbati de Noa, et eorum cuilibet in solidum, committit ad praedictam sororem Mariam per Ordinis censuras, ut in aliquo Ordinis monasterio resideat et regulariter vivat, compellendam, in plenaria, etc.

49. Abbatibus de Frigidomonte, s. th. pr., de Regalimonte et de Ursicampo, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, seu eorum monasteria aut quaecumque loca, quas et quae per testes fide dignos, litteras obligatorias, acta seu alia legitima documenta, abbati de Caroliloco, s. th. pr., eiusque conventui invenerint debite teneri ... *etc. ut in forma consueta.*

50. Audita querela ad modum supplicationis fratris Thomae Guérin, monasterio de Barberio professi, conquerentis super iniuria abbatis sui dicti monasterii de Barberio, pro eo quod iam diu absenti nondum ei voluit de necessariis providere, ideo praesens generale Capitulum suppositorum Ordinis destitutioni solatium, quoad potest, libenter impendens, abbatibus de Bonoportu, de Strata et de Voto, s. th. pr., et cuilibet eorum committit, quatinus citatis citandis et auditis audiendis, in hoc ei iuxta Ordinis instituta, diffinitiones et privilegia, iustitiam ministrent, in plenaria, etc.

51. Abbatis et conventus monasterii de Ripatorio audita supplicatione nuper exhibita super licentia impignorandi quaedam membra, quae non sunt magnae commoditatis, pro redemptione maximi membri dicti Mysenière, per suos praedecessores venditi, generale Capitulum committit dominum abbatem Claraevallis ad informandum si commode possint praemissa membra redimi vel impignorari, huiusmodi licentiam prout viderit opportunum conferendi vel denegandi, in plenaria, etc.

52. Generale Capitulum decenter informatum qualiter frater Aymericus, religiosus monasterii Bonaevallis Ruthensis, dicti monasterii syndicus, nostrae sacrae religionis privilegiis et statutis contraveniendo fratrem Guidonem Ventonis, etiam dicti monasterii religiosum, praetextu cuiusdam institutionis a dicti monasterii commendatario per ipsum contra diffinitiones Ordinis assump-

tae in curia saeculari et layca vexat et tractat ratione quarumdam computationum redditionis super dicto syndicatus et cellerariatus dicti monasterii officiis, in maximum Ordinis scandalum, privilegiorum et statutorum nostrorum iacturam et pernitiosum regularium personarum exemplum, quae officia longo tempore, ut fertur, dictus frater Guido laudabiliter exercuit. Quare materiae praesentis causam et executionem antedictarum computationum personaliter vel substitutam personam et alia praesentem materiam concernentia, ipsum generale Capitulum abbati de Candelio committit in plenaria, etc.

53. Visa supplicatione ex parte Guillelmi Blanchert, mercatoris Salinensis, asserentis fratrem Nicolaum Perret, abbatem quondam Bullionis, nunc autem Albaeripae, sibi in summa quinquaginta unius librar. 5 solid. et 10 denar. turon. iam dudum teneri et obligari, necnon responsione eiusdem abbatis praedictum debitum negantis, quin potius affirmantis summam ipsam aut ipsius partem a moderno abbate Bullionis eidem supplicanti de iure deberi, abbatibus de Theoloco, de Aceyo, de Roseriis et cuilibet in solidum praesens generale Capitulum committit, quatinus facta diligenti inquisitione, et legitimis cedularum testimoniis aut alias quomodocumque invenerint dictos abbates aut alterum eorum, vel etiam alias eiusdem personas eidem supplicanti in ea summa vel eius parte teneri, cogant ipsum vel ipsas personas, per omnes iuris et iustitiae vias, ad eidem mercatori dictam summam integre persolvendum, in plenaria, etc.

54. Querimonia abbatis de Villari in Brabantia graviter audita adversus abbatem de Loci S. Bernardi, ei immediate subiectum, necnon eiusdem abbatis Loci S. Bernardi querulosiore responsione adversus dictum patrem suum, committit praesens generale Capitulum dominis abbatibus de Claravalle, de Boudelo et de Alna, et duobus eorum, quatinus, investigatis investigandis et auditis audiendis, dictam querimoniam ad finem usque terminare satagant in plenaria Ordinis potestate, ita tamen quod duo ex ipsis se non possint de dicto negotio intromittere nisi eodem domino Claraevallis assistente, si modo infra trimestre a data praesentium id facere non omiserit ; alioquin ex tunc poterunt duo ex nominatis absque ac negotium ipsum eadem potestate ad plenum discutere et terminare. Datum, etc.

55. Supplicationi abbatis de Grunhaim continenti ut generale Capitulum dignaretur secum dispensare, quatinus de casibus ipsi

Capitulo generali reservatis semel a data praesentium posset suis religiosis munus absolutionis conferre, et ab illis idem munus similiter recipere, favorabiliter annuit et concedit praefatum Capitulum, praedicti vero abbatis petitionem super suorum religiosorum rehabilitationem Capitulum ipsum sibi reservat.

CONTUMACES

56. Abbatis Insulae de Re litteras excusatorias ac supplicationem pro consequendo absolutionis beneficio super contumacia ac aliis censuris per ipsum contractis, Capitulum generale misericorditer attendens ipsum ad petitionem domini abbatis de Prulliaco ab huiusmodi contumacia ac aliis inde secutis absolvit.

57. Anno immediate praecedendi non abs re Capituli generalis decreto fuerat institutum absentes tunc abbates ad secundam praesentis Capituli diem singulos esse citandos, quemadmodum et factum est, praesertim ad personam abbatis de Vallibus Sernay, prout legitime constitit ex relatione citatoris ipsius, videlicet abbatis de Caroliloco, et quoniam constat dictum de Vallibus Sernay, neque per se neque per alium, die et loco sibi tunc assignatis, comparuisse eiusdem praesentis Capituli generalis auctoritate ad ampliorem contumaciae eius comprobationem, rursus decernit ad secundam diem Capituli generalis anni immediate sequentis eum esse citandum, citationis huiusmodi executionem adhuc eidem abbati de Caroliloco committendo. Datum, etc.

58. Abbatis de Boneffya contumaciam et rigorosum responsum factum Ordinis commissario, ipsum ad Capitulum citanti, generale Capitulum aegre ferens, ipsum ad solutionem duplicis contributionis instantis anni condemnat, et ad proximum generale Capitulum citat, praesentis diffinitionis executionem abbati de Alna committendo.

SUFFRAGIA

59. Frater Iacobus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, illustrissimae dominae, dominae Franciscae de Limburg, ducissae Brabantiae, comitissae dotariae Nivernensis salutem et precum nostrarum salutare suffragium. Quemquam lege divinae

charitatis ... *etc.* ad instantiam et requestam abbatis de Bonoradio, omnium bonorum, *etc.* Datum, *etc.*

60. Ad instantiam et requestam abbatis de Vaucellis concessum est Ordinis suffragium reverendo in Christo patri domino abbati Sancti Auberti, Ordinis S. Augustini in civitate Cameracensi.

61. Ad idem concessum est suffragium praeclaro militi domino Francisco de Raisse, alias de la Hargerie, necnon suae nobili consorti.

62. Ad instantiam et requestam abbatis de Alna concessum est suffragium Rmo in Christo patri ac illustrissimo principi Erardo de la Marcha, cardin. episcopo Leodiensi, duci Bullionensi et comiti Lossensi.

63. Ad instantiam abbatis de Forda concessum est suffragium inclytae dominae Catherinae, comitissae Dalmoniae.

64. Ad eiusdem instantiam concessum est etiam suffragium nobili militi Anutio Paulet, et dominae Laureae uxori eius.

65. Ad instantiam abbatis de Voto concessum est suffragium domino Ludovico Severo, sacerdoti dioecesis Rothomagensis.

66. Ad requestam abbatis de Fonteneto concessum est suffragium venerabili domino Claudio de Sigy, priori de Duesmes et camerario S. Petri Flavigniaci.

67. Item, pro viro Ioanni et Franciscae eius conthorali.

68. Ad idem, pro Guillemo Humbert, et eius uxore et liberis.

69. Ad idem, pro Ioanne Despoisses et eius uxore.

70. Ad requestam abbatis de Bonoradio concessum est suffragium magistro Claudio Henry, curato de Sodeyo.

71. Item, ad requestam abbatis de Caroliloco datur suffragium pro domino Gaufrido Brissard, concellario Parisiensi.

72. Ad requestam abbatis de Woburnia, domino Rmo archiepiscopo Cantuariensi, Angliae primati.

73. Item, ad idem R. in Christo P. D. episcopo Dunkeldensi.

74. Concessum est suffragium domino Philippo Underwode, monacho domus Carthusiae in Londoniensi dioecesi, ad requestam abbatis de Phorda.

75. Item, Laurentio Alni, sacerdoti Londoniensis dioecesis, ad requestam abbatis de Caroliloco.

76. Ad requestam Rmi P. D. N. Cisterciensis, s. th. pr. concessum est suffragium nobili viro Guillemo Le Jou, domino temporali dicti loci, et Catherinae eius uxori.

77. Ad requestam abbatis de Furnesio concessum est suffragium illustrissimo, serenissimo domino, domino Henrico regi Angliae VIII, et Catherinae uxori eius.

78. Item, ad idem nobili viro Guillemo Compton, militi et uxori eius.

79. Ad requestam et instantiam abbatis de Fontibus concessum est suffragium honorabili viro Petro Man, eiusque uxori.

80. Item, ad idem pro honorabili viro Ioanni Wrelik et Helenae eius uxori et liberis.

81. Ad idem, egregio ac strenuo baroni domino Willermo Comors, et eius uxori ac liberis.

82. Ad idem, honesto viro Thomae Barret ac Magdalenae, eius uxori et liberis.

83. Ad idem, nobili viro Thomae Fulthorys, ac eius conthorali et liberis.

84. Ad idem, nobili viro Laurentio Kinghloy armigero et Annae eius uxori et liberis.

85. Ad idem, honorabili viro Christoforo Wildeman, eiusque uxori et liberis.

86. Ad idem, pro honorabili viro Ioanni Hard castellano et Helanae eius uxori.

87. Ad supplicationem abbatis de Furnesio concessum est suffragium pro Rmo in Chritso P. D. archiepiscopo Eboracensi, primati Angliae.

88. Ad instantiam domini abbatis Claraevallis concessum est suffragium pro discreto scientifico viro, magistro Sancio Hobreardi, utriusque iuris doctori, iudici ordinario de Guarciaco et Montealbano.

89. Ad idem, pro nobili viro magistro Iacobo Chevrier et eius conthorali.

90. Ad instantiam et requestam Rmi D. Cisterciensis concessum est Ordinis suffragium Ioanni Cirandi et eius uxori.

SPECIALES

91. Ad supplicationem abbatis de Bodello et domini Ioannis Zaman, sacerdotis Tornacensis dioecesis, donationem et oblationem ipsius domini Ioannis per ipsum de sua persona suisque bonis praedicto abbati et suo monasterio factam et per abbatem supradictum admissam, generale Capitulum approbat, ratificat et

confirmat, ipsum dominum Ioannem omnium bonorum spiritualium, immunitatum et libertatum Ordinis participem faciendo, tamquam unum ex monachis Ordinis nostri.

92. Non obstante absolutione seu quocumque facto circa Gaufridum de Bouchet, professum monasterii de Benedictione Dei, modo autem vagabundum et fugitivum, per priorem Cistercii, vult declarat et diffinit praesens generale Capitulum sententiam domini abbatis Claraevallis nuper contra dictum fratrem ratione homicidii et aliarum insolentiarum ab eo perpetratarum latam et pronuntiatam incurrisse integre et inviolabiliter debere observari.

93. Abbatis de Populeto supplicationi pro sancti Georgii festo celebrando nuper oblatae, suique religiosi, utrum praedictum festum in locis circumvinis celebraretur attestatione, iuramento medio praestito, generale Capitulum favorabiliter annuit ut praedictum festum sancti Gerogii festum XII lectionibus colant et celebrent. Datum, etc.

94. Visis supplicatione abbatis de Iardineto super instabilitate sui religiosi fratris Guillelmi Plet sacerdotis, ac duplo cuiusdam bullae apostolicae per dictum fratrem Guillelmum, ut fertur, impetratae, Capitulum generale praecipit eidem abbati de Iardineto, quatinus ipsum fratrem Guillelmum in quodam pago, prout fertur, residentem, ad monasterium supradictum redire, bullamque huiusmodi per ipsum sibi tradi Capitulo generali proxime futuro deferendam compellat in plenaria, etc.

95. Frater Iacobus, abbas Cistercii ... etc. in eodem generali Capitulo ex parte sororis Ioannae Mignote nobis fuerunt exhibita duo instrumenta, videlicet instrumentum processus electionis et infirmationis sororis Annae de Sancto Belin, in abbatissam monasterii de Bellomonte electae, ac etiam instrumentum provisionis dictae sororis Ioannae iure devoluto provisae, de quibus et de non comparitione partis adversae, videlicet sororis Annae supradictae, instrumentum petiit, quod eidem concessimus, anno, etc

96. Petitionem abbatis et conventus Albaeripae continentem, ut attentis certis ipsorum incommodis, generale Capitulum summam decem librarum per ipsum abbatem et eius monasterium pro contributionibus duorum annorum in hoc generali Capitulo finitorum debitarum, eisdem remittere dignaretur, prout Ordinis negotia requirunt, satisfaciendo solutionem huiusmodi decem librarum nunc debitarum usque ad annum immediate sequens cum solutione contributionum suarum ad quas suum monasterium

tunc taxabitur differt et remittit. Datum, Cistercii 14 maii anno Domini 1515.

97. Institutio protectoris. — Nos, frater Iacobus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis notum facimis universis, quod cum nobis in eiusdem Capituli generalis praesentis anni diffinitorio convenientibus, Rmi in Christo patris et domini, domini cardinalis Eboracensis, nostri nuper protectoris obitus, utinam in Domino felix! fuisset nuntiatus debite, uti confidimus et speramus, informati relatione fratris Mathei de Paganis, generalis Ordinis nostri procuratoris in Curia, nostri supradicti diffinitorii promotoris super sapientiae et discretionis magnitudine zeli et singularis dilectionis fervore signanter ad Ordinem nostrum, necnon in agendis incredibili dexteritate Rmi scilicet in Christo patris ac domini, domini Francisci, tituli Sancti Marcelli presbyteri cardinalis, eum ipsum Rmum in Christo patrem elegimus, et eligimus in dicti Ordinis nostri totius Cisterciensis in romana Curia protectorem, sanctissimum dominum nostrum Papam votis supplicibus exorantes, quatinus ipsum Rmum D. cardinalem sic, ut praemittitur, canonice per nos electum sua clementia dignetur admittere; dictum vero protectorem nostrum, in passionis Iesu Christi virtute visceraliter obsecramus, ut filiis suis, sicut dictum est, nimium de suo patrono confidentibus misericorditer succurrendo nostrorum privilegiorum tuitioni, multorum Ordinis nostri monasteriorum calamitati, ceterorum protectioni et totius denique Cisterciensis Ordinis negotiis tam infra quam extra Curiam paterno praesidio non differat suffragari. Nobis iam pro eo Christum Deum deprecantibus, quatinus felici statu semper in melius procedente, eum custodiat in prosperis erutum prius et liberatum a malis omnibus et adversis. Actum in eodem diffinitorio nostro apud Cistercium tempore Rogationum anno 1515, die 16 mensis maii [g].

PROVISIONES SCOLARIUM ET COLLEGIORUM

98. Capitulum generale diffinit, quod provideatur sibi de stipendiis centum solidorum annuatim, et si non fuerit praemissis stipendiis contentus, provideatur sibi auctoritate Capituli gene-

[g] P^2 *addit*: Quae omnia et singula testificor esse vera teste signo meo manuali sic apposito, die 18 mensis maii anni Domini 1515. De Maceriis, abbas Gratiae Dei.

ralis et modo et forma quibus provisori collegii S. Bernardi Parisiis providetur.

99. Praesens generale Capitulum aegre ferens plurimum politiae utriusque ruinam, quibus olim in maximum totius Ordinis decus collegium S. Bernardi, Ordinis nostri in urbe Tolosana, vigere solebat ; huic tam dispendioso malo pro posse de remedio cupiens providere tamquam de zelo, diligentia, scientia et virtute ad plenum informatum religiosi fratris Raymondi Reynaldi, bacc. in sacra pagin., professi monasterii de Bonavalle, Ordinis nostri dioecesis Ruthenensis, abbatibus de Candelio et de Bollanis, et cuilibet eorum in solidum committendo iniungit, quatinus facta prius, per eosdem abbates vel alterum eorum, dicti fratris translatione ad monasterium de Grandisylva, eum deputent, praefigant et instituant in dicti collegii provisorem, cum omnimoda consecutione emolumentorum, privilegiorum, praerogativarum et honorum illi officio debitorum, in plenaria, etc.

100. Praesens generale Capitulum ex corde cupiens pene omnimodae desolationi collegii S. Bernardi, Ordinis nostri Cisterciensis in urbe Tolosana, providendo occurrere argumentis evidentibus, imo experientia ipsa magistra docente satis recognoscens, quantum mali iam Ordini toti praesertim apud occitanas regiones defectus scientiae et bonae institutionis afferat, ubi in maximum totius religionis vituperium in decem monasteriis nedum qui loquatur, sed qui quae legit intelligat vix invenitur, abbatibus de Candelio et de Bollanis, et cuilibet eorum in solidum, committit quatinus iuxta *Benedictinae* et diffinitionum Ordinis tenorem omnes et singulos Ordinis abbates compellant ad mittendum ad dictum collegium gratia studii, sufficientibus cum provisionibus scolares suos, videlicet ut qui poterunt mittant unum vel duos, qui autem minus summis praefixis per eosdem duos abbates et quemlibet eorum ad subsidium sibi assignatorum scolasticorum eiusdem collegii astringant et compellant in plenaria, etc.

101. Piae petitioni abbatis de Vetericella, *etc. ut supra n° 17.*

1516

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anno Domini 1516.

DIFFINITORES : De **Cistercio**, s. th. pr., de Miratorio, de Bellabrancha, de Claritate, de Signiaco, monasteriorum abbates ; de Frigidomonte, s. th. pr., loco domini de **Firmitate**, de Aceyo, de Bodello, de Belloloco, de Lesines, alias de Caritate, monasteriorum abbates ; de Caroliloco, s. th. pr., loco domini **Pontigniaci**, de Bonoradio, de Ripatorio, de Bullione, de Altofonte, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Ursicampo, de Longovado, de Longoponte, de Vallibus Sernay, monasteriorum abbates ; de Roseriis, s. th. pr., loco domini **Morimundi**, de Bellavalle, de Crista, de Charitate, de Valledulci, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Bodello monasterii abbas, senior abbas de Cheminione, magister Iacobus de SS. Crucibus, s. th. pr., frater Paulus de Vetericella, frater Ioannes de Fontibus.

MAGISTRI CÆREMONIARUM : de Claravalle, de Frigidomonte monasteriorum abbates, prior et supprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : prior de Gaudio, in s. th. licent.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Bullione, de Altofonte, monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : prior de Bellaaqua, s. th. pr.

NOTARII ABBATES : de Bonoradio, de Recluso, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Aceyo, de Signiaco, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : fratres Claudius de Pontescisso, Petrus de Amento, [Damant], Cistercii professi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo sexto, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistorium celebreto, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

1516. *Fontes* : A^4 : A), 1-5 *(abbrev.)*, 6-12 ; L^6 : A), 1-68 ; *M* : 8 ; P^2 : 1, 7, 8, 10, 33, 64.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... et maxime pro domino ... *(locus vacuus)* Ordinis protectore... etc.
2. Insuper pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos frater Iacobus ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 9436 libr. 2 solid. 8 denar. turon., pro resta computationum generalis Capituli ... etc.

7. Generale Capitulum sufficienter informatum quod multi abbates, qui fuerunt electi in scrutatores et compromissarios electionum in monasteriis Ordinis nostri, non fecerunt iuramenta in talibus requisita, ob quam causam multi abusus in talibus secuti sunt ; quibus abusibus generale Capitulum occurrere volens inhibet sub poenis et censuris Ordinis ne de cetero quiquam assumantur in scrutatores seu compromissarios, nisi prius fecerint iuramenta in talibus requisita, secundum nostri Ordinis instituta.

8. Generale Capitulum aegre ferens abusum intolerabilem quorumdam abbatum qui, regularis status reverentia penitus abiecta, non erubescunt mulieres sub colore suarum necessitatum domesticarum et quotidianarum, tenere ac quandoque suis religiosis alimenta per ipsas ministrari facere, et propterea loca regularia et cameras abbatum et religiosorum frequentare in maximum animarum periculum et perditionem ; omnibus et singulis Ordinis abbatibus sub poenis et censuris Ordinis per patres abbates et commissarios infligendis iuxta patrum nostrorum antiquas diffinitiones districte prohibet ne mulierem quamcumque, praemissorum vel cuiuscumque rei praetextu tenere vel in suorum monasteriorum septis seu limitibus habere praesumant, nec quascumque mulieres cuiuscumque status existant ad loca regularia intrare permittant, nisi tamen tam nobiles, excellentes et sublimes essent, quibus ingressus sine detrimento denegari non posset.

---

[a] *Titulus apud* A^4L^6. [b] Sub Leone... *etc* : P^2.

9. Attenta mala et inaequali contributionum Ordinis proportione, generale Capitulum rogat Rmum D. N. Cisterciensem, ut vocatis quos duxerit vocandos, infra proximum generale Capitulum disponat quae super omnium monasteriorum Ordinis quottizatione viderit disponenda, quatinus in proximo generali Capitulo ad huiusmodi proportionem procedatur, propter quod idem praesens generale Capitulum citat omnes abbates ad proximum generale Capitulum, visuros et audituros praedicti Capituli proportionem et determinationem, cum intimatione quod sive venerint sive non, procedetur nihilominus prout iuris fuerit et rationis.

10. Generale Capitulum timens Ordinem debitis obrui, diffinit ecclesiam collegii Parisiensis terminandam in pilari per Rmum D. oculariter ostenso, iam satis erecto, pecuniamque pro dictae ecclesiae reparatione recipiendam ad solutionem debiti abbati Caroliloci irrefragabiliter applicari, nec pecuniae subsidii supradicti recipiendae deinceps exponantur in praedicta ecclesia vel aliis quibuscumque negotiis, donec praedicto abbati Caroliloci de mille librarum summa sibi ratione mutui debita satisfactum fuerit, nisi tamen in his quae sunt in coopertura necessaria, omnibus praedicti collegii officiariis et aliis quibuscumque Ordinis personis districte prohibendo ne praedictam diffinitionem praevaricari praesumant.

11. Generale Capitulum informatum de multis abbatibus qui, seu sui praedecessores, Ordini certas pecunias mutuaverunt, obligationibus intervenientibus, quae pecuniae fuerunt restitutae; dictis obligationibus non restitutis, omnibus et singulis huiusmodi abbatibus in virtute salutaris obedientiae et excommunicationis latae sententiae poena districte praecipit, quatinus cum Deo praecipiente, rationeque suadente inferre restituant infra proximum generale Capitulum, vel infra duos menses ab notitia praesentium Rmo D. N. Cisterciensi vel generali Capitulo restitant.

12. Generale Capitulum causas et materias, quae nunc hic in Cistercio non potuerunt expediri, remittit Divionem coram Rmo D., quatuor primis, et aliis quos advocare voluerit ipse Rmus terminandas.

CONTRACTUUM CONFIRMATIONES

13. Auditis relationibus dominorum abbatum de Claravalle,

de Frigidomonte et de Longovado super tractatu inito inter abbatem et conventum monasterii de Fonteneto ex una, et Nicolaum Breton, Alexiam coniugem eius et Ioannam relictam Ioannis Talot, patris dictae Alexiae, pro ipsis et progenitis ex eis, ex suo matrimonio procreatis causas habentibus parte ex altera, secundum sui formam et tenorem dicti tractatus initi et passati 21 mensis maii anno Domini 1515, ipsum generale Capitulum ... approbat, etc.

14. Praesens generale Capitulum matura deliberatione habita super forma tractatus et conventionis inter abbatem et conventum monasterii de Caroliloco, et provisorem et officiales venerabilis collegii S. Bernardi Parisiis, super venditione 50 libr. turon. de redditu perpetuo super bonis mobilibus et immobilibus dicti collegii singulis annis persolvendarum pro summa 1000 libr. ab eisdem de Caroliloco ipsis et dicto collegio pro reparatione ipsius collegii humaniter concessarum, ipsum tractatum ratificat, approbat et confirmat. Et quia in eodem tractatu continetur, quod dicti de collegio possint redimere dictum redditum 50 libr. reddendo 1000 libr. turon. ad duas vices, interrogatus dominus abbas Caroliloci in dicto diffinitorio, utrum intendebat, quod quando dicti de collegio persolverint 500 libr. turon. utrum caderent a summa 25 libr. turon. de dicto redditu, ita quod solum remanerent 25 libr. turon. persolvendae singulis annis ipsis de Caroliloco usque ad solutionem aliarum 25 libr. turon. et sic ex toto quittarentur a dicto redditu 50 libr. turon. respondit quod ita intendebat, neque intelligebat aliquam fraudem ratione dicti tractatus, qui expresse non declarabat dictam remissionem 25 libr. turon., sed declarabat se et suos religiosos ita intelligere, quod quotiescumque solverint 500 libr. turon. ex tunc deobligarentur de solutione 25 libr. turon. et remanerent ad summam 25 libr. turon. quousque solverint alias 500 libr.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

15. Electionem, promotionem et installationem fratris Claudii de Alicampo ad dignitatem abbatialem monasterii de Altofonte, in Catalaunensi dioecesi, generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat in plenaria Ordinis potestate.

16. Electionem ... fratris Ioannis Van Deynze ad dignitatem abbatialem monasterii de Bodelo ... confirmat ... *etc.*

17. Electionem ... fratris Ioannis Nauteau in abbatem monasterii B. M. de Charitate, alias de Lesines, ... confirmat, *etc.*

18. Electionem, ... fratris Petri Daragnon ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Longoponte ... confirmat, *etc.*

19. Electionem ... fratris Ioannis le Comte ad dignitatem abbatialem monasterii B. M. de Ponte Oltrano, confirmat, *etc.*

CONTUMACES

20. Abbatem de Floridocampo ad secundam diem praesentis generalis Capituli legitime citatum, debiteque expectatum et vocatum, et non comparentem, nec per se nec per alium, idem generale Capitulum procuratorium eius tamquam frivolum non admittens, contumacem, rebellem et excommunicatum reputat, denuntiat et declarat, et ad proximum generale Capitulum denuo citat, omnibus et singulis Ordinis personis in sacro presbyteratus ordine constitutis praecipiendo, alios vero non de Ordine dominos presbyteros, curatos et non curatos, notarios publicos rogando, quatinus dum requisiti fuerint ipsum abbatem sive per sive per affixionem aut alias in locis publicis et consuetis rebellem, contumacem et excommunicatum denuntient et declarent, et ad proximum generale Capitulum citent.

21. Fratrem Iacobum priorem de Warmonda similiter citatum et expectatum, generale Capitulum reputat et declarat contumacem et excommunicatum, et ad proximum generale Capitulum citat.

22. Fratrem Martinum, priorem Yselteym, similiter citatum et expectatum, generale Capitulum reputat contumacem et excommunicatum et ad proximum generale Capitulum citat.

23. Fratres Guillemum Paoul priorem, Iacobum Sorin, Michaelem Morisson, Michaelem Alard, Franciscum Chenillon et Ioannem Rossoaul, religiosos monasterii Insulae de Ré, Cisterciensis Ordinis, ad secundam diem praesentis generalis Capituli legitime citatos, debiteque expectatos et vocatos, et non comparentes per se vel per alium, idem generale Capitulum contumaces, rebelles et excommunicatos reputat, denuntiat et declarat omnibus, *etc. ut supra n*° 20.

EXCUSATIONES ABBATUM

24. Excusantur a via praesentis Capituli abbates de Fonteneto ... *(sic desin.)*.

IUDICES

25. Visis supplicatione magistri Petri Sixsolz, ecclesiarum Bisuntin. abbatisque de Bullione rationibus super 100 solidis annualibus et certis expensis inde factis in monasterio supradicto de Bullione per antedictum magistrum Petrum praetensis, generale Capitulum abbatibus de Gratia Dei et Acceyo, ac cuilibet eorum in solidum, huiusmodi causam committit, in plenaria, etc.

26. Visa supplicatione nobilis viri Dionisii Loyete scutiferi, et domini loci Daresche, super summa 30 libr. a magistro Nicolao Perret, abbate monasterii de Albaripa, ratione mutui, prout dicit, sibi debitarum, generale Capitulum huiusmodi causam abbatibus de Gratia Dei et Aceyo, ac cuilibet, *etc. ut supra.*

27. Generale Capitulum informatum de multis criminibus per priorem monasterii Bonaecumbae perpetratis, huiusmodi causam abbatibus de Claravalle et Loco Dei in Ruthino, ac cuilibet, *etc. ut supra.*

28. Visa supplicatione Guillelmi Blanchet, mercatoris Salinensis, asserentis sibi fratrem Nicolaum Perret, abbatem quondam Bullionis nunc abbatem de Albaripa, in summa quinque solidorum et decem denariorum turon. iamdiu teneri et obligari, abbatibus de Gratia Dei, s. th. pr., et de Aceyo, ac cuilibet eorum, *etc. ut supra.*

29. Visa supplicatione abbatis de Bullione contra fratrem Nicolaum Perret, abbatem de Albaripa continente quod, cum dictus Perret eidem monasterio Bullionis praeesset, multa debita activa contraxit,ac monasterium exeundo spoliavit,quibus non obstantibus priusquam ipsum monasterium exivit et resignavit,quamdam admodiationem fecit, unde mille trecentas libras, quadraginta quatuor libras, quatuor solidos, sex denarios, cum quinque oneribus salis recepit ; quam causam abbatibus de Claravalle, de Acceyo, de Roseriis, s. th. pr., ac cuilibet, *etc. ut supra.*

30. Generale Capitulum moleste ferens priorem de Bolbona compulsum per Ordinis commissarium pro contributionum solutione ad conservationem privilegiorum Ordinis, apud Tolosam

appellasse, et ipsum commissarium in causam coram dicto conservatore traxisse contra sacrae nostrae religionis statuta, abbatibus de Ardorello et de Villalonga, ac cuilibet eorum in solidum, committit quatinus si compererint ipsum priorem sic praesumptuose fecisse, puniant, et si sit opus ab officio prioratus privent, alium in loci eius instituendo.

31. Abbatibus de Ardorello petitio nuper oblata continebat, quod frater Martialis Combes, religiosi monasterii de Fontefrigido, ac multae aliae nostrae religionis personae in multis pecuniarum summis sibi sunt obligatae, iudices competentes assignari suppliciter requirendo ; cuius supplicationi generale Capitulum annuens abbates de Loco Dei et de Villalonga, ac quemlibet eorum in solidum in huiusmodi causa committit, in plenaria Ordinis potestate.

32. Domino abbati Claraevallis et abbatibus de Bellavalle et de Charitate, ac cuibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus omnibus super querimonia fratris Ioannis de Monte Desiderii adversus dominum de Bullione, diligenter inspectis et cognitis procedant viriliter, prout iustum viderint et rationi consonum, in plenaria, etc.

33. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, praesens generale Capitulum committit quatinus ad requestam fratris Ioannis de Burreyo, s. th. pr., prioris claustralis Claraevallis, se diligenter et exacte informent super iuribus per dictum de Burreyo et fratrem Guillemum Teffier de dignitate abbatiali monasterii de Longovillari praetensis, et secundum Deum et iura ac Ordinis instituta cuncta debite examinent, ac secundum iurisperitorum consilium sententiam proferant, et debito fini demandent, aliosque, si sit opus, substituant, in plenaria, etc.

34. Abbatibus de Pontigniaco, de Bonoradio et de Quinciaco, ac cuilibet eorum in solidum, committit generale Capitulum, quatinus audiant et discutiant de iuribus praetensis per electum de Lesines, et fratrem Iacobum priorem de Charmeya, super dignitate abbatiali dicti monasterii de Lesines, et omnibus diligenter inspectis et cognitis, prout iuris fuerit, procedant in plenaria Ordinis potestate.

35. Causa appellationis per abbatem de Helnis ab abbate de Candelio, commissario Ordinis, appellantem, per Ordinis patres audita, generale Capitulum huiusmodi causam, atque id propter quod appellatum extitit, et materiam principalem, abbatibus

de Loco Dei et de Villalonga, ac cuilibet eorum in solidum, committit, in plenaria, etc.

36. Ad supplicationem subditorum vallis Chezeriaci super quadam sententia lata per abbatem in capitulo Chezeriaci, in qua dicebant se esse gravatos quoad uniones homagiorum, et quod non erant in usu solvendi ad formam dictae sententiae; abbas vero Chezeriaci petebat et requirebat sententiam praedictam confirmari et executioni demandari; praesens generale Capitulum committit abbati de Miratorio, quatinus quamprimum fieri poterit, vadat ad locum dictae vallis Chezeriaci et super praemissis se diligenter informet, iura visitet, testes examinet, ius unicuique praeservet, et alias faciat, prout iuris fuerit et rationis, aliumque si sit opus, substituat in plenaria, etc.

37. Generale Capitulum cupiens omnibus iustitiam ministrare, pauperumque causas in aequitate tractare, abbati de Chezeriaco districte prohibet, ne praetextu litterarum diffinitionis hodie concessarum permittat Claudium Fabri procedere ad faciendum recognitiones in villa et territorio seu valle Chezeriaci, donec negotium et materia dicti abbatis et dictae vallis habitantium per abbatem de Miratorio terminentur.

38. Abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, ac provisori collegii S. Bernardi Parisiis, generale Capitulum committit, et auctoritatem tribuit satisfaciendi petitioni factae per abbatem Frigidimontis, per quam requirebat sibi per dictum Capitulum dari ad vitam domum et habitationem, quae est in prima porta dicti collegii, spectans ad dictum collegium, expensa per eum facta et facienda debite considerata, ordinandique quod viderint aequitati consonum, praedictis veritate suffultis.

39. Audita querulosa admodum supplicatione fratris Thomae Guerin, monasterii de Barbereyo professi, conquerentis super incuria domini abbatis sui, quia cum dictus frater Thomas per ordinationem commissarii Ordinis fuerit ad aliud monasterium Ordinis, certis rationibus exigentibus, transmissus; nihilominus dictus dominus abbas suus ei nullomodo providit, seu providere curavit; ideo praesens generale Capitulum suppositorum Ordinis destitutioni solatium, quoad potest, libenter impendens, abbatibus de Bonoportu, de Strata et de Voto, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum, committit quatinus citatis citandis, auditis audiendis in hoc, et iuxta Ordinis instituta, diffinitiones et privilegia, iustitiam ministrent in plenaria Ordinis potestate.

40. Generale Capitulum committit abbati de Petra, quatinus debita super monasterium de Verola cum viris Deum timentibus informatione facta, pensionem debitam et rationi consonam deputet abbati seniori dicti monasterii de Verola, in plenaria, *etc.*

REHABILITATIONES

41. Ad supplicationem abbatis de Aureavalle, generale Capitulum fratrem Nicolaum de Tyntigni, presbyterum eiusdem monasterii religiosum, qui relicto habitu regulari apostatavit per medium annum vagando per saeculum, rehabilitat ad omnes voces, gradus et officia, abbatiali dignitate seclusa.

42. Ad supplicationem abbatis de Longovillari generale Capitulum fratrem Symonem Le Quien, dicti loci religiosum, qui suadente diabolo quater lapsus est in contagium carnis, puerperio toties subsecuto, rehabilitat ad omnes gradus et officia, abbatiali dignitate seclusa.

43. Generale Capitulum ad abbatis de Fonteneto supplicationem fratrem Ioannem Potot, conversum dicti monasterii, super homicidio corpus suum defendendo contracto, rehabilitat, ipsum a carcerum vinculis, sacramentorum, fideliumque privatione a quacumque poenitentia penitus absolutum misericorditer declarando.

44. Ad abbatissae de Paraclito supplicationem per abbatem Caroliloci nuper oblatam sororem Mariam Corbie, dicti monasterii de Paraclito religiosam, a carnis contagio puerperio bina vice subsecuto, generale Capitulum rehabilitat ad omnes voces, gradus et officia.

45. Generale Capitulum fratres Petrum Ventonis et Guillelmum de Podio, religiosos monasterii de Bonavalle, in dioecesi Ruthenensi, eo quod fuerint accusati de libello iniuriarum posito in sede prioris contra dictum priorem, rehabilitat ad divina officia.

SUFFRAGIA

46. Frater Iacobus, abbas Cistercii ... *etc.* honorabili viro Ioanni Goudard, mercatori de Gendreyo, Bisuntinensis dioecesis, ac Aliciae eius conthorali, salutem et precum nostrarum salutare suffragium. Quamquam ... *etc. ut in forma consueta...* ad instan-

tiam et requestam abbatis de Aceyo, omnium bonorum spiritualium ... plenariam participationem ... *etc.*

47. Ad requestam eiusdem abbatis de Aceyo concessum est suffragium Ioanni Piget et Margaritae eius uxori, commorantibus in Gendreyo, Bisuntinensis dioecesis.

48. Ad instantiam prioris de Gaudio, concessum est suffragium nobili viduae et devotissimae dominae de Marlon et Deffremont, et filio eius.

49. Ad instantiam magistri Petri Malingor, canonici ecclesiae collegiatae beati Ioannis Baptistae Calvimontis, dioecesis Lingonensis, concessum est suffragium confratribus et aliis benefactoribus cuiusdam confraternitatis Conceptionis B. M., quae annuatim celebratur in capella regis praedicti Calvimontis, et hoc usque ad septennium.

50. Ad instantiam abbatis de Bonoradio concessum est suffragium nobili equiti Petro Daulezi, domino de Chasalles; item, unum nobili scutifero Ioanni de Bar, domino de Bruyllet ; item, unum Francisco Lamoignon et Mariae de Coing, uxori eius.

51. Item, unum Ioanni Buxière, et uxori eius.

52. Ad instantiam magistri Iacobi Joly, concessum est suffragium Ioanni Capellet scabino et mercatori Divionensi, ac eius uxori.

53. Item, Claudio Cardinal, in Gilleyo commoranti.

SCOLASTICORUM PROVISIONES

54. Scolastico de Igniaco providere volens generale Capitulum ob sua merita assignavit 12 libras super monasterium de Signiaco, et 8 libras super monasterium de Bonofonte, per dictorum monasteriorum abbates singulis annis per biennium persolvendas sub poenis et censuris Ordinis.

CITATIONES

55. Cum abbates de Buzeyo et Villanova iuxta diffinitiones saepenumero renovatas, decreta suarum promotionum ad generale Capitulum deferre contempserint, annoque praeterito ad hoc citati nondum paruerunt, idem generale Capitulum dictos abbates sub poena privationis iure praetenso districte praecipit, quatinus

sua decreta per se vel alias personas ad ipsum generale Capitulum deferrent, aut saltem deferri faciant.

56. Cum abbates ... *(locus vacuus)* non obstantibus diffininitionibus satis eos monentibus fuerint sufficienter moniti, quatinus decreta suarum promotionum ad generale deferrent, nec praedictis monitionibus paruerint, generale Capitulum cum ipsis misericorditer, nec contra ipsos secundum dictarum diffinitionum rigorem procedere volens ipsos ... *(locus vacuus)* monasteriorum abbates ad proximum generale Capitulum citat, ad ipsa decreta deferenda, cum intimatione quod, nisi praedicta decreta detulerint vel miserint, contra ipsos iuxta supradictarum diffinitionum tenorem nihilominus procedetur.

57. Citatur abbas de Stratfordia ad proximum generale Capitulum, quia cum sit noviter promotus, nihilominus contempsit afferre decretum suae promotionis ad dictum Capitulum generale, cum intimatione... *etc. ut supra.*

58. Generale Capitulum omnibus et singulis personis Ordinis supradicti Cisterciensis in ordine sacerdotali constitutis districte praecipit, alios vero sacerdotes et notarios rogat, ut abbates de Curia Dei et de Eleemosina citent peremptorie ad comparendum secunda die Capituli, promotori Ordinis responsuros. Citentur etiam sub eadem forma abbates Amelongesborn, et Lapidis S. Michaelis.

COMMISSIONES

59. Generale Capitulum considerans diversa temporum discrimina a tribus annis in multis diversarum regionum locis contigisse, quibus obstantibus dominus Claraevallis commissionem suam, praesentibus annexam, non potuit executioni demandare, ipsam commissionem usque ad biennium a data praesentium continuat et in quantum opus est, renovat et confirmat, eidem domino abbati Claraevallis districte praecipiendo quatinus praelibatam commissionem infra praedictum tempus viriliter prosequatur, in plenaria Ordinis potestate.

DIFFINITIONES SPECIALES

60. Generale Capitulum piae petitioni priorissae et conventus monasterii de Musinis, iuxta Mechiliniam clementer annuens concedit, ut in ipso monasterio, in quo requiescunt aliquae sanctae

Barbarae reliquiae, singulis annis celebretur ipsius sanctae Barbarae festum cum XII lectionibus et una missa.

61. Abbatis de Petra, in dioecesi Tirasonensi, in regno Arragoniae, petitio nuper oblata continebat, quatinus attenta distantia monasterii de Petra a monasterio de Populeto, cuius abbas est pater abbas eiusdem monasterii de Petra, generale Capitulum dignaretur eidem monasterio de Petra de proximiori commissario providere, ne forsan dictum monasterium de Petra pastoris solatio destitutum, pro novi abbatis creatione grave patiatur periculum. Cuius petitioni, monasterioque de Petra, ceterisque nostrae religionis monasteriis consulere cupiens, ipsum generale Capitulum districte praecipit praedicto abbati de Populeto, quatinus praedicto monasterio de Petra per se vel per commissarium taliter provideat, quod nullum in casu electionis novi abbatis inde patiatur detrimentum. Si vero dictus abbas de Populeto fuerit in praemissis tardus aut negligens, vel si praedicto de Petra monasterio pastore destituto rogatus fuerit, et non illico venerit, nihilominus dicti monasterii religiosi procedant ad electionem, priore vel suppriore coram notariis et testibus praesidente, servatis in omnibus privilegiis papalibus et Ordinis statutis. Datum, etc.

62. Abbatis de Bullencuria petitio nuper oblata continebat ut frater Petrus de Belloforti, religiosus seu monachus dicti monasterii, qui servitium nullatenus potest discere, de religiosi statu et habitu ad conversi statum et habitum possit transire ; causam huiusmodi generale Capitulum abbatibus de Ripatorio et de Longovado, ac cuilibet eorum in solidum committit, in plenaria, etc.

63. Abbatis de Caroliloco petitio nuper oblata continebat, ut frater Petrus de Belvaco, religiosus seu monachus monasterii supradicti, qui servitium ... *etc. ut supra* n° 62 ... abbatibus de Frigidomonte et de Regalimonte ... *etc.*

64. Generale Capitulum attenta devotione et religiosa intentione venerabilis patris domini Roberti de la Turotte [c], abbatis monasterii B. M. de Caroliloco, in dioecesi Silvanectensi, ad fundationem unius anniversarii in venerabili collegio S. Bernardi Parisiis, tam pro se quam pro suis praedecessoribus et successoribus in dicto monasterio suo Caroliloci, ipsum generale Capitulum gratanter desiderio eius concurrens concedit eidem domino Caroliloci, quod iuxta petitionem suam possit fundare unum anni-

---

c Hurotte : P^2.

versarium in perpetuum singulis annis die beatissimi patris nostri Bernardi post sermonem in dicto collegio factum, pro quo instituendo sive fundando concedit licentiam exponendi usque ad summam 50 libr. turon., ad quod convenire poterunt magistri in theologia quotquot eorum in dicta missa praesentes accipient distributiones, et similiter, si qui religiosi dicti monasterii de Caroliloco fuerint praesentes, similes distributiones accipient, in plenaria Ordinis potestate [d].

65. Generale Capitulum informatum super aliquibus Hispaniae ceterorumque locorum abbatibus qui neophitos ad Ordinem leviter et inconsulte recipiunt, unde multis multa monasteria contaminantur facinoribus ; omnibus et singulis Ordinis abbatibus districte prohibet ne neophitum quemcumque sine Capituli generalis expressa licentia deinceps recipiant.

66. Audita et mature per generale Capitulum pensata gravi querela venerabilium abbatissae et conventus regalis monasterii B. M. de Huelgas, iuxta muros inclytae urbis Burgensis, conquerentium super commissione ad visitanda omnia regni Castellae monasteria venerabili abbati reformatori congregationis abbatum triennalium eiusdem regni anno ultimate lapso per ipsum generale Capitulum expedita, per quam ipsae abbatissa et conventus de Huelgas proponunt se graviter laesas, gravatas et oppressas, timentque, ut asserunt, gravius laedi, gravari et opprimi ex eo quod, propter actiones, controversias, lites et conventiones iam pridem inter praefatos abbates triennales et easdem de Huelgas exortas et agitatas, reputavit ipsas de Huelgas eosdem reformatorem et abbates triennales non parum contempsisse, et in eas conservare odium, perpetuasque inimicitias et ob id aliasque multiplices causas latius per informationes et alia scripta praesentibus litteris inclusa declarandas et per amplius, ut inquiunt, si opus sit, declarandas, nullatenus per eosdem, tamquam vehementer suspectos quomodocumque posse aut debere visitari suum praefatum de Huelgas monasterium, humiliter supplicando, quatinus praefatam commissionem, sicut praefertur, expeditam saltem quoad praedictas de Huelgas eiusque filialia monasteria revocare et annullare idem generale Capitulum dignaretur, omni protestatione per procuratorem earumdem de Huelgas facta appellandi et alia iuris remedia transeundi, si secus per idem generale Capitulum

[d] *P*[2] *add.* : Sic signatum : Simon abbas Boniradii, Rogerius abbas de Recluso.

contingeret attentari. Considerans e diverso et morose idem generale Capitulum rememorans conventionem inter se et praefatos venerabiles reformatorem et abbates triennales eodem anno novissime lapso initam ab ipsa nequaquam recedere aut resilire intendens, volens nihilominus debitum unicuique, prout tenetur, reddere iustitiae complementum, et gravari verisimiliter timentibus de remedio providere opportuno affectum praelibatae commissionis quoad saepefatas de Huelgas, eiusque filialia monasteria dumtaxat usque ad proximi Capituli generalis celebrationem ducit suspendendum, prout et suspendit, et interim si quid in dicto monasterio de Huelgas emerserit, quod moras non patiatur, Rmus D. N. Cisterciensis superior et pater immediatus per se aut suum vel suos commissarium vel commissarios providebit ; interim etiam committit et indulget idem generale Capitulum de Petra et de Ovila monasteriorum abbatibus, quatinus ipsi, vocatis vocandis se informent super contentis et praedictis scripturis praesentibus inclusis et aliis causis recusationum per easdem abbatissam et moniales de Huelgas allegatis et allegandis, et quidquid super hoc compererint, per scripta sua secrete et fideliter clausa eidem generali Capitulo proximo denuntient, aut ipsimet afferant, ut super his generale idem Capitulum procedat, prout iuris fuerit et rationis. Ad quod quidem proximum generale Capitulum praesentium tenore litterarum citantur tam dictae de Huelgas quam abbates triennales, si sua credent, cum autem dubitari queat, an praefatae partes praenominatos de Petra et de Ovila monasteriorum abbates in commissarios acceptare velint aut suspectos habeant, et difficile foret propter locorum et temporis distantiam ad remedium super hoc obtinendum transvolare, ideo concedit ipsum generale Capitulum, ut ipsi commissarii teneantur de consensu partium unum vel plures substituere idoneum seu idoneos commissarium seu commissarios, qui similem in praemissis sicut ipsi habeat seu habeant auctoritatem in plenaria Ordinis potestate ; et si contingat abbatissam et conventum monasterii de Huelgas appellare a praesenti diffinitione, procurator generalis in Curia prosequatur huiusmodi materiam communibus ipsius Ordinis expensis.

67. Abbatis de Rivosicco petitio nuper oblata continebat ut pro maximo sui monasterii commodo generale Capitulum dignaretur auctoritatem conferre aliqua dicti monasterii de Rivosicco bona immobilia vendendi seu alienandi, pro commutatione seu

emptione aliorum bonorum et non alias. Quam causam ipsum generale Capitulum abbati Sancti Petri in Gomellis et confessori de Huelgas simul committit ad referendum in proximo generali Capitulo.

68. Generale Capitulum omnibus Ordinis locis et personis consulere desiderans, monasterio sanctimonialium de Huelgas, prope Burgas, post multos patrum Ordinis praedicti pro dicto monasterio labores, quamdam diffinitionem edidit in maximum abbatissae et conventus subsidium; et quia dictas abbatissam et conventum ipsum praesens generale Capitulum praemissorum ratione vult contentari, ipsasque timeat a praedicta diffinitione inconsulte forsan appellaturas, fratri Matheo de Paganis, Ordinis procuratori generali in Curia districte praecipit quatinus, si contingat praedictam abbatissam et conventum de Huelgas supradictos a praedicta diffinitione nuper facta appellare, sumptibus Ordinis ipsam appellationem prosequatur.

1517

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis.

DIFFINITORES: De **Cistercio**, de Voto, s. th. pr., de Candelio, de Igniaco, de Rivosicco, monasteriorum abbates; de **Firmitate**, de Ellancio, de Vetericampo, de Dublinia, de Miratorio, monasteriorum abbates: de **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Bonoradio, de Pinu, de Palatio, monasteriorum abbates; de **Claravalle**, de Tribus fontibus, de Villari, de Ursicampo, de Neth, monasteriorum abbates; de Frigidomonte, s. th. pr., loco domini **Morimundi**, de Bellavalle, de Charitate, de Longovado, de Molinis, monasteriorum abbates.

CONFESSORES: de Gemelnis, de Longoponte, de Dublinia, de Claroloco, de Signiaco, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CÆREMONIARUM: de Claravalle, de Frigidomonte, de Caroliloco, monasteriorum abbates, prior et supprior Cistercii professi.

PROMOTOR CAUSARUM: procurator Ordinis in Curia.

1517. *Fontes*: *A*[4]: 1-5 *(abbrev.)*, 6-13, 16, 23 *(prima verba tant.)*, 51, 57, 58, 59; *L*[7]: A), 1-72; *M*: 8, 9; P[2]: 1, 7-12, 14-17, 20, 21, 48.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Bullione, de Insula Barrensi, de Regalimonte, de Vallelucenti, monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Gardo monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Gratia Dei, s. th. pr., de Rigniaco, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Aceyo, de Cheminione, de Signiaco, et quos Rmus voluerit deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Claudius de Pontescisso, Petrus Damant, Cistercii professi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo decimo septimo, in generali Capitulo tempore Rogationum apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b] ... et maxime pro domino Francisco, miseratione divina episcopo Albanensi, S. R. E. cardinali, nostrique Ordinis in Curia protectore, *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*

3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Blasius, abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster. ... *etc.* necnon in summa 2277 libr. 19 solid. 4 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli anni Domini 1516 ... *etc.*

7. Quoniam [c] teste Ysidoro [d], legum institutio debet esse loco, temporique conveniens, cuius ratio longo successu et multiplici experimento cognoscitur, ideoque licet nonnullis annis praecedentibus fuerit institutum, ut generale Capitulum praesentium Rogationum diebus celebrandum ex festo Crucis mensis septem-

[a] *Titulus apud A^4L^7.* [b] Sub Leone... *etc* : P^2. [c] Praefuit in isto gen. Cap. b. m. Blasius, abbas Cistercii, qui procurvait mutationem temporis Cap. gen. : P^2. [d] hisidoro : P^2.

bris deinceps transferretur ; nihilominus tamen praesens generale Capitulum, experientia magistra maturius perpendens quam ineptum sit et scandalosum quoslibet christianos et praesertim praelatos Ordinis et monachos, durantibus tam sanctis festorum et solemnitatum diebus, quibus praecipue divinae contemplationi et servitio ecclesiastico vacandum sit, ab suis monasteriis non parvo cum populi scandalo opportere abesse ; cumque hac parte temporis anni totius maior sit tam hominum quam iumentorum in victualibus penuria et defectus, quippe quae praeterioris anni totius pene iam consumpta sunt ; praeterea calor ingens itinerum et semitarum durities, iuncto insuper quia ab institutione *Ordinarii* suo loco et ordine provisum est, ut per dies praedictos, post festum Crucis tricenarium missarum continuis diebus solveretur, et quidem commodiori longo tempore quamquam quod est alteri proprio servitio deputatum quemadmodum constat de tempore hoc Resurrectionis, Rogationum et Pentecostes, quare, inquam, praesens generale Capitulum censuit et censet, diffinitque in posterum huiusmodi congregationem et generalis Capituli celebrationem, perpetuis, Deo duce, duraturam saeculis, esse ad memoratum mensem septembrem et festum Crucis denuo transferendum, cuius prima, Deo praevio, non in primo festo Crucis proximi septembris, sed anni alterius immediate sequentis celebrabitur, ita quod accessuri ex Divione unde egredientur die Prothi et Iacinthi, post prandium, in hunc locum Cistercii ad coenam perventuri.

8. Praeterea, quoniam Ordinis totius conformitas non modo in cantu et divino servitio, sed etiam in habitu et vestimentis hactenus laude non modica constat fuisse commendata, videns praesens generale Capitulum ineptitudinem et diversitatem in gerendis palliis sub caputiis, quae aliquando ob penuriam et paupertatem ab omnibus et singulis in promptu non habentur, aut si habentur, non eiusdem coloris aut materiae ; quod si etiam talia habenda, quae vicissim quisque eques et pedes indueret, egrediendi [d] facultas non cuiquam suppetit. Quare praesens generale Capitulum cupiens huiusmodi diversitatem protinus ad unitatem reducere, praecipit deinceps super caputia honesta, quantum fieri poterit, decentia et religiosa pallia portari, utpote quae sint religiosae formae, perforata ad manicas, coloris nigri, apparente de-

---

[d] concedi : *A*[4] ; cuiusmet : *M*.

super supremo caputii, quatinus sub et supra sese iugiter praeferant indicia monasticae professionis.

9. Praesens generale Capitulum libenter amplectens salubrem monitionem Rmi D. cardinalis de Luxemburgo, S. Sedis apostolicae a latere legati in Francia, ad instantiam regis christianissimi, necnon dominae consortis suae reginae devotissimae, imo etiam SS. D. N. Papae, pro reformatione monasteriorum Ordinis utriusque sexus, in suis regnis et dominiis, in primis quae potest et debet humillimas gratiarum actiones ipsis affectuosissime et humillime refert, ex nunc decernens et instituens per singulas provincias commissarios quos postea nominabit, qui iuxta eorum intentionem habeant huiusmodi reformationem viriliter prosequi. Quare etiam modo in visceribus charitatis omnes et singulas Ordinis personas, tam praesentes quam absentes, instantissime praemonet, quatinus sese ex nunc praeparent huic tam sancto operi, et ut creditur a divino Spiritu suggesto, praebere faciles et benivolos. Quem quidem Rmum D. pro tam benivolo ad totius Ordinis nostri in utroque homine reparationem et restaurationem affectu, in omnibus bonis spiritualibus hucusque factis, et quae per Dei gratiam in Ordine postea fient, ea liberalitate et auctoritate qua potest, facit perpetuo participem.

10. Praesens generale Capitulum aegre ferens praesumptionem quorumdam commendatariorum, necnon malum et inordinatum affectum quorumdam Ordinis religiosorum, diffinitiones iam pridem factas et expeditas denuo renovando prohibet singulis personis Ordinis universi, ne deinceps in confessionibus audiendis, in faciendis professionibus, necnon in instituendis vel destituendis prioribus et ceteris officiariis, seu etiam in quibuslibet actionibus iurisdictionem spiritualem Ordinis concernentibus, quomodolibet pareant aut obediant commendatariis, sub poenis et censuris in praedictis statutis et diffinitionibus iam pridem specificatis, in plenaria Ordinis potestate.

11. Praesens generale Capitulum mature considerans, quanta quamque multiplicia damna Ordini provenerunt ex eo quod personae multiplices et varii status, tam saecularium quam religiosorum et praesertim Ordinis Mendicantium, passim et familiariter nimium dudum hucusque in nonnulla Ordinis monasteria fuerint receptae et introductae. Cui quidem morbo adhuc, ut fertur, solito crebrius in dies ingravescenti, pro virili occurrere satagens, diffinitiones iam pridem diu super eo factas et promulgatas denuo

renovando, prohibet districtissime etiam sub attestatione divini iudicii omnibus et singulis Ordinis personis, quarum intererit respective ne deinceps sic passim facile et familiariter quaslibet personas in monasteria Ordinis recipiant aut recipi faciant, etiam praetextu praedicationis, quoad praedictos Mendicantes, non petita licentia et obtenta a Rmo D. N. Cisterciensi, seu a commissariis Ordinis ab eo vel a generali Capitulo deputatis, nisi forsan ubi pro vitae aut viae necessitate aut causa alia inevitabili tales contingeret in locis Ordinis adventasse, qui sine gravi periculo aut offensione legitime non possent excludi, ubi tunc exhibito eis eleemosinae subsidio, quod nulli est negandum, seu expedito quod tunc emerserit negotio, ea modestia et temperamento sic sese eos licentiando, ab eis debebunt excutere, ut alias non videantur nimia familiaritate allecti ad eadem Ordinis loca redire debuisse.

12. Licet praecedentibus annis per generalia Capitula, saepius decretum extiterit, ut singuli abbates noviter promoti ad proximum inde generale Capitulum afferre deberent decreta electionum suarum, nihilominus tamen praesens generale Capitulum pie considerans longinquitatem et ex eo difficultatem quarumdam provinciarum, praedictas diffinitiones quodammodo limitando et specificando, permittit abbatibus de provinciis Ecclesiae et consimilium distantiarum, quatinus si non possint originalia decretorum electionum suarum afferre, satis sit eis duplum earumdem infra biennium aut triennium ad summum eidem generali Capitulo more solito praesentare, quod nisi tempore praefixo attente expleverint, ex nunc vult et decernit poenas in praedictis diffinitionibus contentas huiusmodi negligentes et contemnentes merito incurrisse.

13. Praesens generale Capitulum attente considerans non solum importunitatem, sed etiam fictam mendicitatem, quorumdam abbatum Ordinis in dies infestantium se praetextu eventus temporalis et fortuiti, a solutione ordinariae quottae contributionum absolvi, cum inter praecipua Ordinis subsidia solutio huiusmodi sit plurimum Ordini necessaria, et sine qua respublica ipsius Ordinis non modo minime prosperari, immo neque diu existere potest, ex nunc vult, declarat et decernit omnes huiusmodi frivolas excusationes pro nullis et inefficacibus haberi, et his non obstantibus suas huiusmodi contributionum summas a quibuslibet ex integro singulis annis debere persolvi ; alias autem contradicentes et re-

futantes, per commissarios Ordinis, per omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria Ordinis potestate, compellantur.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

14. Generale Capitulum audita rationabili querimonia abbatis de Rivosicco, in regno Castellae, quoad provisionem novorum abbatum in praedicto monasterio contingentium, quantum discretius fieri potest, periculis obvenientibus in huiusmodi provisionibus providere cupiens, vult et decernit deinceps, et quando contigerit huiusmodi monasterii provisio novi abbatis facienda, cum nullos habeat nisi a se remotissimos abbates, ut pro praesidente in huiusmodi electionibus possit priorem eiusdem domus Rivisicci, seu praesidentem, qui pro tempore ibidem extiterit, assumere, qui omnia et singula in huiusmodi negotio, auctoritate Ordinis faciat et expleat usque ad confirmationem exclusive; pro qua quidem confirmatione teneatur ipse electus recurrere vel ad patrem abbatem, vel ad Ordinis commissarium in illis partibus, etiam si triennalis fuerit, seu etiam ad priorem Calatraviae, vel demum ad generale Capitulum Ordinis, qui eiusmodi confirmationem, observatis debitis conditionibus, auctoritate Ordinis et patris abbatis facere possint, in plenaria Ordinis potestate.

15. Frater Blasius, abbas Cistercii ... *etc.* et est talis : Commune vulgatumque proverbium est, quoniam duorum malorum minus est eligendum ; praesens itaque generale Capitulum fide dignis referentibus informatum super desolatione et pene omnimoda destructione monasterii monialium, Ordinis nostri Cisterciensis, in pago S. Sulpitii, super cuius reparatione, eodem sexu ibidem remanente, minime unquam videtur sperandum, tum ob dicti loci longum diuturnumque reddituum et aedificiorum attenuationem, tum ob praesidentium et regentium incuriam et pusillanimitatem, alterum eorum praeacceptans, utpote dictum monasterium S. Sulpitii, potius mutato, non Ordine aut habitu, sed sexu solum quodammodo in melius restaurari, quam frustratis omnino fundatorum intentionibus in toto destitui et annullari, ipsum ex nunc indulto, concessione et beneplacito privilegiorum eidem Ordini a Summis Pontificibus collatorum, iungit, unit et incorporat perpetuis futuris temporibus monasterio de Candelio, eiusdem monasterii abbati pari indulto conferens auctoritatem et plenum

posse, imo eidem iniungens districte quatinus loco praedicti monasterii de S. Sulpitio prius in melius reparato, ibidem certos ex religiosis suis duos vel plures iuxta loci eiusdem facultates, collocet et constituat, ad nutum suum et successorum suorum deinceps revocabiles, qui servitio divino diurno pariter et nocturno per eos expleto,in hoc quantum laudabilius fieri poterit, perpetuis ex nunc successuris temporibusDei et fundatorum loci ipsius expleant voluntatem et populum christianum vitae honestate et religionis exemplo iugiter aedificent. Interea autem, si quae aut circa personam aut personas, si quae forte sint, dictum monasterium occupantes, aut quaecumque alia huiusmodi unionem concernentia agenda occurrerint, idem praesens generale Capitulum eiusdem abbatis de Candelio curae, discretioni et omnimodae dispositioni committit, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

16. Cognoscens praesens generale Capitulum improperium Evangelii increpantes eos, qui opus voluerunt incipere et non potuerunt consummare, et proinde cavere volens ab incursu improperii huiusmodi et praesertim in tam laudabili opere, ut est consummatio aedificii ecclesiae collegii S. Bernardi Parisiis, commissiones iam pridem factas et pene expiratas super recollectione subsidii eiusdem ecclesiae, in forma renovat ad sequens quinquennium duraturas, cum iniunctione repetendi arreragia eidem operi debita, in plenaria, etc.

17. Praesens generale Capitulum nimia ingratitudine permotum inordinato zelo et excessu eorum qui dicuntur de congregatione triennalium eiusdem Ordinis in regnis Hyspaniae, qui non contenti commissione eis nuper ab Ordine concessa, cetera monasteria Ordinis non triennalia aliarum commissionum seu bullarum auctoritate visitant,et quasi contemnentes dicti Ordinis et Capituli generalis auctoritatem et pactum cum eis benivole initum, alia huiusmodi monasteria ad ritum suum in dies trahere moliuntur, et suae congregationi unire. Quapropter huic abusui pro posse obviare cupiens districte prohibet omnibus et singulis personis Ordinis universi, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis latae sententiae poena, et aliis Ordinis censuris, ne in his aut aliquo eorum ipsis triennalibus obediant, eos virtute alterius commissionis, quam ab Ordine in visitatores recipientes aut assensum quoquomodo praebentes, ut monasteria non triennalia cum triennalibus uniantur ; quod si praestito iuramento cuipiam de Ordine nonnunquam contigerit huic rei assensum praebuisse,

committit idem generale Capitulum commissariis Ordinis in illis partibus ut eos ab huiusmodi iuramentis absolvere possint, in plenaria, etc.

18. Praesens generale Capitulum iam multiplici experimento informatum super zelo discretione, diligentia et fidelitate fratris Mathei de Paganis, procuratoris Ordinis in Curia romana fidenter sperans de perseverantia eius in praemissis virtutibus pro commodo Ordinis, cui ipse addictus est, licet ipse in praesentiarum ab officio huiusmodi procuratoriatus requisierit se absolvi, nihilominus iniungit sibi, quatinus in eodem officio perseverando iugiter agat quae circa illud hucusque laudabiliter ab eo incepta sunt, volens et decernens eius commissionem super eiusdem officii institutione in forma renovari.

19. Ad requestam abbatis de Ardorello remonstrantis excessum contributionum suarum, quae sunt novem libr. turon. et habito respectu ad sumptus et servitia, quae pro bono Ordinis in partibus Tolosanis frequenter Ordini exhibuit, praesens generale Capitulum, vita eiusdem abbatis durante, vel donec alias fuerit ordinatum, ei super dictis contributionibus remittit annis singulis duas libras cum dimidia, ita ut deinceps sit quittus donec, ut supra dictum est, alias fuerit ordinatum, pro quinque libris cum dimidia, in plenaria, *etc.*

20. Praesens generale Capitulum favorabiliter annuens petitioni abbatis de Palatio, in dioecesi Lemovicensi, permittit ut libere possit cum sibi et cui placuerit monasterium suum de Palatio resignare, modo sit persona idonea et Ordinis Cisterciensis professa.

21. Visa supplicatione abbatis de Recluso petentis se absolvi a non esu carnium, non obstante institutione novissime facta in eodem monasterio per dominum abbatem de Claravalle, idem monasterium visitantem, habito respectu ad corporis eius imbecillitate, gravedinem aetatis, et ceterorum quae eadem ipsa supplicatione instanter insinuat, praesens generale Capitulum, praedicta institutione non obstante, secum pro sola eius persona dispensat, ut in Septuagesima, non in Adventu, tribus diebus in hebdomada, etiam in coena, carnibus uti possit, in plenaria, etc.

22. Audita supplicatione abbatissae B. M. de Huelgas, in civitate Burgensi, in regno Castellae, multa et varia continente, cum praedictum monasterium subsit immediatae iurisdictioni Rmi D.

Cisterciensis, praesens generale Capitulum eidem Rmo totum negotium remittit, qui interea ubi durabit commissio data triennalibus de visitandis monasteriis in Hyspania, suspendere poterit, quoad monasterium praedictum et ab eo dependentia, commissionem eisdem triennalibus a generali Capitulo paucis ante annis concessam, eisdem causas intimando propter quas hoc fieri debeat, in plenaria, etc.

23. Ad augmentum et multiplicationem reddituum monasterii S. Remigii, in patria Leodiensi siti, et ut inde preces ad Deum multiplicentur, audita ab abbate eiusdem monasterii supplicatione et libere consentiente conventu, praesens generale Capitulum concedit auctoritatem, quatinus pro competenti et legitima dotatione cuiusdam decimae, aut alterius aequivalentis, se possint obligare ad solutionem unius missae privatae perpetuis temporibus, in singulis septimanis in eodem monasterio dicendae, intuitu et contemplatione honesti viri domini Ioannis Mareschal, curati de Wallin. Datum, etc.

24. Quoniam generali Capitulo innotuit de sumptu et sollicitudine necessario exhibitis, et adhuc postea exhibendis, per abbatem modernum de Igniaco, in prosecutione iuris sui in monasterio de Savigniaco, eo igitur quo licite fieri potest dictum negotium favore prosequendo, praesens generale Capitulum, processu ipso durante et abbate ipso processum ipsum continuo viriliter prosequente, ei et monasterio suo gratuite remittit quottam contributionum singulis annis per eum debitarum, eum ipsum et dictum monasterium a praedictis contributionibus una cum arreragiis, si quae adhuc restent, absolvendo, et simul eidem interdicendo, ne absque Ordinis licentia relicto iure suo cum parte sua adversa paciscatur, sed viriliter prosequatur ad finem usque ius Ordinis per eum praetensum, confidens in Domino quoniam faciet cum tentatione proventum.

25. Praesens generale Capitulum ad plenum confidens de zelo, prudentia et discretione fratris... *(locus vacuus)* baccalarii de Vallemagna, et praesertim pro eo quod dictum monasterium subest saeculari commendatario, qui nullam in subditos eiusdem monasterii habet iurisdictionem, ne ergo dictum monasterium tamquam proprio pastore destitutum maneat improvisum, sed pro agendis in regimine spirituali ad aliquem vice Ordinis fungentem recursum suum habeant personae Ordinis eidem monasterio subiectae eumdem fratrem ... committit et constituit vi-

carium Ordinis in spiritualibus, dumtaxat ad ea agenda omnia et singula circa personas Ordinis eidem monasterio subiectas, ad quae se extenderet potestas, si ab eiusdem monasterii vero et regulari et legitimo abbate in sua absentia vicarius institueretur, in plenaria, etc.

COMMISSIONES

26. Ad requestam reginae Siciliae scribentis pro visitatione monasterii d'Escureyo, sibi in ducatu Lotharingiae et defectu polliciae et regiminis iam pene ruinam imminentis, et ad internitionem usque deducti, ut occasione illius etiam alia monasteria sentiant utilitatem, praesens generale Capitulum committit dominum abbatem de Claravalle, non modo super praedictum monasterium de Escureyo, sed etiam super alia omnia Ordinis monasteria, tam virorum quam mulierum, in ducatibus Barri et Lotharingiae sita, quatinus illuc sese tranferat ad visitandum dicta monasteria et reformanda omnia et singula eorum, in capitibus et in membris, in plenaria, etc.

27. Abbates de Campania et de Bellabrancha simul praesens generale Capitulum committit ad se debite et diligenter informandum, si frater Vicentius electus de Claromonte huiusmodi monasterium alicui personae saeculari resignaverit, et si invenerint ita factum, ad puniendum eum secundum Ordinis statuta per omnes iuris et iustitiae vias, et simul ad inquirendum an dictum monasterium vacet, quod si ita invenerint, provideant eidem de persona Ordinis idonea, et maxime si facultas suppetit, graduata, in plenaria, etc.

28. Abbati de Candelio praesens generale Capitulum committit et confert auctoritatem et plenum posse transigendi una cum procuratore Ordinis in illis partibus, cum monasterio Bonaecumbae de et super arreragiis contributionum, seu etiam subsidiorum eidem Ordini debitorum, gratum et ratum habiturum quidquid ab eis forma et modo debitis bona fide fuerit actitatum. Datum, etc.

29. Praesens generale Capitulum ob multiplicem experientiam fidelitatis et diligentiae abbatis de Ardorello in negotiis Ordinis iam pridem exhibitae, rursus ei conferre volens amplioris exercendae virtutis materiam, eum constitutit procuratorem Ordinis in partibus Tolosanis, una cum potestate instituendi unum vel plures qui similem seu limitatam in eisdem limitibus habeant po-

testatem et pariter cum clausulis opportunis et conditionibus quae postea in suo procuratorio ponendae esse videbuntur.

30. Generale Capitulum debite informatum super renitentia et contradictione abbatis de S. Leonardo prope Rupellam, in solvendis arreragiis contributionum per eum et suum monasterium iam a praecedentibus annis Ordini debitis, commissario Ordinis in illis partibus districte iniungendo committit, quatinus iuxta Ordinis diffinitiones et statuta et sub censuris Ordinis praedictum abbatem cogat ad solvendum integre eadem arreragia et debita, et nihilominus pro iniuriis receptoribus illatis, citet eum ad generale Capitulum proxime futurum comparendum, in plenaria, *etc.*

31. Perlatum est ad aures praesentis Capituli generalis, quamdam monialem nomine Mariam Prevoste, professam monasterii de Gomerifonte, Rothomagensis dioecesis, contra decentiam status sui et votum suae professionis, inque grave animae suae detrimentum, iam diu quasi vagabundam a suo monasteri abesse, quod graviter admodum ferens velut revera toti Ordini infame et scandalosum, abbati de Voto, s. th. pr., idem generale Capitulum districtius iniungendo committit, quatinus dictam sororem ad praedictum monasterium de Gomerifonte, unde professa est, cum effectu conetur reducere, abbatissam eiusdem monasterii et moniales ad eam recipiendam, fovendam et manutenendam compellendo, simul et dictam sororem iuxta demeritorum suorum exigentiam puniendo, in plenaria, etc.

32. Ad idem, de quadam moniali, monasterii de Oriente, quae duxit virum cum quo diu conversa est, in forma simili committitur abbatibus de Villari et de Nizella, et cuilibet eorum in solidum.

33. Praesens generale Capitulum luce clarius perpendens fore Ordini plurimum iniuriosum et damnosum, cum personae Ordinis pro discussione controversiarum inter eas insurgentium passim recurrunt ad curias Parlamentorum et iudiciorum saecularium, apprime cupiens huiusmodi temeritati de remedio providere, dominis abbatibus de Claravalle, de Caroliloco et de Frigidomonte, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus omnes et singulas Ordinis personas utriusque sexus, quas in hoc transgressas invenerint, sub poenis et censuris Ordinis prohibeant penitus abstinere, eas ad iurisdictionem Ordinis remittendo, in plenaria, etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

34. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Georgii de Thoreyo ad abbatialem dignitatem monasterii de Quinciaco, Ordinis nostri Cisterciensis, dioecesis Lingonensis, rite et canonice factam per monachos eiusdem monasterii, praesidente in ea domino abbate monasterii Pontigniaci, patre abbate dicti monasterii de Quinciaco, factam et celebratam, *etc.* confirmat, *etc.* supplendo, *etc.*

35. Ad idem, de electione de persona fratris Michaelis Mulet, ad monasterium de Barbello, praesidente ibidem abbate de Caroliloco, Ordinis commissario, etc.

36. Ad idem, de electione abbatis de Pratea.

37. Ad idem, de electione abbatis de Vallibus Sernay.

38. Ad idem, de electione abbatis de Grandisylva, cuius praesentatum est duplum.

39. Ad idem, de decreto electionis de Crista.

40. Ad idem, de decreto electionis de Grussayo.

41. Ad idem, de decreto electionis Montis S. Disibodi, cuius praesentatum est duplum.

42. Ad idem, de decreto electionis monasterii Lucellensis.

CONFIRMATIONES TRACTATUUM

43. Nos, frater Blasius, *etc.* ... et est talis : Abbatibus de Bellavalle, de Charitate, de Aceyo et de Gratia Dei, s. th. pr., et duobus eorum simul praesens generale Capitulum committit, quatinus ipsis debite informatis super contractu quondam inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Bitania, dioecesis Bisuntinensis, ex una, et Ioannem Prevost, Stephanum Prevost, et quosdam alios partibus ex altera, ut plenius ex litteris super eodem contractu factis, cui praesentes annectuntur, continetur, si praedictum contractum viderint esse praedicto monasterio utilem et commodum, ratificent, approbent et confirment in plenaria, *etc.*

44. Nos, frater Blasius, ... etc. et est talis : Audita supplicatione authentici ac iuris consultissimi viri magistri Guillelmi Basin, qua continebatur eum quandoque fuisse liberatum et absolutum a servitute manus mortuae, qua monasterio de Caroloco prius afficiebatur, et a qua per fratrem Remigium quondam eiusdem monasterii abbatem, una cum consensu conventus eiusdem

monasterii fuerat absolutus, petens absolutionem seu liberationem huiusmodi eiusdem Capituli generalis auctoritate confirmari, praesens generale Capitulum nihil subito aut temere in praeiudicium cuiusquam attentare volens, huiusmodi examinationem negotii committit abbatibus de Charitate et de Gratia Dei, s. th pr., simul faciendam ; quam si invenerint rationabiliter et ad utilitatem dicti monasterii de Caroloco fuisse factam approbent et confirment, in plenaria, etc.

45. Abbatibus de Bellavalle, de Charitate et de Theoloco, et duobus eorum coniunctim, praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatum cui praesens diffinitio annectitur, inter abbatem et conventum monasterii de Aceyo ex una, et nobilem virum dominum Symonem de Rya, dominum de Balençon, partibus ex altera, initum et passatum, diligenter et debite examinent et inquirant ; et si praedictum tractatum partibus ipsis utilem fore compererint, ipsum ratificent, *etc.*

REHABILITATIONES

46. Ad instantiam abbatis de Longoponte supplicantis pro rehabilitate fratris Nicolai Villain, professi monasterii eiusdem de Longoponte, super contagio carnis convicti, pro eo quod mulierem quamdam suspectam in praedictum monasterium introduxerit seu introduci fecerit, cognitis etiam per eumdem abbatem emenda et correctione debitis, praesens generale Capitulum praedictum fratrem ab omni inhabilitatis et infamiae nota, quam occasione praedicta iuxta statuta religionis nostrae posset incurrisse, absolvit, deonerat et rehabilitat, misericorditer cum eo dispensando, ut hoc non obstante ad omnes gradus, officia et dignitates, absque infamiae aut inhabilitatis nota, velut numquam id sibi contigisset, in futurum admitti possit, in plenaria, *etc.*

47. Ad idem, de fratre Petro, diacono professo de Longocampo, pro eo quod illicentiatus egressus est monasterium, et se nihilominus divinis immiscuit, ad instantiam abbatis sui.

48. Supplicationem domini abbatis de Pontigniaco praesens generale Capitulum libenter annuens, ei concedit facultatem quando sibi placuerit et viderit expedire, rehabilitandi de religiosis suis usque ad numerum senarium, ad omnes gradus et officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, etc.

49. Etsi poenae infligendae sententia nonnunquam iustitiae

rigorem voce deprompta praeseferat, ad intentionem tamen legislatoris, cuius eam est interpretari, reducta plerumque in mediocritatem quamdam et modestiam masuescit, quare licet dudum contra fratrem Petrum de Lupis, alias Bouchier, monachum de Caroliloco, demeritis suis exigentibus, fuerit sententiatum, ut perpetuis manciperetur carceribus in pane doloris et aqua tristitiae, etc.; audita tamen supplicatione abbatis sui, s. th. pr., praesens generale Capitulum erga praedictum fratrem, vel ipsum relaxando vel eum mitius clausum carcere retinendo, praedicti abbatis sui conscientiae et discretioni committit, in plenaria, etc.

50. Ad idem, abbati de Dunis, de absolutione in fore interiori et commutatione poenae carceris in aliam poenam, quoad fratrem Armetis, eiusdem monasterii professum, in plenaria, etc.

PROVISIONES SCOLARIUM

51. Visa supplicatione abbatis de Grandisylva, dioecesis Tolosanensis, qua studio litterarum instanter supplicabat, quatinus eidem et tribus fratribus videlicet Ioanni de Clota, Petro de Casalibus iuniori, et Christoforo de Rocheta, liceret prosequi cursum in facultate decretorum, cuius notitia praesertim his diebus non modice Ordini nostro conducere potest, praesens itaque generale Capitulum eiusdem supplicationi libenter annuit eatenus ei consentiendo, ut id in aliqua famosa Universitate possint usque ad gradum doctoratus inclusive iugi studio in eadem facultate versando, in plenaria, etc.

52. Audita supplicatione octo abbatum, videlicet de Tribus fontibus, tamquam patris et visitatoris de Cheminione, de Monasteriis, de Aureavalle, de Cahereyo, de Caladia, de Castellione et de Altofonte, tamquam filiorum subditorum eius pro ordinatione inter eos ad mittendum scolares ad collegium Parisiense, praesens generale Capitulum ita diffinit et ordinat, ut quatuor haec sequentia monasteria mittere habeant ad idem collegium tres scolares, videlicet de Tribus fontibus, de Cheminione, de Monasteriis et de Aureavalle; haec autem quatuor sequentia, videlicet de Cahereyo, de Caladia, de Castellione et de Altofonte mittere habeant ad praedictum collegium duos scolares, in plenaria, etc.

IUDICES

53. Domino abbati de Claravalle et abbatibus de Caroliloco, de Frigidomonte et de Gratia Dei, s. th. pr., item de Aceyo, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus si legitimis instrumentorum aut testium documentis invenerint aliquas Ordinis personas aut loca in aliquibus pecuniarum summis monasterio Cisterciensi aut personis eiusdem teneri et obligari, per omnes iuris et iustitiae vias, compellant eas ad integre eisdem satisfaciendum, in plenaria, etc.

54. Ad idem, pro domino de Caroliloco, assignantur iudices abbates de Frigidomonte, s. th. pr., de Regalimonte et de Barbello, et quilibet eorum in solidum.

55. Ad idem, honesto viro Guillemo Blanchot, mercatori Salinensi, contra fratrem Nicolaum Perret, quondam abbatem de Bullione, nunc de Albaripa, pro summa 51 libr. 5 gross. 10 denar., quas praedictus mercator dixit sibi ab eo deberi, assignantur iudices dominus abbas de Claravalle, de Aceyo et de Gratia Dei, s. th. pr., et quilibet eorum in solidum.

56. Ad idem, contra eumdem Dionysio Loyette scutifero, et domino Daresche, pro 30 libris, iidem iudices assignantur.

CONTUMACIAE ET CITATIONES

57. Fratres Ioannem ... priorem monasterii de Misericordia Dei, Martinum Caillault, Stephanum Dorin... ad secundam diem praesentis Capituli generalis legitime citatos, debiteque expectatos et vocatos et non comparentes, neque per se neque per alium, praesens generale Capitulum rebelles, contumaces et excommunicatos reputat, denuntiat et declarat, et ad secundam diem proximi generalis Capituli denuo citat, in plenaria, etc.

58. Generale Capitulum destinavit citandum per commissarium Ordinis in illis partibus, abbatem de Faesia, ad proximum generale Capitulum, ad respondendum promotori obiiciendis sibi eo quod visitavit virtute commissionis commendatarii de Caduino monasteria eidem monasterio de Caduino immediate subiecta, et quod afferret ad dictum generale Capitulum ea quae in dictis monasteriis per eum visitatis ordinaverit.

59. Ad idem, commissario Ordinis in partibus ad citandum ad secundam diem Capituli generalis proxime venturi, abbatem

de S. Leonardo prope Rupellam, ad similiter respondendum super rebellione per eum facta commissario ad levanda arreragia contributionum per eum debita

SUFFRAGIA

60. Illustrissimae et potentissimae dominae reginae Siciliae, frater Blasius, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores ... etc. Quamquam ... etc. tamen ad hoc nimium affici debemus, quorum beneficiis multipliciter deliniti et praesertim regum et reginarum, tamquam praecellentium, ut ait Petrus, gratitudinis impellente iustitia, merito reddimur debitores. Exigente itaque ... *etc.* participationem omnium bonorum spiritualium, ... *etc.*

61. Ad idem, illustrissimo duci Lotharingiae et Barri, eiusque inclytae uxori.

62. Ad idem, ad instantiam domini de Ellancio honorabili et generoso viro domino Paschasio Duflux, receptori de Maceriis supra Mosam et Ioannetae uxori eius.

63. Ad idem, spectabili et consultissimo viro magistro Ioanni Bricon, in suprema curia Parlemanti Rothomagensis consiliario, eiusdemque consorti.

64. Ad idem, ad instantiam abbatis de Claroloco domino Symoni Mealcette, ecclesiae S. Nicolai de Portu, praecipuo constructore ac eiusdem abbatis avunculo et benefactori praecipuo.

65. Ad idem, ad instantiam abbatis Longipontis, viro strenuo domino Florimundo de Villers et suae coniugi, eiusdem monasterii Longipontis benefactoribus.

66. Ad idem, ad instantiam abbatis de Rigniaco, reverendo in Christo patri domino Ioanni de Popeto, praesuli et episcopo Cabilonensi, et pro nobili diacono Guillelmo de Remgny, domino de Jugis, eiusque consorti et unico filio ; et pro magistro Petro scutifero, eiusque consorti, et pro Guillelmo Vire eiusque consorti.

67. Ad idem, pro Philippo de Courcelles, domino de S. Leonardo, et filio Edmundo domino de Lanlay militibus.

68. Ad idem, ad instantiam domini de Signiaco nobili viro Aegidio de Rane, et pro Iaquelina eius uxore.

69. Ad idem, ad instantiam abbatis de Voto pro magistro Iacobo Calenge, vicecomiti Pontis Archiae, eiusque consorti.

70. Ad idem, ad instantiam abbatis B. M. iuxta Dublinum

domino Girardo comiti Caldriae, deputato domini regis Angliae in Hybernia, eiusque uxori et filiis.

71. Ad idem, ad instantiam abbatis de Villari pro domino Ieronimo Van Drenork, milite cancellario illustrissimi regis catholici ducatus Brabantiae, eiusque consorti et liberis.

* * *

72. Quia propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1506, *n*o 30.

1518

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli anni Domini 1518, in die Prothi et Iacinti celebrati in monasterio Cistercii.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, s. th. pr., de Miratorio, s. th. pr., de Forda, de Calercio, de Neth, monasteriorum abbates ; de **Firmitate**, de Maceriis, de Igniaco, de Longovado, de Locrocrecenti, monasterium abbates, de **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Quinciaco, de Palacio, de Villanova, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Frigidomonte, s. th. pr., de Albaripa, de Rigniaco, de Caravalle, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Bellavalle, de Tela, de Insula Barrensi, de Fristorf, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Sigilleriis, de Caravalle, de Forda, de Calercio, de Bullione, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CÆREMONIARUM : de Claravalle, de Morimundo, monasteriorum abbates ; prior et supprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : Nonnus Nicolaus, s. th. pr., de Monastriis professus.

RECEPTORES EXCUSATIONUM: de Caladia, de Aceyo, de Septem fontibus, de Clarofonte, monasteriorum, abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Ripatorio monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Roseriis, s. th. pr., de Bonoradio, monasteriorum abbates.

1518. *Fontes* : A^4 : A), 1-5 *(abbrev.)*, 6-17, 29-38, 68, 81-84 ; L^7 : A, B, 1-94 ; *M* : 7, 11, 16 ; P^2 : 6 *(abbrev.)*, 7, 10, 11, 13, 15 *(abbrev.)*, 16, 51, 52, 54, 64, 70, 83, 89.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Ardorello, de Monasteriis, de Cheminione, de Recluso, et quos voluerit Rmus deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Claudius de Pontescisso, et Petrus Damant [a], Cistercii professi.

B) Numerus abbatum praesentis Capituli generalis.

Reverendissimus dominus Cisterciensis, de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Frigidomonte, de Caroliloco, de Buxeria, de Recluso, de Quinciaco, de Bellavalle, de Ardorello, de Bullione, de Lococrescenti, de Villanova, de Palacio, de Neth, de Bytania, de Freistorf, de Valledulci, de Sigilleriis, de Miratorio, de Maceriis, de Forda, de Bonoradio, de Roseriis, de Albaripa, de Igniaco, de Longovado, de Ripatorio, de Insula Barrensi, de Cheminione, de Caladia, de Monasteriis, de Tela, de Aceyo, de Calercio, de Septemfontibus, de Clarofonte, de Caherio, de Caravalle Mediolanensi.

* * *

Anno [b] Domini millesimo quingentesimo decimo octavo, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, in die Prothi et Iacinti, in mense septembri, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [c] sanctissimo ... *etc.* et maxime pro domino Tiburcio, miseratione divina tituli S. Adriani, S. R. E. cardinali, nostrique Ordinis in Curia protectore benivolo ... *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*

3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus [d], abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis :

---

[a] Dumant : P^7. [b] *Titulus apud* A^4L^7. [c] Sub Leone 10, Tiburcio car... *etc.* P^2. [d] L^7 *notat in marg.* : R. D. Guill. du Boisset, ex abbate Candelii electus abbas Cistercii post D. Blasium de Aisereyo.

Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 12370 libr. 15 solid. 6 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli ... etc.

7. Ut personarum Ordinis regularis observantia protonotarios et alios nostros hostes a malignitate retrahat, cunctosque Christi fideles ad nobis benefaciendum favorabiliter inducat, generale Capitulum districte praecipit patribus abbatibus, ut per se vel suos commissarios monasteriis et personis sibi subiectis superioritatis officium solito diligentius impendant, coabbates suos et religiosos regulariter vivere, tria vota essentialia irrefragabiliter servare, proprietatem radicitus amputare, evagationes effugere, portas monasteriorum clausas tenere, mulieres monasteria nullatenus intrare permittere, saecularitates [e] amputare, moresque pomposos abiicere, indissimulanter compellendo.

8. Generale Capitulum ad excludendam viam malignantium praetextu diversorum regum et principum concordatorum vel indultorum sacras religionis Cisterciensis libertates praetendentium infringere, diffinit et determinat, ut concordatorum et indultorum huiusmodi per Summum Pontificem concessorum interpretatio sub bulla plumbea quam citius fieri poterit, obtineatur.

9. Abbatibus absentibus, qui per litteras vel per abbates se fecerunt excusari, datur auctoritas absolvendi per se vel alios ab ipsis deputandos, semel ante proximum generale Capitulum, suos religiosos et conversos a casibus generali Capitulo reservatis, qui abbates poterunt et aliquo suorum religiosorum de similibus casibus absolutionem obtinere.

10. Electionem abbatum et abbatissarum formam in Ordine hactenus observatam generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

11. Diversorum Ordinis necessitatum anfractibus variis locis passim emergentibus, generale Capitulum ad Beatissimam Dei Genitricem confugiens, ordinat et statuit, ut in omnibus et singulis Ordinis universi sexus utriusque monasteriis, singulis diebus cantetur in fine Vesperarum alta voce, ante [f] antiphonam *Spiritus Sanctus*, antiphona *Inviolata, integra,* cum versiculo *Post partum,* collecta *Famulorum tuorum.*

12. Ad obviandum pernitiosae commendatariorum plagae praetendentium iurisdictionem tam in monasteriis sibi commendatis

[e] saeculares : *M.* [f] *deest M.*

et aliis ab eis dependentibus, quam personis eorumdem locorum, generale Capitulum approbando, ratificando et confirmando omnia Ordinis statuta seu privilegia et diffinitiones praedictos commendatarios attinentia seu concernentia, statuit, ordinat et districte prohibet, ne monasteriorum vacantium religiosi praesumant aliam quam Ordinis nostri personam eligere, quamcumque personam postulare, vel vota sua sub umbra vulpinae fraudis remittere, quibus casibus emergentibus, electiones, postulationes et remissiones, sic, ut praemittitur, factas aut faciendas, ipsum generale Capitulum ex abundantiori cautela reprobat, damnat et reiicit, provione de praemissis monasteriis penes patrem abbatem vel eius commissarium remanente; religiosi vero procurantes in praemissis seu litteras ad electionem consequendam, vel alias a quibuscumque contra formam iuramenti impetrantes, per ipsos patrem abbatem, vel eius commissarium, sic puniantur quod ceteris transeat in terrorem.

13. Ne patres Ordinis in diversarum supplicationum et requestarum receptione deinceps frustra graventur, generale Capitulum districte prohibet, ne quis supplicationes aut requestas, nisi prius fuerint signatae, promotori causarum aut Diffinitoribus porrigere vel porrigi facere praesumat.

14. Personis Ordinis processus contra personas non nostri Ordinis habentibus, generale Capitulum consulere desiderans statuit, ut in earum suffragium procuratores Ordinis, quando requisiti fuerint, causis motis et movendis earumdem Ordinis personarum, ex consilio peritorum se adiungant, dommodo praedictae personae processus habentes sumptus necessarios faciant; et ipsos procuratores et Ordinem sub obligatione centum librarum secundum processuum exigentiam indemnes illaesos et ingravatos reddere, seu garantizare promittant.

15. Propter incertitudinem et variabilitatem mundanae mutabilitatis, circa quam vix potest permanens iudicium seu regula infallibilis promulgari, posteaquam diversis et multiplicibus anni terminis tentatum est, quisnam opportunior potuisset reperiri ad statuendos dies Capituli generalis, denique experientia docente compertum est, nullam partem temporis ad id fore convenientiorem, tum pro serenitate aeris, tum pro excrescentia dierum, tum denique pro otio maiore et vacatione ab operibus quibus potissimum aliis anni partibus pene omnes impediuntur, quam ea pars quae veris dicitur; cuius partes etsi paucis praecedentibus

annis visum extiterit patribus Rogationum dies huiusmodi congregationi generalis Capituli debere deputari, et recentius denuo translata sit ad praesentes dies ; nihilominus tamen maturiori super eo habita deliberatione, inspecto scilicet, quod praedicti dies Rogationum proxime admixti sunt praecipuis anni totius festivitatibus, ex nunc decernit praesens generale Capitulum, non ad praedictos dies Rogationum, quemadmodum prius, sed ad feriam secundam quartae hebdomadae post Pascha, in qua dicitur in ecclesia *Cantate,* deinceps perpetuis futuris temporibus esse transferendam ; ita ut feria praedicta summo mane ex Divione egredientes possint ad missam vel ante Cistercium adventare. Quod quidem generale Capitulum primum post haec celebrandum, non post Pascha proxime venturum, sed ad annum post qui dicitur 1520, Deo duce, celebrabitur. De Tricenario autem Ordinis id ipsum tenendum fuerit, quod pro tempore dicto Rogationum iam est institutum, neque ob id intelligendum est, quod advenientibus proximis Rogationum diebus quotta solita contributionum non solvatur.

16. Quoniam constat quondam fuisse diffinitum ut in monasteriis Ordinis non deberet in officio prioris institui nisi qui ex eodem monasterio professus extitisset ; ex quo nonnullis in locis defectu virorum saepius contingit, ut non sit qui huiusmodi officio valeat institui. Quapropter praesens generale Capitulum praefatam diffinitionem hoc modo censet esse declarandam, limitandam et specificandam : quamdiu videlicet in illis monasteriis idoneus valebit reperiri [g] ; sin autem, iure poterit alio ex loco alius accersiri, qui proprii abbatis interveniente consensu, per omnia subditus sit illi abbati seu praelato, in cuius monasterio fuerit institutus.

17. Omnibus contributionum collectoribus generale Capitulum districte praecipit, quatinus omnes praedictarum contributionum debitores per omnes censuras, excommunicationes et alias iustitiae vias indissimulanter compellant, quibus commissariis totus Ordo modis et viis debitis suffragari conabitur.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

18. Abbatibus de Claravalle, de Roseriis, de Theoloco, de Clarofonte, et duobus eorum simul, committit praesens generale

---

[g] experiri : *M.*

Capitulum quatinus contractum initum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Claroloco ex una, et habitatores de Prognoy partibus ex altera, manumissionem seu affrangisamentum continentem, prout plenius continetur, diligenti scrutinio examinent, informationes debitas super commodo vel incommodo dicti monasterii faciendo, quod inde fecerint Capitulo generali proxime venturo relaturi.

19. Abbatibus de Reigniaco, de Vallelucenti, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super quibusdam contractibus per dominum abbatem Pontigniaci cum diversis personis contractis, passatis et initis, ac de commodo vel incommodo praedicti monasterii ... *etc. ut supra.*

20. Contractus abbatis et conventus de Buxeria initus cum illustrissimo milite domino Gerardo de Vienna, domino de Rüffey, reverenter committitur Rmo D. Cistercii.

21. Abbatibus de Frigidomonte et Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit contractum initum et passatum inter abbatem et conventum de Reigniaco ex una, et Andream Prugnier, civem Parisiênsem, partibus ex altera, ad examinandum, confirmandum vel infirmandum, in plenaria, etc.

22. Abbati de Salem, audita eius relatione super venditione cuiusdam villagii, nomine Balorcheusem, pertinentis monasterio monialium de Bonacella suae visitationis, favorabiliter annuitur, quatinus uno abbate Ordinis secum assumpto, si circumstantiis omnibus attente consideratis, invenerit fore dicto monasterio de Bonacella commodum, dictum villagium vendere possint, dummodo pecunias inde receptas eiusdem monasterii utilitatibus maxime reddituum aliorum et censuum comparationi cum effectu faciat integraliter applicari.

23. Abbatibus de Signiaco et Igniaco committitur contractus initus cum abbate de Ellancio de quadam grangia dicta Dautreux, ad 25 annos, ad confirmandum vel infirmandum.

24. Abbatibus de Claravalle, de Tribusfontibus, de Cheminione et de Monasteriis in Argona, et duobus eorum in solidum, committitur contractus abbatis et conventus monasterii de Altofonte, confirmandus vel infirmandus.

25. Generale Capitulum committit abbatibus de Frigidomonte, Regalimonte, de Barbello, et cuilibet in solidum, ut confirment vel infirment certam concordiam inter sorores Ysabellam Laures et

Mariam de la Pralyères abbatissas de Aqua, compositionemque factam de pensione, in plenaria Ordinis potestate.

26. Praesens generale Capitulum ad humilem supplicationem abbatis de Monte salutis, petentis facultatem permutandi seu dandi in emphiteosim certa dicto monasterio pertinentia, tam mobilia quam immobilia, abbatibus S. Petri de Gomellis, priori de Calatrava, priori de Zaurita, Ordinis Cisterciensis, et duobus eorum simul, committit quatinus si facta diligenti inquisitione, cognoverint permutationem huiusmodi bonorum seu collationem perpetuam in emphiteosim dicto monasterio fore utilem, licentient eumdem abbatem, ut una cum consilio et assensu sui conventus facere possit.

27. Ad petitionem abbatis de Alba dominorum petentis auctoritatem vendendi de bonis immobilibus praefati monasterii sui, usque ad summam octo millium flor. renentium, praesens generale Capitulum abbatibus de Salem et de Mulbrun committit, ut se informent si praedicta venditio fuerit utilis dicto monasterio vel necessaria, et referant futuro proximo generali Capitulo.

28. Ad requestam Rmi in Christo patris ac D. D. Georgii episcopi Spirensis, illustris comitis palatini regni, ac Bavariae ducis, consentiente abbatissa de Ponte salutis et hoc ipsum requirente, praesens generale Capitulum committit abbates in Ebrach, Mulbrun, Bebenhusen, et alteri eorum, ad inquirendum si redditio iurisdictionis facta per dictam abbatissam dicto episcopo de pago dicto Odenkoben, sit dicto monasterio de Ponte salutis utilis et commoda ; quod si ita invenerint, facta diligenti et exquisita inquisitione, confirment, in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES

29. Generale Capitulum Angliae, Walliae, Scotiae, Hyberniae, et locorum quibus illuc dirigitur, reverenter committit D. N. Rmo Cisterciensi.

30. Domino abbati Firmitatis committitur provincia Provinciae et Alverniae.

31. Domino Pontiniaci patria Nivernensis, Pictaviensis, Bituricensis et Britanniae, si sit opus, committitur.

32. Domino Claraevallis continuatur commissio Hispaniae ad quadriennium.

33. Eidem domino Claraevallis committitur Italia, cum locis per quae proficiscitur illuc et inde reditur.

34. Domino Morimundi committitur Alemania, cum suis adiacentibus.

35. Abbati de Valle lucis in Scotia, generale Capitulum committit per immediatum sequens triennium visitationem et reformationem omnium et singulorum Ordinis nostri monasteriorum et personarum in patria Scotiae, cum potestate visitandi, reformandi, corrigendi, instituendi et destituendi, tam in praedictis monasteriis quam eorum personis, tam in capitibus quam in membris, quaecumque secundum Deum et nostrae sacrae religionis statuta viderit facienda, in plenaria Ordinis potestate, dictorum monasteriorum personis districte praecipiendo, quatinus in his et ea concernentibus eidem abbati de Vallelucis pareant et obediant.

CONTUMACES

36. Fratres Stephanum Dorin et Martinum Caillot, religiosos monasterii de Misericordia Dei, ad instantiam promotoris causarum, citatos et non comparentes, generale Capitulum declarat contumaces.

37. Abbatem monasterii de S. Mauritio, in dioecesi Corisopitensi in Britannia, et fratrem Silvestrum Mahe, eiusdem abbatis monachum, per dominum Claraevallis legitime citatos, vocatos et expectatos, et non comparentes, neque per se neque per alium, praesens generale Capitulum declarat rebelles et contumaces; cuius quidem contumaciae et rebellionis declarationem committit abbati de Begario, et iniungendo, quatinus rursus per eum citentur ad secundam diem generalis Capituli proxime venturi ad respondendum Ordinis promotori causarum.

38. Praesens generale Capitulum maxime aegre ferens rebellionem commissam nuper per abbatem de S. Mauritio, dioecesis Corisopitensis in minori Britannia, in personam domini abbatis de Claravalle, ibidem monasterium auctoritate Ordinis et Capituli generalis visitantis, cum contra conscientiam propriam dictus abbas et rebellis nisus fuerit dicti domini visitatoris commissionem multiplici et exquisita calumnia impugnare, ad excludendum et subterfugiendum effectum dictae visitationis, ideo, inquam, praesens generale Capitulum ex nunc declarat dictam commissionem tempore dictae visitationis fuisse legitimam, ratam et vali-

dam, quapropter denuo committit districtius iniungendo abbatibus de Villanova et de Busayo simul, quatinus quamprimum commode per eos fieri poterit, ad memoratum monasterium de S. Mauritio se transferant, ad visitandum cum effectu dictum monasterium, in capite et in membris, reformandum, corrigendum, puniendum et emendandum omnia et singula quae secundum Deum, sancti Benedicti regulam, salutariaque et canonica Ordinis nostri Cisterciensis statuta, in praedicto monasterio S. Mauritii, tam in spiritualibus quam temporalibus cognoverint et iudicaverint visitanda, reformanda, corrigenda, punienda et emendanda, simul et ad compellendum dictum abbatem ad refundendum sumptus rationabiles, quos dictus dominus visitator, tam in accedendo ad dictum monasterium S. Mauritii ex proximo monasterio, quam in recedendo ex eo ad aliud proximum monasterium fecit, in plenaria Ordinis potestate, cum iniunctione quod super praedictis omnibus dicti commissarii et super diligentia eorum circa executionem eorumdem proximum generale Capitulum ad plenum informabunt, invocato, si opus est, ad praedicta omnia et ea tangentia brachii saecularis auxilio et favore. Datum, *etc.*

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

39. Licet pro parte fratris Ioannis Burri, monasterii Mulbronnensis, praesenti generali Capitulo fuerit supplicatum, quatinus decretum sui talis qualis electionis sua auctoritate confirmare dignaretur ; nihilominus tamen perpendens idem generale Capitulum quam difficile, imo verius impossibile, sit supra id quod non est, aliquid addere firmitatis, et quod nullus fuit ab initio demum tamquam validum posse subsistere, ad obviandum periculo obruenti, ne videlicet sine iusto titulo veri pastoris, licet forsan ignoranter praeesse velit, utpote cum ex tenore decreti ipsius ad oculum constet resignationem prioris abbatis et inde subsequentem electionem factas extitisse in favorem dicti fratris Ioannis, cuiusmodi favoris conditio ob simoniae vitium nullius alterius auctoritate admissibilis est quam SS. D. N. Papae. Praesens generale Capitulum imprimis dictam electionem censet penitus esse cassandam, irritandam et annullandam, et per praesentes cassat, irritat et annullat ; verum quia sibi ad plenum constat de dicti fratris Ioannis Burri probitate, religione et idoneitate, secum misericorditer et benevole agere volens dictum

generale Capitulum, iure sibi hac vice devoluto, dictum fratrem Ioannem de novo nominat, creat et constituit in dicti monasterii Mulbronnensis verum et indubitatum abbatem et pastorem, eidem omnimodam administrationem, praesidentiam, dominium et auctoritatem praesentium receptione conferendo, eadem auctoritate omnibus et singulis dicti monasterii subiectis districte praecipiendo, quatinus eumdem fratrem in verum et indubitatum abbatem recipiant, omnem subiectionem et obedientiam sibi tam in temporalibus quam spiritualibus conferendo, in plenaria, etc.

40. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Ioannis de Lignis ab abbatialem dignitatem monasterii de Clarofonte, Cisterciensis Ordinis, in dioecesi Bisuntinensi, per monachos eiusdem monasterii, praesidente ibidem domino abbate de Morimundo, patre abbate eiusdem monasterii, factas, prout continetur, etc. approbat, etc. supplendo, etc.

41. Ad idem, de electione fratris Ioannis de Fontanis, ad abbatialem dignitatem de Bithania, praesidente abbate de Clarofonte, tamquam commissario abbatis de Morimundo.

42. Ad idem, de electione fratris Petri Serviens, ad abbatialem dignitatem monasterii de Nizella, praesidente abbate de Molinis, eius patre abbate.

43. Ad idem, de electione monasterii de Veterimonte, de persona fratris Gerardi de Novocastro, praesidente ibidem abbate de Vetericampo, per commissionem domini de Morimundo commissarii Ordinis.

IUDICES

44. Viso processu depositionis abbatis de Sigilleriis facto per abbates de Recluso et Ripatorio, et super eodem contentis, hinc inde partibus auditis, generale Capitulum quia eumdem processum in statu iudicandi et diffiniendi non invenit, eo quod dictus abbas de Sigilleriis contra huiusmodi processum multa proponit et proposita probare intendit, abbatibus de Fridigomonte et de Caroliloco, s. th. pr., committit quatinus, si opus fuerit, auditis denuo partibus et aliis hinc inde producendis, aliisque concernentibus debite factis, praedictum processum confirment vel infirment, ita quod quilibet praedictorum abbatum de Fridigomonte et Caroliloco habeat potestatem in solidum faciendi quodcumque concernit praedictum processum usque ad ferendam sententiam inclusive, in plenaria, etc.

45. Domino abbati de Claravalle et abbatibus de Caroliloco, de Frigidomonte et de Roseriis, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus et legitimis instrumentis ... *etc.* monasterio Cisterciensi ... *etc. ut in forma consueta.*

46. Ad idem, pro monasterio Claraevallis, deputantur abbates iudices de Albaripa, s. th. pr., de Longovado, de Ripatorio, et quilibet in solidum.

47. Frater Guillermus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, notum facimis universis, quod lite pendente coram nobis inter abbatem de Maceriis actorem, et dominum abbatem Firmitatis, quondam abbatis de Maceriis, reum, super venditione redditus centum librarum annualium, generale Capitulum reverenter committit Rmo D. N. Cisterciensi, quatinus partibus auditis, visisque videndis, decidat et terminet huiusmodi litem et processum in plenaria Ordinis potestate. Quibus partibus vocatis et coram Diffinitoribus comparentibus, ipse Rmus eisdem assignationes sequentes ad locum Cistercii fecit, videlicet domino abbati Firmitatis octavam diem ad producendum et contradicendum productis per abbatem de Maceriis ; abbati vero de Maceriis aliam octavam diem sequentem ad contradicendum, ambabus autem partibus ad audiendum sententiam diffinitivam. Quae partes praemissae consensum libenter praebuerunt. Datum Belnae, sub sigillo Diffinitorum ipsius Capituli generalis, die 16 mensis septembris anni Domini 1518.

48. Praesens generale Capitulum gratam et ratam habens translationem certarum videlicet quatuor monialium ex monasterio Virginitatis ad monasterium de Ponte dominarum, et e contra totidem monialium ex Ponte dominarum ad monasterium Virginitatis per dominum Claraevallis, commissarium Ordinis, factam ; ne tamen ex diuturniore mora eidem monasterio de Ponte dominarum huiusmodi translatio fiat dispendiosa, committit eidem domino Claraevallis, quatinus praedictis per eum monialibus de Virginitate ad suum huiusmodi monasterium non illico sit necesse eas de Ponte dominarum ad suum remeare, sed in termino eisdem per dictum dominum Claraevallis commissarium praefigendo, cum auctoritate compellendi quascumque Ordinis personas quas active vel passive huius translationis aut remorationis negotium attinebit. Datum, *etc.*

49. Audito, fama referente, quod soror quaedam nomine Catharina de Baden, monasterii Lucidaevallis, Ordinis nostri Cisterciensis, in dioecesi Spirensi, in multa enormia et gravissima peccata, etiam fidem concernentia inciderit; ideo praesens generale Capitulum abbatibus de Alba dominorum, de Bebenhusen, de Mulbronn, de Fonte regis, et duobus eorum simul, committit auctoritatem procedendi contra eam, sive per incarcerationem, sive per translationem in aliud monasterium, cum potestate compellendi ad eius receptionem, seu alias quomodocumque per omnes iuris et iustitiae vias usque ad sententiam diffinitivam exclusive, invocato, si opus est, in praemissis et ea tangentibus, auxilio, consilio et favore brachii saecularis, de quorum prosecutione et processu impensis dicti monasterii Lucidaevallis, proximum generale Capitulum debite informabunt. Datum, etc.

REHABILITATIONES

50. Ad instantiam abbatis de Roseriis, pro rehabilitatione duorum ex suis monachis de Roseriis, videlicet pro fratribus Ioanne Landruet et Francisco ... qui, suadente diabolo, relicto regulari habitu, accepta secum muliercula, et ablatis furto quibusdam robis ex monasterio, ferme per quinque hebdomadas diversa per loca illicentiati pervagantes, tandem Deo duce, redierunt, et demum super omnibus praemissis peccatis et criminibus poenam eis indictam patienter sustulerunt. Quapropter praesens generale Capitulum cum eisdem misericorditer dispensando praesentium tenore in primis eos restituit ad regularem habitum, dein relevat et rehabilitat ad omnes gradus, officia, beneficia et dignitates, in plenaria Ordinis potestate; omnibus et singulis personis Ordinis nostri prohibendo ne quoquomodo eos aut aliquem eorum occasione praemissorum aut alicuius eorum impetant, imposterum impediant, seu deinceps factis vel verbis molestare praesumant.

51. Ad instantiam domini abbatis de Pontigniaco data est eidem potestas rehabilitandi fratres Ioannem de Mare, Edmundum de S. Florentino et Ioannem Drugois, sacerdotes suos suique monasterii religiosos expresse professos, in plenaria Ordinis potestate.

52. Ad idem, concessum est domino abbati Morimundi pro

fratribus Ioanne de Grenoncuria, Nicholao... et Ioanne Virot [h], sacerdotibus suis religiosis.

53. Ad supplicationem abbatis de Bonoradio, generale Capitulum rehabilitat fratrem Ioannem de Suris, sacerdotem eiusdem monasterii Boniradii religiosum, eo quod absque licentia monasterium exierit, et extra monasterium dormierit in domo tamen honesta, ad omnes voces, gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa.

54. Ad instantiam domini abbatis Claraevallis, fratrem Hugonem de Barrivilla, sacerdotem religiosum ipsius Claraevallis, eo quod carceribus semel fractis, bina vice sine licentia monasterium exiverit, et semel nocte foris pernoctaverit, generale Capitulum misericorditer absolvit et ad omnes gradus, voces et officia, dignitate abbatiali inclusa, rehabilitavit.

55. Ad idem, ad supplicationem domini abbatis Claraevallis, pro fratre Ioanne de Tintavilla diacono, qui semel monasterium sine licentia exivit.

56. Ad idem, ad instantiam domini abbatis de Claravalle et de Roseriis, s. th. pr., pro rehabilitatione trium religiosorum de monasterio Montis S. Mariae, notatorum super contagio carnis, puerperio inde secuto, ad omnes gradus, officia, beneficia et dignitates, dignitate abbatiali inclusa.

57. Ad idem, ad supplicationem abbatis de Tela pro quodam religioso suo per certum tempus apostatante, et cum in multis praeliis interfuisset, nullum tamen fatetur se aut occidisse aut notabiliter laesisse, qui tamen super huiusmodi apostasia correctus et emendatus, ad omnes gradus, officia, beneficia et dignitates rehabilitatus est.

SUFFRAGIA

58. Frater Guillermus, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, magnifico domino magistro Ioanni de la Haye, praesidenti requestarum Parisiensium, et Aegidiae Clentin eius conthorali, sanctae devotionis salutare suffragium. Quamquam divinae legis ... *etc.* ad instantiam domini abbatis Claraevallis, vobis omnium bono-

---

[h] Vurte : *P*².

rum spiritualium ... concedimus participationem... *etc. ut in forma consueta.*

59. Ad instantiam eiusdem domini abbatis Claraevallis, similiter datum est suffragium, sub eadem forma, magistro Claudio de Boisset, iuris utriusque doctori, decano ecclesiae Poligniacensi.

60. Item, generoso domino Hugoni de Melun, vicecomiti Gandensi, et domicellae Ioannae de Horne eius consorti.

61. Item, discreto et scientifico viro magistro Petro Bollet et eius uxori.

62. Ad instantiam abbatis de Bildhusen datum est suffragium magistro Graiman sacerdoti.

63. Item, domino Leonardo Merbelin.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

64. Auditis abbate Caraevallis Mediolani et fratre Anthonio visitatore, visisque per eos productis in materia concernente abbates annuales et eorum consortes seu congregationem, existentes in Italia locisque circumvicinis, super pactis et concordatis per eos cum Capitulo generali quondam passatis et initis, ipsum generale Capitulum huiusmodi negotium committit fratri Matheo de Paganis, utriusque iuris doctori, procuratori generali Ordinis in Curia romana, et visis pactis et concordatis huiusmodi confrontatis seu collationatis, instrumentis, articulis et memorialibus praedictae congregationis cum nostris, casu quo duplum Capitulo praesentatum, si simile et non plus vel minus contineat quam originale, abbas Claraevallis aut alias Ordinis commissarius, seu ipse procurator bullam apostolicam praemissorum confirmativam impetret et obtineat ; si vero sit differentia, referat Capitulo generali, et non impetretur dicta bulla.

65. Abbatis de Forda in Anglia supplicationi generale Capitulum rationabiliter annuens, abbati de Bruernia, fratri Ioanni Amesler provisori collegii Oxoniensis, et eorum cuilibet in solidum, committit quatinus abbates Angliae existentes in commissione praedicti abbatis de Forda, per omnes Ordinis censuras compellat ad eidem abbati de Forda persolvendum infra proximum Pascha summam decem anglorum pro praedictis abbatibus magistro Rotulorum domini regis in Anglia datorum, in plenaria, etc.

66. Generale Capitulum informatum de certa terra monasterii

de Bonavalle in Rutheno, sita ad litus fluvii de Boralda, seu ipsum litus ex una parte per abbatem commendatarium et conventum dicti loci contra formam iuris alienata, et ad censum perpetuum tradita, in maximum dicti monasterii damnum et praeiudicium. Ipsum generale Capitulum solens res rationabiles confirmationis robore stabilire, resque dolosas et iniustas studiose revocare, contractum de praedictis terris cum Guillelmo de Mansonville per praedictos abbatem et conventum factum et initum cassat, annullat et infirmat, praedictos abbates et conventum a iuramento super hoc forsan facto favorabiliter absolvendo, eisdem nihilominus districte praecipiendo, quatinus praedictum contractum revocet, et ad praedictum monasterium per omnes iuris et iustitiae vias ipsas terras reducat et recuperet.

67. Abbatis de Regniaco petitionis quaerentis remissionem et absolutionem contributionum annorum Domini 1509 et 1510, generale Capitulum favorabiliter annuit. Datum, etc.

68. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii ... *etc.* et est talis : Audita per generale Capitulum relatione deputatorum ab eo ad examinandum processus et acta causae appellationis abbatis monasterii Montispetrosi hinc contra fratrem Claudium Vagny appellatum, inde auditis etiam responsionibus dicti fratris Claudii ad interrogatoria eorumdem deputatorum medio iuramento factis, praesens Capitulum attenta submissione dictarum partium ad decidendum per ipsum Capitulum, etiam super materia principali facta, bene appellatum fuisse per dictum abbatem dixit et pronuntiat, ut ob hoc censuras quatinus opus esset, remittit, et nihilominus eidem fratri Claudio, in virtute salutaris obedientiae iniungit, quatinus infra 20 dies a data praesentium numeratos, se cum bullis suorum beneficiorum coram dicto abbate personaliter repraesentet, eidem abbati cui professus est et suo conventui de provisione suorum beneficiorum fidem facturus, et si per dictas bullas secum fuisse dispensatum et ipso manente monacho dicti monasterii et sub obedientia abbatis et Ordinis permanendo, dicta beneficia eidem commendata fuisse constiterit, idem frater Claudius nedum summam ab abbate petitam et de qua agitur in processu, sed etiam quidquid habuerit, quoties abbas eidem praeceperit, protinus exhibere teneatur ; si vero secum, ut prius dictum est, per dictas bullas non fuisse dispensatum, visum fuerit, tunc dicto abbati libera sit optio vel dictum fratrem cum honesta concordia inter eos habenda, si fieri posset, in suo monasterio

tractare, vel eidem fratri residentiam in dicto monasterio libere denegare, quin potius ut ad deserviendum in suis beneficiis et in eisdem residendum commoneat, salva in isto casu dicto abbati alimonia eiusdem fratris tempore quo ipse fructus beneficiorum suorum percepit, actione et expensis hinc inde ex causa compensatis, in plenaria, etc.

69. Fratris Ioannis Ilmister [i], religiosi de Forda, baccalarii formati in theologia, provisoris collegii Oxoniensis in Anglia, querimonia nuper oblata continebat, quod fratres Guillermus ... sacerdos religiosus monasterii de Holmes, et Heduardus sacerdos religiosus monasterii de Rievalle, dissolute vivunt in collegio praedicto, collegium ipsum absque praedicti provisoris licentia frequenter die et nocte, maxime Guillermus, exiverunt, portas collegii, cameraeque provisoris fregerunt, pacem communem conturbant, rebelles existunt et alios ad malignandum provocant ; generale Capitulum volens pernitiosam vitam ab Ordinis personis radicitus amputare, abbatibus de Bruernia, de Regaliloco, et cuilibet eorum in solidum huiusmodi causam committit, ipsis praecipiendo, quatinus ipsi citius quam fieri poterit, super praemissis informati, talem correctionem faciant, quod ceteris transeat in terrorem, in plenaria, etc.

70. Generale Capitulum praevaricationem abbatis de Bokfestria [j] in Anglia molestissime ferens, qui diffinitionem generalis Capituli de commissionibus vel officiis a commendatariis non suscipiendis, temere transgressus est, commissionem a commendatario Savigniaci pro visitanda filiatione Savigniacensi in Anglia recipiendo, ipsam diffinitionem approbat, ratificat et confirmat, ipsamque commissionem a praedicto commendatario emanatam cassat, nulliusque roboris esse declarat, et supradictum abbatem de Bokfestria ad instans generale Capitulum peremptorie citat, visurum se poenas in praedicta diffinitione contentas incurrisse, cum protestatione quod, sive venerit, sive non, nihilominus contra ipsum procedetur prout iuris et rationis fuerit ; praesentis autem diffinitionis executio abbatibus de Forda, de Neth [k] et cuilibet eorum in solidum committitur in plenaria, etc.

71. Abbatis et aliquorum religiosorum monasterii de Moris verba superba abbati Claraevallis, in superioritatis vilipendium procaciter prolata, generale Capitulum aegre ferens, abbatibus de

---

[i] *seu* Amesler : *cf. supra n°* 65. [j] Boscfria : *P²*. [k] Reth : *P²*.

Albaripa, de Longovado, de Ripatorio, et cuilibet eorum in solidum, mandat quatinus quamcitius fieri poterit, informationibus de praedictis verbis diligenter factis, ipsum abbatem de Moris ac alios quoscumque secundum verborum, personarum et casus exigentiam taliter puniant, quod ceteris transeat in exemplum, in plenaria, etc.

72. Ruinam ecclesiae, locorumque regularium monasterii de Maceriis generale Capitulum dolenter considerans, ipsius loci abbatem ad omnibus et singulis Ordinis subsidiis impositis et imponendis, tam collegii Parisiensis quam aliis ac missione scolaris, exceptis tamen contributionibus usque ad decennium misericorditer absolvit.

73. Generale Capitulum abbatis moderni de Roseriis labores, quos in praedicti sui monasterii prosecutione multipliciter pertulit, mature considerans, ipsum abbatem ab arreragiis subsidii collegii Parisiensis suo praedicto monasterio de Roseriis impositi, usque ad praesens tempus favorabiliter absolvit.

74. Fratris Ioannis Fay, prioris de Savigniaco audita relatione, quod cum a paucis diebus in praedicto Savigniacensi monasterio prioratus officium exerceret, a bonae memoriae defuncto abbate prius institutus, postea vero per dominum abbatem Claraevallis, dicti loci patrem abbatem, continuatus, dicti monasterii Savigniacensis commendatarius multiphariam multisque modis ipsum in tantum afflixit ut fugam inire compelleretur, suis bonis necessitati suae ab Ordine concessis per aliquos dicti loci religiosos praedicto commendatario faventes penitus sublatis, unde generale Capitulum abbatibus de Bonoportu, de Voto, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus citius quam poterunt de praemissis et ea tangentibus plenam informationem faciant, delinquentes autem secundum casus exigentiam districte puniant et ad instans generale Capitulum, si fuerit opus, citent aut citari faciant, praedicti monasterii Savigniacensis personis districte praecipiendo, quatinus in praemissis et ea concernentibus supradictis commissariis et eorum cuilibet pareant et obediant, in plenaria, etc.

75. Abbatibus de Valle S. Georgii, de Volkolrode, et cuilibet eorum in solidum, generale Capitulum committit, quatinus citius quam poterunt super commutatione quarumdam possessionum per abbatem de Porta facta seu facienda, se diligenter informent,

quidquid super hoc fecerint, generali Capitulo proxime venturo relaturi.

76. Generale Capitulum abbatibus de Vetericella, de Valle S. Georgii, de Volkolrode, de Buch, et duobus eorum in solidum committit, quatinus citius quam poterunt de causis propter quas abbas de Porta fratrem Ioannem Kall, dicti monasterii de Porta seniorem abbatem incarceraverit, si vero dictum seniorem abbatem iniuste incarcerari fecerit, eumdem educant et emittant, si autem suis sceleribus et iustis causis fuerit carceribus mancipatus, eumdem illic vel in loco securiori detineri faciant, processumque praedicti incarcerati proximo generali Capitulo afferri faciant.

77. Ad instantiam abbatis de Porta, generale Capitulum citat abbatem de Lubens, eidem abbati de Porta suo superiori super aliquibus irreverentiis, iniuriis, temeritate et inobedientia responsurum ; praesentis diffinitionis executionem omnibus Ordinis nostri personis in ordine sacerdotali constitutis committendo.

78. Abbates de Mulbrun, de Alba dominorum, de Bebenhusen et de Fonte regis, generale Capitulum absolvit et excusat a missione scolarium ad collegium S. Iacobi Heydelbergensis, per immediatum sequens triennium.

79. Pensionem fratris Ioannis Entesnes, senioris abbatis monasterii de Mulbrun, per abbates de Novocastro, de Bebenhusen et de Fonte regis commissarios, de consensu moderni abbatis et conventus dicti monasterii de Mulbrun assignatam, una cum clausulis, articulis et conditionibus in instrumento super hoc confecto designatis, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

80. Appellatione pendente coram Rmo D. Cisterciensi interiecta per abbates de Mulbrun, de Bebenhusen, de Alba dominorum et de Fonte regis, propter praeceptum sive compulsorium ad mittendum scolares ad collegium S. Iacobi studii Heydelbergensis factum ab abbate de Schonavia Ordinis in hac parte commissario, generale Capitulum huiusmodi compulsorium et appellationem cum inde secutis usque ad adventum ad illas partes domini abbatis Morimundi, vel alterius commissarii ad hoc et alia terminanda et executioni demandanda potestatem habentis, committitur in plenaria Ordinis potestate.

81. Quorumdam indiscretioni generale Capitulum obviare cupiens districte prohibet ne deinceps ita facile deponantur abbates, nisi secundum antiquas diffinitiones, abbatibus qui forsan abbatem deposuerunt sub poena suspensionis a stallo abbatis

districte praecipiendo quatinus ad proximum immediate sequens Capitulum deferant aut saltem deferri faciant processum huiusmodi depositionis.

82. Ne statuta nostra videamur pervertentes tolerare, generale Capitulum omnibus et singulis Ordinis abbatibus sub poena depositionis districte prohibet, ne deinceps episcoporum synodis aut iurisdictionibus compareant, nec subsidia seu iucundum adventum dare praesumant ; si vero contra privilegia nostra compellantur abbates illius provinciae vel patriae congregati subsidium caritativum pro defensione simul faciant.

83. Abbati de Fonte salutis, optimo Ordinis zelatori et commissario in partibus Franconiae, praesens generale Capitulum favorabiliter committit, imo hortatur et praecipit quatinus in virtute suae commissionis, sub Ordinis censuris, prohibeat abbatem de Pelisio, ne deinceps recipiat apostatas Ordinis in suum monasterium advenientes, neque eos amplius attentet absolvere aut rehabilitare, quoniam revera nec ea facere potest, quin potius talibus confert ampliorem malignandi occasionem. Quamobrem si, quod absit, facta diligenti inquisitione, compererit dictum abbatem in eo errore perseverare, citet ipsum quamprimum fieri poterit ad generale Capitulum proxime venturum, idem generale Capitulum de praemissis omnibus debite informando.

84. Litterae missivae ad dominos consiliarios regni Scotiae. — Frater Guillermus, humilis abbas Cistercii, ceterique Diffinitores inibi in generali Capitulo constituti, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus ac aliis domini regis Scotiae spectabilibus consiliariis, humilem commendationem et totius religionis bonorum spiritualium participationem. Reverendissimi et spectabiles viri, grandis accidit nobis desolationis materia cum nobis invicem existentibus relata est eiectio abbatis de Vallelucis in regione vestra, unde et dolentes etiam admiramur, quod iure pleno electionis titulatus, sic impetitus sit, ut quo iniuriae resistat non pateat sibi administrandae iustitiae locus. Et si fundatus divino iure, saltem imitative prout in actibus apostolorum patet de electione Mathiae, et de septem diaconibus ; nam ait Petrus divino Spiritu afflatus : Eligite ex vobis, etc. Naturali vero iure et positivo formaliter plurisque locis, neque in hoc cedere potest dispensatio nisi subsistentibus et rationabilibus causis, quae nondum in aliis regnis, utpote Galliae aut Hyspaniae inventae sunt, et minus in Anglia, vicina vestra, sed nec Dacia, Germania aut

Ungaria. Quod si quandoque nonnullorum importunitate obreptitie vel subreptitie dispensatum sit, nihilominus ad oculum constat quanta ad hoc inconvenientia consequuntur, dissolutio scilicet totius religionis, et temporalitatis dissipatio, directa et omnimoda intentionis fundatorum frustatio. Quae quidem nullo pacto admittenda duceret ulla ordinata polliciae, prout in regno vestro etiam vos appetere non dubitamus. Quapropter patres et domini praestantissimi, reverendissimi ac spectabiles viri, vos et unumquemque vestrum respective humiliter supplicamus ac petimus, quatinus convertere dignemini oculos favoris vestri ad correctionem praemissorum, praesertim ad restitutionem praedicti abbatis de Vallelucis, pauperis vestri eiecti, laesi et verberati, cum certe nusquam diu tantae crudelitatis facinus auditum est, et poenae... Petrus divinae maiestatis ultionem cum ait : Nolite contemnere unum ex pusillis istis, qui scandalizaverit, etc. a cuius comminationis maledictione vos vestraque praeservare dignetur Dominus Deus Iesus Christus. Amen. Datum ex diffinitorio nostro Cistercii sub appensione sigilli nostri, *etc.*

85. Alia epistola. — Praesens generale Capitulum non parvo cum pietatis affectu compatiendo ingentibus laboribus et maximis diligentiis abbatis de Igniaco in prosecutione processus contra impugnantes Ordinem et praesertim commendatarium modernum monasterii de Savigniaco, volentis omnino non modo in temporalibus sed et spiritualibus in praedicto monasterio et ceteris dependentibus usurpare iurisdictionem ordinariam, per hoc privilegia et libertates Ordinis non parva ex parte infringendo. Hinc est quod omnes et singulas Ordinis personas et maxime praelatos, abbates, abbatissas, priores et ceteros omnes in visceribus Iesu Christi hortatur et admonet plurimum, ut quibus suppetit huiusmodi facultas et zelus tenet Ordinis immunitatis servandae et defendendae porrigere dignatur manus ex his ex quibus poterunt adiutrices, quasi obmissis minus necessariis id duxerint faciendum, ipsi tamquam sibi ipsis huiusmodi eleemosinam impendentes et Deo et hominibus nimirum placidiores et commendabiliores accedant, ab eo mercedem certo accepturi, cuius in hoc ipsi ministri fideles probabuntur ; quibus nihilominus abbatibus scilicet et prioribus in monasteriis commendatis, necnon monialium patribus confessoribus hoc modo sibi de bonis suis subvenientibus, praesens generale Capitulum favorabiliter annuit, quatinus ipsi possint infra annum a largitione sua absolvere per seipsos in

foro interiori ab omnibus casibus generali Capitulo reservatis, et ultra quam ad abbates et priores praedictos illis quibus voluerint de suis religiosis eamdem facultatem committere, in plenaria, etc.

86. Ad petitionem abbatis de Calercio, in honorem sancti Hippolyti contemplatione reliquiarum quae eodem in monasterio haberi noscuntur, praesens generale Capitulum annue perpetuis concedit temporibus licentiam ibidem celebrandi officium eiusdem sancti, vesperas scilicet primas et secundas, una cum missa et vigiliis XII lectionum.

87. Ad idem, ad petitionem abbatis de Salem, de sancto Leopoldo.

88. Propter multitudinem agendorum praesentis generalis Capituli remittimus computationes collegii ecclesiae sancti Bernardi Parisiis ad Rmum D. Cisterciensem, cum ipse brevi accedet ad illam civitatem, vel cui ipse velit committere.

89. Ad supplicationem abbatis de Dunis, propter damna monasterio suo occurrentia petenti remissionem contributionum suarum ordinariarum, concedit praesens Capitulum generale ut absolvatur a missione plurium scolarium, et ab accessu ad Capitulum generale usque ad aliam Capituli generalis dispositionem, nihil penitus de quotta praedictarum contributionum suarum diminuendo.

90. Praesens generale Capitulum aegre ferens admodum insolentiam et dissolutionem monasterii de Alpibus, Ordinis nostri in Sabaudia, cuius rumor ad aures usque domini ducis dicitur pervenisse, in grave non modo dicti monasterii, sed et totius religionis nostrae scandalum, abbati de Tela, de cuius zelo et discretione plurimum confidit, districtius iniungendo committit auctoritatem reformandi dictum monasterium, in capite et in membris, in spiritualibus et temporalibus, *etc. ut in forma consueta.*

91. Frater Guillermus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, abbatibus de Tela et de Stamedio, salutem et in commissionibus amore Ordinis promptam adhibere diligentiam. Ut vobis nonnihil impertiamur sarcinae quam solis humeris nostris sufferre non possumus, cumque clamor ad aures usque nostras intonuerit super infelici et scandaloso regimine monasteriorum de Altaripa monachorum et de ... monialium in dominio Friburgensi constitutorum, hinc est quod de

vestris zelo et prudentia et discretione plurimum confisi, vobis duobus simul tenore praesentium committimus auctoritatem, quam celerius fieri poterit et postea toties quoties volueritis, visitandi praedicta monasteria, puniendi, corrigendi, reformandi ... *etc.: ut in forma consueta.*

92. Viso processu facto per abbatem de Ardorello super inordinato regimine religiosorum de Fullentiis, maxime fratris Petri de Montegiscardo, de gravibus criminibus accusati, in magnum nostrae sacrae religionis opprobrium, generale Capitulum huiusmodi processum et informationes committit abbatibus de Gratia Dei, de Gimonte, de Bellapertica, et cuilibet eorum in solidum, ipsis nihilominus praecipiendo cum praesentes cum informationibus ad eorum manus devenerint, alter alterum non expectando, quamcitius fieri poterit, praedictum fratrem Petrum enormiter accusatum reponi faciant apud praedictum monasterium, vel alium securiorem locum, in carceribus cum fratre Petro et suis complicibus in praedictis informationibus recensitis super omnibus auditis talem punitionem per perpetuam incarcerationem, si fuerit opus, indissimulanter faciant, quod ceteris transeat in terrorem, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

93. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*º 30.

1520

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1520, die octava mensis maii apud Cistercium celebrati.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, s. th. pr., de Belloprato, s. th. pr., de Miratorio, s. th. pr., de Gymonte, de Loco S. Bernardi, monasteriorum abbates ; de Caroliloco, s. th. pr., loco domini **Firmitatis**, de Voto, s. th. pr., de Igniaco, de Laude, de Molinis, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Longovillari, s. th. pr., de Bonoradio, de Noa, de Trisayo, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Longovado, de Ursicampo, de Busayo, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de

---

1520. *Fontes* : A^4 : A), 1-4 *(abbrev.)*, 6 *(abbrev.)*, 7, 8, 9, 10, 11, 19 ; L^7 : A) B), 1-106 ; P^2 : 1, 2, 6 *(abbrev.)*, 7, 8, 9, 21, 26, 28, 99.

Veterimonte, de Vetericampo, de Caritate, de Theoloco, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : De Egna, de Bullione, de Crista, de Claroloco, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAERIMONIARUM : de Claravalle, de Morimundo, de Belloloco, monasteriorum abbates, prior et supprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : procurator Ordinis in Curia.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Aceyo, de Lococrescenti, de Quinciaco, de Brolio S. Benedicti, de Valle regis,monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Bullencuria monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Roseriis, s. th. pr., de Moroliis, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Rigniaco, de Ardorello, de Barbello, de Signiaco, monasteriorum abbates, et quos Rmus voluerit deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Claudius de Pontescisso, Petrus Damant, Cistercii professi.

* * *

B) Numerus abbatum praesentis Capituli generalis. — Rmus dominus Cisterciensis, de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Caroliloco, de Belloprato, de Roseriis, de Voto, de Longovillari, de Miratorio, de Igniaco, de Signiaco, de Veterimonte, de Vetericampo, de Rigniaco, de Laude, de Noa, de Ursicampo, de Gymonte, de Ardorello, de Barbello, de Buzayo, de Moroliis, de Trizayo, de Bullencuria, de Crista, de Loco S. Bernardi, de Caritate, de Theoloco, de Monte S. Mariae, de Lococrescenti, de Aceyo, de Quinciaco, de Belloloco, de Vallibus in Ornesio, de Clarofonte, de Valle dulci, de Bonoradio, de Heina, de Longovado, de Bullione, de Bitania, de Molinis, de Septemfontibus, de Claroloco, de Baudelo, de Faesia, de Valle regis, de Brolio Benedicti, de Escureyo, procurator Ordinis. — Numerus praedictorum abbatum quinquaginta.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo, die octava

---

[a] *Titulus apud* A^4 L^7.

mensis maii, in generali Capitulo apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ac beatissimo domino nostro Leone, divina Providentia Papa X, necnon pro Rmis in Christo dominis S. R. E. cardinalibus, et maxime pro Rmo D. cardinali de Boissy S. S. Apostolicae in Francia legato et Ordinis amatori singulari, similiter et pro D. Augustino de Trivultiis, miseratione divina tituli S. Adriani S. R. E. cardinali, nostrique sacri Ordinis in Curia protectore benivolo, et etiam, *etc.*

2. Praeterea pro serenissimo ac invictissimo D. N. domino Carolo, Dei gratia imperii romani imperatore electo, semper augusto, *etc.*

3. Insuper pro burgensibus, ... *etc.*

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... *etc.*

[DIFFINITIONES] GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... necnon in summa 10881 libr. 18 solid. 8 denar. turon., pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni 1520 ... *etc.*

7. Quoniam tam ex parte Rmi D. protectoris nostri in Curia romana, quam ex parte procuratoris ibidem viva voce et litteris praesentis Capituli generalis patribus suggestum est, immo experientia clare constat, pluraque Ordinis monasteria, praesertim in partibus transalpinis citra et ultra Romam esse penitus dilapidata, disrupta, destituta et nonnulla translata ad alios Ordines, et iam funditus ab Ordine alienata, quod ex eo noscitur provenire quod procurantibus utriusque status tam saecularibus quam regularibus passim inveniuntur esse commendata, cui quidem desolationi etsi ex parte eorumdem et protectoris et procuratoris apud SS. D. N. Papam, quantum in eis est, in dies obsistatur; nihilomi-

---

[b] **Sub Leone 10, card. de Boese in Francia legato, Augustino de Triventis, card. S. Adriani, ord. protect. Carolo imperante, Francisco regn. Guillelmo abb. Cist. : *P*[2].**

nus tamen vel quoniam videt ipse SS. D. N. vel sese existimat Curiam ipsam romanam a patribus Ordinis et Capitulo generali ignorari aut contemni, parum videlicet assequi quod expetunt, quandoquidem iam tantum temporis praeteriit, utpote 30 ann. et supra, quo per aliquem ad hoc ab Ordine gratia reverentiae ei exhibendae destinatum visitata non fuerit. Hinc est quod praesens generale Capitulum merito formidans sibi ne initiis istis paulatim, immo valde festinanter excrescentibus, totus ipse Ordo denique ruat in immane et irreparabile praecipitium, ex nunc decernit et destinat apud Curiam ipsam et praesertim apud dictum SS. D. N. Papam ex partibus Ordinis aliquem esse mittendum, quem ob claras tum ingenii tum corporis dotes et ferventissimum zelum, quem semper ad Ordinem hucusque gessit, ad hoc nominat R. in Christo patrem D. abbatem de Claravalle, qui accito secum aliquo ex Ordine quem voluerit, mediis sibi possibilibus apud dictum SS. dictorum inconvenientium procuret restaurationem, aut saltem cessare suggerat et suadeat huiusmodi ruinam deplorandam [c]. At quoniam id sine magnis pecuniarum summis debite expleri non posset, quae nequaquam colligi possent nisi toto Ordine adminiculum praestante, etiam ex nunc censet et diffinit in Ordine universo subsidium esse ponendum hoc modo per patres praesentis generalis Capituli quottandum et distribuendum, ut habito respectu ad antiqua taxarum registra, etiam ponderetur status praesens facultatum monasteriorum Ordinis universi, quibus praeviis respectibus cuique monasterio summa ipsa moderata taxetur, suspenso interea pro praesenti anno dumtaxat subsidio collegii S. Bernardi Parisiis. Quorum quidem monasteriorum personis regularibus et aliis quibuscumque ad quas attinet respective, praesens generale Capitulum praecipit districtissime, ut de summis sibi per dictos patres imponendis iuxta terminos per commissarios praefigendos et assignandos realiter et integre satisfaciant et persolvant ; quibus quidem commissariis et collectoribus dictum praesens generale Capitulum committit auctoritatem, ut ad id eas sub poenis et censuris Ordinis compellant aut compelli faciant, in plenaria Ordinis et Capituli generalis potestate, invocato ad hoc, si opus est, brachii saecularis auxilio, consilio et favore.

8. Propter conformitatem Ordinis observandam et quoniam

---

[c] *Hic desin. P*[2].

experientia docente praesenti generali Capitulo innotuit, in multis Ordinis monasteriis, tum ob antiquitatem tum ob aliam quamlibet intervenientem negligentiam aut quidpiam aliud, libros cantuum penitus esse vel obliteratos vel omnino disruptos aut laceratos, utque eorumdem monasteriorum paupertati faciliori modo benigne subveniatur, dictum praesens generale Capitulum ordinat, diffinit et determinat, quatinus quamprimum commode fieri poterit, per aliquem ex patribus Ordinis, dominum videlicet abbatem de Claravalle, electo per eum ad hoc idoneo impressore, et perito correctore ipsi adiuncto, *Gradualia* et *Antiphonaria* Ordinis tradentur imprimenda, patribus visitatoribus et commissariis iniungendo, ut visitata per eos monasteria et loca regularia, quae huiusmodi libris compererint indigere, locorum eorumdem et facultatum qualitate pensata, cogant ad sufficienter providendum sibi de huiusmodi libris, omnibus et singulis eiusdem Ordinis personis denique prohibendo ne similes libros aliunde imprimi procurent, donec et quousque sic ipsis qui ad imprimendum dictos libros vires et impensas dederint ad plenum constiterit fuisse satisfactum, in plenaria Ordinis potestate.

9. Ad declarationem diffinitionis de dicenda oratione *Inviolata* anno novissime elapso factae, determinat praesens generale Capitulum praedictam orationem immediate ante maiorem missam semper esse dicendam, nisi forsan per alia suffragia a generali Capitulo rata et approbata hora illa praepediretur, quo casu foret post vesperas, uti in praedicta diffinitione expressum est, decantanda ; et de Tricenario Capituli generalis eo modo fiat ut solitum erat fieri cum in festo Crucis mensis septembris Capitulum generale celebrabatur.

10. Praesens generale Capitulum aegre ferens admodum quorumdam Ordinis suppositorum temeritatem, qui postpositis per contemptum vel ignorantiam legibus, bona monasteriorum suorum dare, permutare, transferre, aut alio quovismodo quittare aut alienare non formidant et singulis Ordinis personis maxime abbatibus et praelatis, necnon conventibus et collegiis districte prohibet ne deinceps cum quibuscumque personis talia attentare praesumant, sed in contractibus et pactis talibus iniendis et faciendis, formam per omnia observent quae plenius in statutis Benedicti Papae XII continetur. Quod si secus antea hucusque factum extiterit, omnia huiusmodi pacta, contractus et conventiones revocat, irritat et annullat, omnes et singulas Ordinis personas,

quae forsan ad haec sub iuramento consensum praestiterint, ab huiusmodi praestatione iuramenti penitus relevando et absolvendo, in plenaria, *etc.*

11. Praesens generale Capitulum non abs re graviter infensum super sinistro zelo et iniquo affectu, quem quidem non dicam religionis, sed totius malitiae et perversitatis filii, ad Ordinem habere noscuntur in eo quod in fraudem Ordinis sui et maximum ipsius dedecus et detrimentum, datis et praestitis nominibus suis, protonotarios et saeculares adiuvant et favorem eis conferunt ad impetranda Ordinis monasteria et prosequendum processus in curiis Parlamentorum Parisiis et aliis locis ; quapropter districte praecipit idem generale Capitulum singulis visitatoribus, quatinus facta super talibus diligenti inquisitione, si quos huiusmodi delicti conscios invenerint, taliter puniant ut ceteris cedat in terroris exemplum ; et nihilominus citent eos ad comparendum personaliter proximo inde generali Capitulo ad obiecta eis per procuratorem facienda respondendum, in plenaria, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

12. Nos frater Guillermus, *etc.*... et est talis : Productis pluribus instrumentis super unione prioratus de Galilea ad prioratum de Porta coeli, ex parte prioris dicti loci Portae coeli et sibi adhaerentium, quibus dictam unionem confirmandam et approbandam esse praetendebant ; aliis similiter pluribus litteris per priorem de Warmunda et alios sibi adhaerentes in medium adductis et ostensis ; partibus item ad plenum auditis, praesens generale Capitulum volens concordiam et pacem nutrire inter fratres ac unicuique quod iustum est tribuere, longa discutione et praematura deliberatione praehabita, decernit, determinat et diffinit, quod praedictus prioratus qui aliquantulum praetermisso ordine iuris et non observatis solemnitatibus debitis fuerant uniti, ad pristinum statum reducentur, sic quod deinceps ut antea erunt diversi prioratus, ne ex coniunctione eorumdem fundatores, augmentatores et benefactores ipsius prioratus de Galilea suis votis et intentionibus fraudentur, ne vicini pauperes eleemosinis, et cuncti tam pauperes quam divites orationibus et solitis priventur sacrificiis, in magnam divinae Maiestatis offensam, vicini populi scandalum, et reipublicae detrimentum. Decernit insuper ut religiosi de Porta coeli ibidem maneant, et qui de Galilea, vi

unionis exiverunt, ad Galileam redeant unde exiverunt, ceteris qui nunc in Galilea sunt ad prioratum de Warmunda translatis; permittendo tamen ut tres de Galilea manere possint in Porta coeli propter paucitatem religiosorum ibidem existentium usque ad aliam Capituli generalis dispositionem; statuit similiter ut calices, reliquiae, iocalia et cetera ecclesiae ornamenta, similiter litterae, tituli et omnia mobilia quae ex Galilea ad Portam coeli delata fuerunt, iterum in eodem loco integraliter restituantur. Et quod nihilominus expensae, quae occasione dictae coniunctionis et unionis factae sunt, communes remanebunt et communiter portabuntur, pensatis pensandis et consideratis considerandis. Audiens autem generale Capitulum priorem de Warmunda dictorum prioratuum superiorem immediatum esse dictis fratribus multum suspectum propter iam diu agitatos inter eos processus, volensque eorum paci ac tranquillitati consulere committit praesentium tenore prioribus de Pickepot et de Valle Nostrae Dominae et cuilibet eorum, ut possint vice dicti prioris de Warmunda usque ad proximum futurum generale Capitulum eosdem visitare, salva tamen in omnibus aliis praeterquam in visitatione, ipsius prioris iurisdictione. Mandat insuper dictum generale Capitulum dictis prioribus de Pickepot et de Valle Nostrae Dominae simul et coniunctim ut praesentem diffinitionem executioni demandent, et omnia se concernentia ut melius expedire viderint adimpleamt, cogendo omnes et singulas personas in eadem comprehensas, prout eas respicit et concernit, ad impletionem praedictorum per omnes iuris et iustitiae vias, et singulas Ordinis censuras, invocato ad hoc, etc.

13. Supplicationem abbatis de Vetericella, quae ad pacem sunt rogantis, praesens generale Capitulum audiens et laetanter suscipiens tractatum seu instrumentum super concordia, pace et unione inter dictum abbatem et abbates marchitas perpetuo firmanda, et antiqua lite super missione studentium ad collegium Lipzense prorsus sopienda et extinguenda, approbavit, laudavit, ratificavit et confirmavit, ipsum tractatum cui praesentes annectuntur, tenore praesentium approbat, laudat, ratificat et confirmat, praecipiendo dictis partibus districtius in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, ceterisque Ordinis censuris, quatinus ipsas pacis conditiones firmiter et inviolabiliter deinceps perpetuis temporibus observent, studentesque suos ad ipsum Lipzense collegium

mittere teneantur, prohibendo etiam ne ad alia studia eos mittant, salvo tantum divi Bernardi Parisiensis collegio, ad quod si voluerint studentes suos mittere licebit ; quod si qui forsitan praedictae concordiae contemptores extiterint, ab abbate de Vetericella, patre dicti collegii, per dictas Ordinis censuras ad iam dictam concordiam tenendam compellantur, in plenaria, etc.

14. Supplicationem abbatis de Heymerode annuens, praesens generale Capitulum eumdem a praesenti generali Capitulo excusatum habet, eumque per praesentes excusat, eumque usque ad proximum generale Capitulum a mittendo seu manutenendo scolari in Universitate Heydelbergensi aut alia quacumque, multis causis pensatis benigne supportat, in plenaria, etc.

15. Supplicationem abbatis de Byldhusin praesens generale Capitulum audiens, eidemque tamquam rationabili consensum praebens, permittit ut uxores ducum, comitum et principum cum earum pedissequis possint suum monasterium intrare, atque ibidem pernoctare, ne forte ex defectu hospitii earum minuatur devotio, exhortans tamen ipsum abbatem ut perraro id fiat, ne maligno tentandi tribuatur occasio.

16. Praesens generale Capitulum attentius considerans labores quos abbas de Moroliis pro tuitione, defensione suae ecclesiae pertulit damna, similiter quae tum ob aquarum submersiones, tum ob bella et spoliationes, tum denique ob varios processus per eum viriliter prosecutos, passus est, volensque quoad potest in praemissis eidem suffragari, succurrere, atque adiutorium impendere, eumdem suumque monasterium usque ad triennium excusat et supportat a solutione omnium arreragiorum, tam contributionum quam subsidii collegii divi Bernardi Parisiis, adiecto tamen propter urgentia Ordinis negotia, quod ipse, triennio pendente, contributiones et subsidia exsolvere tenebitur, in plenaria, etc.

17. Supplicationem abbatis de Ardorello praesens generale Capitulum suscipiens, eiusque optimum zelum ac plurimos labores quos semper pro Ordinis defensione atque honore suscepit, et Dei gratia imposterum est suscepturus, attentius considerans, iuxta ipsius supplicationis tenorem, attenta ipsius monasterii tenuitate, taxam suarum contributionum, quae novem libr. turon. esse consuevit ad summan sex libr. per praesentes reducit, et praedictam summam sex libr. turon. precise eidem imponit, taxat et astallat, donec monasteria aliter secundum eorum verum valorem taxabuntur, in plenaria, etc.

18. Appellationem abbatis de Capella Thosan a substituto abbatis de Claravalle, die 28 mensis octobris interiectam, praesens generale Capitulum irritam declarat et inanem, nulliusque vigoris et momenti decernens, ipsum sicut et ceteros Ordinis abbates ad solutionem contributionum pro anno Domini 1519 fuisse obligatum.

19. Praesens generale Capitulum volens sanctum propositum relictae defuncti domini Alostensis, quae monasterium monialium Ordinis de novo erigere atque fundare cupit in civitate Lovaniensi, fovere et benigno favore roborare, committit abbatibus de Loco S. Bernardi et de Molinis simul, ut loco diligenter inspecto ipsiusque commoditatis inquisitione etiam facta super competenti fundatione et dotatione se diligenter informent, si omnia ad monasterium debita construendum concurrant, quibus debite inspectis et prius obtenta a domino episcopo eiusdem loci debita exemptione, prout in *Chartae charitatis* exordio continetur, ibidem monasterium construendum decernant, approbent et ratificent ; sin alias construi prohibeant, remittentes, quae ibi habitant moniales ad propria monasteria, a quibus assumptae fuerunt, prout iuris aequitas exegerit, in plenaria, etc.

20. Praesens generale Capitulum supplicationem abbatis monasterii de Valle S. Petri, alias Heysterbach, inclinatum, eum a Capitulo generali, quod nunc celebratur, excusatum habet, supportatque et excusat a mittendo studente ad collegium Heydelbergense usque ad biennium, concedit quoque eidem ut suos religiosos, sibique subiectas moniales, ab omnibus casibus etiam ipsi generali Capitulo reservatis usque ad biennium absolvere possit.

21. Frater Guillermus, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis, dilecto fratri Petro Leduc, monasterii de Mortumari, Ordinis Cisterciensis in dioecesi Rothomagensi, religioso expresse professo presbytero, salutem. Fide dignorum relatu didicimus quod monasterium nostrum de Fulcardimonte, Rothomagensis dioecesis, per ultimum abbatem eiusdem loci nuper fuit expositum in manibus cuiusdam commendatarii, quod quia est contra Ordinis formam et statuta seu privilegia a romanis Pontificibus concessa, constat ius in eodem et de eodem providendi ad generale Capitulum pro hac vice fuisse devolutum ; ne igitur diuturnae vacationis detrimenta sustineat, tibi, de cuius discretione, providentia, circumspectione, scientiae

claritudine, aliisque praeclaris virtutibus et meritis, quibus insignitus existis, ad plenum in Domino generale Capitulum confidit, tenore praesentium, auctoritate qua fungitur, monasterium ipsum de Fulcardimonte cum universis iuribus et pertinentiis ipsius, tam in spiritualibus quam temporalibus, plenarie confert et donet, teque verum et indubitatum abbatem eiusdem monasterii de Fulcardimonte instituit, creat et declarat. Quocirca omnibus et singulis Ordinis abbatibus, prioribus, cellerariis, bursariis, receptoribus et aliis quibuscumque praefati Ordinis religiosis praecipit generale Capitulum, ceteros vero presbyteros, notarios et tabelliones publicos saeculares rogat, quatinus te, per te vel procuratorem tuum in realem actualem et corporalem possessionem vel quasi ipsius monasterii de Fulcardimonte, iuriumque et pertinentiarum eiusdem ponant et inducant. Omnibus et singulis eiusdem monasterii regularibus personis districte iniungendo ... *etc. ut in forma consueta.*

22. Super querimonia praesenti Capitulo contra confirmationem abbatis de Sigilleriis proposita, praesens generale Capitulum decernit et declarat registrum diffinitionum anni Domini 1505 factarum esse verum sanum et integrum, ac in nulla sui parte de falsitate suspectum, in plenaria, etc.

23. Ad supplicationem abbatis de Monte Sanctae Mariae, in Bisuntinensi dioecesi, habito respectu ad onera diversa et multiplicia inconvenientia quae a paucis annis dicto suo monasterio contigerunt, de restis adhuc hucusque ab eo debitis ratione subsidii collegii S. Bernardi Parisiis, remittit sibi summas duorum annorum, quae in unam faciunt viginti libras turonenses.

24. Praesens generale Capitulum satis ad liquidum informatum super honesto convictu et sollicito regimine, quod soror Ioanna de Nanton exercuit quamdiu ipsa abbatizaret in monasterio de Baptanto, Ordinis nostri Cisterciensis, iuxta muros Bisuntii, et preesertim quia sponte cessisse dicitur, alteri videlicet sorori Annae Leblanc eiusdem Ordinis, volens praeterea favere eius senectuti, conformiter ad Ordinis privilegia et indulta apostolica earumdem libenter utriusque supplicationi annuendo, vult, consentit et diffinit, quatinus assignatio facta annuae pensionis eidem sorori Ioannae de Nanton per dictam sororem Leblanc, modernam eiusdem monasterii abbatissam et conventum, prout continetur in litteris quibus praesentes annectuntur, eidem sorori Ioannae annue quoad vixerit in humanis indefectibiliter persol-

vatur, easdem assignationis litteras secundum omnimodam sui formam et tenorem approbando, confirmando et ratificando in plenaria Ordinis potestate. Quod si, quod absit, de summa ibidem praefixa et taxata, deque ceteris sibi in eisdem assignatis, quidquam in toto vel in parte, suis terminis subtraheretur, idem praesens generale Capitulum committit et deputat abbates de Bellavalle, de Charitate et de Roseriis, s. th. pr., et eorum quemlibet in solidum, ad compellendam eadem auctoritate eamdem sororem Annam, seu etiam quamlibet aliam pro tempore eiusdem monasterii abbatissam, cellerariam, seu aliam quamlibet officialem, ad quam vel ad quas attinebit, ad debite et integre quidquid fuerit debitum eidem Ioannae persolvendum. Datum, etc.

25. Praesens generale Capitulum, audita supplicatione fratris Odonis Devers, professi de monasterio de Aceyo, et facta diligenti inquisitione super forefactis et inobedientiis eius in praesentia abbatis moderni de Aceyo, per id consequens iam partem satisfactionis super eisdem delictis, eumdem fratrem explevisse ; nihilominus tamen pro ampliori satisfactione ipsum condemnat ad disciplinam regularem hodie in capitulo huius domus Cistercii capendam et recipiendam ; et quia constat eum carceres dicti monasterii de Aceyo, quibus inclusus pro dictis defectibus tenebatur, clam et violenter exivisse ulterius dicto fratri Odoni praecepit sub Ordinis censuris, quatinus proximioribus post haec diebus sese eisdem carceribus personaliter repraesentet mansurus illic, si ita abbati loci visum extiterit octo diebus, post quos dictum praesens generale Capitulum dicto abbati de Aceyo et singulis eiusdem monasterii regularibus personis ad quam attinebit, ne ultra in dedecus Ordinis et contra ipsius statuta et diffinitiones idem frater vagabundus in saeculo et improvisus remaneat, iniungit et praecipit quatinus vel ipsum recipiat in consortium aliorum monachorum suorum, aut certe sibi de alio convenienti monasterio provideat, assignatis et datis sibi realiter et cum effectu, vel eidem monasterio ad quod mittetur, singulis annis quoad vixerit, pro expensis et provisione sua, decem libris turon. Quorum omnium potestatem et executionem committit idem generale Capitulum abbati de Roseriis, s. th. pr., similiter abbatibus de Charitate et de Theoloco, et cuilibet eorum in solidum, in plenaria, etc.

26. Super materia de Sigilleriis, frater Ioannes de Burreyo,

s. th. pr., pro et nomine procuratorio fratris Nicolai Boucherat competitoris in materia dicti monasterii de Sigilleriis protestatus est hoc modo : Ego nomine fratris Nicolai Boucherat, prioris de Bella aqua, protestor, quod non intendo consentire ut aliquid fiat in materia de Sigilleriis contra magistrum Nicolaum Boucherat, ipso non audito, et simul obtulit unum extractum ex registro Capituli generalis anni 1505, signatum Cothenot, C. Ryam, super quo adiuratus dictus Cothenot asseruit dictum ; extractum fuisse ad verum originale debite collationatum.

27. Audita supplicatione abbatis de Tribus fontibus praesens generale Capitulum eum excusat a via eiusdem Capituli generalis, et quantum ad ea quae concernunt promotionem eius ad monasterium de Tribusfontibus, totum huiusmodi negotium remittit ad dominum abbatem Claraevallis, ut sua paterna auctoritate faciat, quod sibi videbitur expediens.

28. Praesens generale Capitulum diffinit et determinat, ut deinceps tam auditores computationum, quam abbates notarii solvere teneantur ex integro contributiones suis monasteriis impositas, quemadmodum et ceteri officiarii Diffinitores quos constat plus ceteris omnibus pro agendis ipsius generalis Capituli laboris et sollicitudinis impendere. Datum, etc.

COMMISSIONES

29. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis, venerabilibus et in Christo nobis praecarissimis coabbatibus monasteriorum de Stratfordia et de Gratiis Londonensis dioecesis, salutem et in commissis diligentiam adhibere. Praesens generale Capitulum perpendens distantiam commissariorum Angliae novissime per generale Capitulum institutorum a nonnullis monasteriis inferius nominandis, magis vobis et civitati Londoniarum propinquis quam praedictis commissariis ad tollendos labores et sublevandum dictos commissarios et monasteria ipsa a gravaminibus, quae occasione praedictae distantiae incurrere possent, et ne visitatione aut reformatione solita in Ordine nostro careant, vobis duobus et cuilibet vestrum in solidum, de quorum zelo, prudentia et discretione ad plenum in Domino confidimus, tenore praesentium damus et committimus auctoritatem omnia et singula monasteria inferius descripta, tam virorum quam monialium visitandi, toties

quoties opus fuerit et indiguerint, puniendi, corrigendi, reformandi, instituendi et destituendi, in capitibus et in membris, ... *etc. ut. in forma consueta ;* praesentibus usque ad biennium dumtaxat in suo vigore duraturis. Nomina autem monasteriorum quae praediximus sunt quae sequuntur : de Belloloco, de Quarrera, de Laetoloco, de Waverleya, de Wardona, de Woburnia, de Ponte Roberti, de Boxleya, de Comba, de Garendona, de Stanleya, de Miravalle, de Bordesleya, de Bitlesden, de Valleregali, de Coggeshal, de Sibton, de Tilteya, de Saltreya ; de Flaxleya, de Margan, de Pyngleya, de Cokhyll. Datum, etc.

30. Praesenti generali Capitulo relatum est, super quo praecipue est dolendum, quia nonnulli ex Ordine professi et praesertim in partibus Angliae, immemores stabilitatis, quam voto proprio ore emisso polliciti sunt, regis et praelatorum eiusdem regni signanter domini legati et aliorum principum et dominorum curias prosequuntur, ambitioso affectu obtinendi onera animarum, et ut ipsi appellitant capacitates et alia officia et beneficia saecularia, seu etiam regularia, suo statui et Ordini valde dedecentia consequendi, propter quae etiam nonnunquam, ut fertur, coguntur per saeculares ad poenitentias publicas et ad alia huiusmodi. Quapropter praesens generale Capitulum huic tam pernitioso morbo pro posse obviare cupiens, committit, monet et nihilominus iniungit districtissime abbati de Gratiis iuxta Londonias, de cuius zelo et discretione ad plenum confidit in Domino, quatinus ea qua poterit adhibita diligentia, huiusmodi novas insolentias et exorbitationes viis omnibus sibi possibilibus et licitis prohibeat, sive per censuras Ordinis seu per captionem et incarcerationem personarum earumdem in suo monasterio, seu alias quomodocumque, expensis monasteriorum unde constabit eas esse professas compellendo abbates proprios suorum monasteriorum, necnon bursarios, procuratores et alios quoscumque ad quos attinebit, ad persolvendum sibi ex integro dictas expensas et ad recipiendum suos huiusmodi monachos et corripiendum eos iuxta casuum exigentiam, et ad alia agenda et perficienda quae huiusmodi negotium concernunt, in plenaria, etc. invocato, etc.

31. Cognita fide dignorum relatu insolentia fratris Petri Aymonet, vi armorum, ut dicitur, professionis suae monasterium de Albaripa impetentis, et multipliciter distrahentis fratres suos eiusdem monasterii a proposito stabilitatis suae, praesens generale Capitulum exhortatur, monet et nihilominus committendo,

praecipit domino abbati de Claravalle, quatinus et sua paterna et Capituli generalis auctoritate taliter, si in malitia sua perseveraverit, dictum fratrem corripiat ut ceteris cedat in terroris exemplum, invocato, etc.

32. Praesens generale Capitulum merito reputans frustra et in aridum leges instituisse, nisi sint qui observent eas, cognoscens igitur dominum abbatem de Claravalle nuper commissionem suam dicti generalis Capituli exercendo fecisse aliquas reformationes et scripto tradidisse in monasterio de Bonofonte, dicti Ordinis, in dioecesi Remensi, abbati de Signiaco committendo praecipit, quatinus ad hoc adeo attentet et diligenter instet, ut si, facto diligenti scrutinio, invenerit praedictas reformationes, statuta et ordinationes minus sufficienter in praedicto monasterio de Bonofonte fuisse observatas, a dictis poenis amplioribus etiam per depositionem, aut alias prout viderit expedire, ex integro faciat observari, in plenaria, etc.

33. Desolationi et vix reparabili ruinae monasterii de Pomerio, alias de Bongard, praesens generale Capitulum obviare eique de remedio opportuno providere cupiens, praesentium tenore committit et nihilominus districte praecipit abbati de Belloprato in Lotharingia, s. th. pr., quatinus dictum monasterium, cuius est superior immediatus suorum praedecessorum negligentias supplendo visitet, reformet et per omnia disponat, tam in capite quam in membris, tam in spiritualibus quam in temporalibus, et ipsum pro viribus restaurare satagat et laboret, in plenaria, etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

34. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Anthonii Loffroy ad abbatialem dignitatem monasterii de Ursicampo, Cisterciensis Ordinis in dioecesi Noviomensi, per monachos eiusdem monasterii, praesidente ibidem abbate de Longoponte, domini abbatis de Claravalle patris abbatis dicti monasterii de Ursicampo, vicario, factas, *etc.* approbat. *etc.* supplendo, *etc.*

35. Ad idem, de electione fratris Guillelmi Radulphi, s. th. pr., ad abbatialem dignitatem monasterii de Longovillari, praesidentibus abbatibus de Caricampo et de Gardo, vicariis domini abbatis Claraevallis, praedicti monasterii patris abbatis.

36. Ad idem, de electione fratris Ioannis de Tartro ad abba-

tialem dignitatem monasterii de Lococrescenti, praesidente abbate de Lucella, patre abbate dicti monasterii.

37. Ad idem, de electione fratris Henrici Cleburgh de Balendher ad abbatialem dignitatem monasterii Loci Sanctae Mariae, Coloniensis dioecesis, praesidente abbate Vallis S. Petri in Heysterbach, patre abbate dicti monasterii.

38. Ad idem, de electione fratris Renati de la Roche ad abbatialem dignitatem monasterii de Bonavalle, in Pictaviensi dioecesi, per monachos eiusdem monasterii, praesente ibidem abbate de Moroliis, domini abbatis de Pontigniaco commissario, facta, prout, etc.

39. Ad idem, de electione fratris Unconis Bechir ad abbatialem dignitatem monasterii de Novocampo, praesente abbate monasterii B. M. V. in Hilda, commissario abbatis de Vetericampo, praedicti monasterii patris abbatis.

40. Ad idem, de electione fratris Hugonis de Magnicuria in abbatialem dignitatem de Quinciaco, Ordinis Cisterciensis in dioecesi Lingonensi, praesidentibus abbate de Rigniaco et fratribus Ioanne de Venutia, et Michaele de Brucone, dicti abbatis Pontigniaci vicariis.

41. Ad idem, de electione fratris Pauli Suetinge ad abbatialem dignitatem monasterii de Walkenreda Ordinis Cisterciensis, in Maguntinensi dioecesi, praesidente ibidem abbate Veteris campi.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

42. Nos, frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Audita relatione et visis informationibus per abbatem Valliscrescentis, auctoritate huius nostri Capituli generalis factis, super contractu quondam inito et passato inter dominum abbatem Pontigniaci et eius conventum ex una, et honorabilem virum Ioannem Artault et Edmundum Mathieu scutiferum ex altera partibus, praesens generale Capitulum matura praehabita deliberatione praefatum contractum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

43. Contractus inter abbatem et conventum de Balerna ex una, et Stephanum Umblin mercatorem ex altera partibus initos, factos et passatos, praesens generale Capitulum committit abbati de Roseriis, s. th. pr., quatinus ipsos diligenter examinet, et informationes debitas super commodo vel incommodo dicti monasterii faciat, deinde approbet vel reprobet, vel in proximo ge-

nerali Capitulo, quod senserit secundum quod iustum fuerit, referat, in plenaria, *etc.*

44. Abbatibus de Caroliloco, s. th pr., et de Regalimonte simul, praesens generale Capitulum committit quatinus contractum initum et passatum abbatem et conventum de Prulliaco ex una, et nobilem ac magnificum virum dominum Michaelem Cadorat, Baillivum Senonensem, ex altera partibus, diligenter examinent, informationes super commodo aut damno monasterii praedicti faciant, approbaturi vel reprobaturi, sive quod fecerint proximo generali Capitulo relaturi, prout magis expedire viderint, in plenaria, *etc.*

45. Praesens generale Capitulum libenter annuens devotioni honorabilis viri magistri Franscici Allard, canonici insignis ecclesiae Ebroycensis, congaudens similiter honori monasterii de Noa fundationem missae in praedicto monasterio per eumdem dominum factam, gratam habet et ratam ac instrumentum super eadem fundatione inter eumdem et abbatem et conventum praedicti monasterii de Noa initum, factum et passatum. cui praesentes annectuntur, ratificat, approbat, in plenaria, etc.

46. Abbati de Longovillari, s. th. pr., et de Dunis, et cuilibet in solidum, praesens Capitulum generale iniungit et praecipit, quatinus inquirant et diligenter informent de et super concessione et datione maresiorum et terrarum in census et redditus perpetuos, certis personis saecularibus, per abbatem et conventum de Claromarisco, cum auctoritate contractus, cessiones et dationes huiusmodi infirmandi aut certe proximo generali Capitulo, si visum fuerit, referendi, in plenaria, etc.

47. Ad notitiam praesentis generalis Capituli, ad denuntiationem abbatis de Longovillari deductum est quod per abbates praedecessores eius et conventus, contra instituta et diffinitiones Ordinis et Capituli generalis sanctiones, Summorum Pontificum praesertim b. m. Benedicti Papae XII decretum quod dicunt *Benedictinam,* alienaverunt maximam portionem substantiae monasterii praedicti de Longovillari, in maximum ipsius detrimentum, cui monasterio succurrere volens praesens generale Capitulum omnes huiusmodi contractus et alienationes iniuste et inique factas, irritas declarat et nullas, absolvens ipsum conventum a iuramentis, si quae forsan in huiusmodi frivolis contractibus et concessionibus intervenerint, dans firmiter in mandatis moderno abbati, quatinus quamcitius fieri poterit, per omnes aequitatis

et iustitiae vias, ipsa bona indebite alienata recuperare satagat, prohibendo ipsi et eius conventui, eorumque successoribus ne de cetero contra formam et indultum *Benedictinae* huiusmodi alienationes facere praesumant, in plenaria, *etc.*

48. Abbatibus de Caricampo et de Gardo, et cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenti inquisitione facta super venditione nonnullarum caeduarum sylvarum monasterii de Longovillari, dictam venditionem infirment vel confirment, in plenaria, *etc.*

49. Abbatibus de Theoloco, de Charitate et de Aceyo, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus facta diligenti inquisitione super contractu quondam inito et passato inter abbatissam de Colungiis eiusque conventum ex una, et Georgium Ruseau laboratorem partibus ex altera, cui haec praesens diffinitio annectitur, ut quid invenerint, proximo generali Capitulo referant, postea per ipsum generale Capitulum confirmandum vel infirmandum, prout ad utilitatem dicti monasterii melius visum fuerit. Datum, etc.

50. Abbatibus de Rigniaco, de Bonoradio et de Vallelucenti, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super commodo aut incommodo variarum arrentationum, admodiationum ac accensationum diversarum terrarum, atque nemorum, per dominum abbatem Pontigniaci et eius conventum a tribus annis citra cum diversis personis factarum, diligenter se informent, et inquisitiones faciant, cum auctoritate confirmandi praedicta, aut infirmandi, in plenaria, etc.

51. Abbatibus de Ursicampo et de Noa simul, praesens generale Capitulum committit quatinus debita inquisitione et fideli investigatione facta, super quodam tractatu permutatorio inito et passato inter abbatem et conventum de Mortuomari, Ordinis nostri Cisterciensis ex una, et nobilem et potentem militem dominum de Raydeval, vicecomitem de Falaisia partibus ex altera, si invenerint contractum fuisse rite factum, et cedere in commodum praefati monasterii, approbant, corroborent et confirment, in plenaria, *etc.*

52. Praesens Capitulum generale volens indemnitati monasterii de Belloprato in Lotharingia consulere, revocat, cassat et annullat omnes et singulos contractus factos et passatos per abbates dicti monasterii de Belloprato et eiusdem conventum, cum variis saecularibus personis contra formam et tenorem sanctarum

institutionum f. r. Benedicti Papae XII, et Ordinis statuta, iniungendo et districte praecipiendo abbati dicti loci, s. th. pr., quatinus terras, possessiones, grangias et omnia huiusmodi praedia taliter concessa, revocet et ad monasterium praedictum reducat, per omnes iuris et iustitiae vias, absolvit insuper quoscumque religiosos qui in tractatibus praedictis aliqua fortassis iuramenta praestiterint, inhibendo deinceps ne talia iuramenta aut tales contractus quoquomodo facere praesumant.

53. Praesens generale Capitulum audita supplicatione abbatis de Speciosa valle, qua supplicabat sibi concedi, ut posset curiam quam habet ratione sui monasterii in civitate Heilsbron vendere ad utilitatem sui monasterii, committit abbatibus de Caesarea et de Mulbrun et cuilibet eorum in solidum, ut diligenter inquisitiones faciant, an praedicta venditio foret utilis monasterio, aut non, et inquisitionibus factis, eas ad proximum generale Capitulum mittant, ut ad ipsius venditionis permissionem aut prohibitionem tutius iuxta statuta *Benedictinae* procedatur.

54. Praesens generale Capitulum informatum super eo quod abbas de Caroloco, una cum conventu suo, vult aut decrevit aut forsan iam fecit et pepigit cum quibusdam ex subiectis monasterii sui praedicti mortuae manus hominibus liberare eos quittare aut manumittere vel affrangisare a servili conditione huiusmodi manus mortuae, irritat, annihilat et annullat, si quid per eum vel eos antea hactenus fuerit attentatum, aut imposterum attentabitur, et ad idem de ceteris huiusmodi pactionibus per eos non rite factis dispensando cum eis et quolibet eorum super iuramento, si quod forsan intervenerit, in plenaria, *etc.*

55. Abbatibus de Longovillari, s. th. pr., de Caricampo et de Gardo, et duobus eorum simul, praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenter inquirant de et super contractu quondam inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Valloliis ex una, et nobilem et potentem virum Paulum de Busserade militem, quondam dominum de Rieu et Dargoles, relaturi inde Capitulo generali proximo quidquid super eodem tractatu praedicti monasterii commodo vel incommodo agendum invenerint, in plenaria, etc.

56. Praesens generale Capitulum informatum super quibusdam pactionibus inter monasteria de Uterinavalle monachorum et de Pontesalutis monialium per illustrissimum dominum comitem Palatinum electorem romani imperii, quondam transactis,

factis et passatis, easdem pactiones ratas et gratas habet, easdemque prout ex litteris super hoc factis continetur, approbat, ratificat et confirmat, iniungendo praeterea eiusdem monasterii de Pontesalutis abbatissae, ut confessoribus ipsis de quibus in eisdem litteris vertitur quaestio sufficienter de lectisterniis provideat, in plenaria, *etc.*

57. Visa supplicatione abbatis de Uterinavalle, qua explicitis ruinarum et multiplicium inconvenientium anfractibus, quae ex malo regimine quorumdam praedecessorum suorum aut aliunde iamdudum suo monasterio contigerunt, petentis instantius quemadmodum et antea iam diu petierat et obtinuerat a Rmo P. D. Cisterciensi novissime defuncto ad arbitrium abbatum quorumdam ex vicinis suis posse ad dicti monasterii de Uterinavalle restaurationem, nonnullos feudos terrarum seu aliorum bonorum monasterii eiusdem vendere, mutare aut alias alienare, praesens generale Capitulum nolens quoquomodo viam praecludere huiusmodi necessariae reparationi aut etiam contradicere assensioni seu indulto iam, ut praedictum est, per praedictum Rmum praestito, eidem concedit ut abbates de Sconavia et de ... qui et uterque eorum in solidum diligenter se informent, et quidquid ad utilitatem dicti monasterii de Uterinavalle faciendum viderint, possint id faciendi licentiam conferre, et quod factum fuerit, postmodum confirmare vel infirmare in plenaria, etc.

58. Praesens generale Capitulum libenter annuens petitionem abbatis de Porta, et favere volens zelo et affectioni, quam ipse gerit erga collegium Ordinis in civitate Lipzensi, ratam habet acquisitionem illam annui redditus de summa 1000 floren. auri eidem collegio per eum applicatam et concessam, volendo ex nunc et statuendo firmiter in perpetuum, ne per quamcumque personam ab eodem collegio quovis colore quaesito unquam alienentur, seu aliter dicti redditus applicentur absque Capituli generalis auctoritate, sed perpetuo ex integro et ad eosdem usus permaneant et serventur, irritando omnino et annulllando, si quomodo aliter a quoquam fuerit attentatum, in plenaria, etc.

REHABILITATIONES

59. Ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., pro rehabilitatione fratris Ioannis Fouquet, alias de Baillet, religiosi monasterii de Valle B. M. in dioecesi Parisiensi, qui suadente diabolo

monasterium absque licentia exivit, et per spatium duorum annorum vel circa extra ipsum vagus permansit, ac in tali statu pluries missam celebravit, per hoc irregularitatem incurrens. Quia tamen Deo duce rediit, et tam in monasterio Cistercii quam in dicto monasterio de Valle, poenitentiam sibi indictam patienter sustinuit et complevit, ita ut merito de eius futura emendatione sit bene sperandum. Idcirco praesens generale Capitulum cum eodem misericorditer dispensando, praesentium tenore eumdem relevat et rehabilitat ad omnes gradus et officia, beneficia et dignitates, abbatiali etiam dignitate inclusa, in plenaria Ordinis potestate, omnibus et singulis personis Ordinis inhibendo ne quoquomodo eum occasione praemissorum aut alicuius eorum impetant, etc.

60. Ad instantiam abbatis de Laude, generale Capitulum rehabilitat fratres Matheum de Ploys et Petrum Fabri, religiosos dicti monasterii, super eo quod absque licentia monasterium exiverunt, et extra ipsum spatio sex hebdomadarum vagabundi permanserunt, ad omnes gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa.

61. Ad instantiam eiusdem abbatis de Laude, generale Capitulum rehabilitat fratrem Iacobum de Salice, dicti monasterii religiosum super inhabilitate contracta per carnis copulam cum quadam conversa Ordinis, unde proles secuta est, ut communi voce asseritur, ad omnes actus legitimos, gradus, officia, abbatiali dignitate inclusa.

62. Ad supplicationem eiusdem abbatis de Laude, generale Capitulum rehabilitat sororem Ioannam Dechou, monialem monasterii de Saliceto, quae in contagium carnis lapsa est, secuto inde puerperio, ad omnes gradus et officia, seclusa tamen abbatiali dignitate.

63. Ad instantiam prioris de Valle S. M. praesens generale Capitulum rehabilitat fratrem Nicolaum Boulot, eiusdem monasterii religiosum, qui mulierem publicam in camera sua tenuit, et ex ea tandem puerum suscepit, ad omnes gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa, etc.

64. Ad idem, generale Capitulum rehabilitat sororem Margeretam de Caplerein, monialem monasterii de Thesauro, quae ultra tempus concessum per tres vel quatuor dies in domo parentum remansit, ad omnes gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa.

65. Ad supplicationem abbatis de Loco S. Bernardi, generale

Capitulum rehabilitat fratrem Iudocum Verberck de Scalda, dicti monasterii religiosum, qui carnis contagium perpetravit cum quadam muliere publica, unde proles secuta est, ad omnes gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa.

66. Ad instantiam abbatis de Signiaco, praesens generale Capitulum rehabilitat fratrem Herwicum de Varenna, religiosum de Valle S. Lamberti, super inhabilitate per contagium carnis cum muliere nupta contracta, ad omnia officia, dignitates, abbatiali dignitate inclusa.

67. Ad idem, generale Capitulum rehabilitat fratrem Theodorum Patret, religiosum de Caroloco, in dioecesi Bisuntinensi, super inhabilitate quam incurrit per carnis contagium, per apostasiam quinque annorum spatio protractam, relicto religionis habitu, praetextu cuiusdam subreptitiae dispensationis, similiter super irregularitate quam incurrit pluries celebrando in tali statu, ad omnes actus legitimos, gradus et officia, abbatiali tamen dignitate seclusa.

68. Ad instantiam abbatis de Castellione, generale Capitulum rehabilitat fratrem Theodoricum Verni de Marvilla, super furto viginti quinque solidorum, ad omnes gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa.

69. Ad idem, generale Capitulum rehabilitat fratrem Guillermum Haillet, religiosum de Caroloco, super carnis contagio et exitu monasterii absque facultate bina vice perpetrato, ad omnes actus, gradus et officia, dignitate abbatiali inclusa.

70. Ad idem, generale Capitulum rehabilitat fratrem Ciriacum, de Uterinavalle monachum, super furto cuiusdam annuli aurei, quod tamen tandem restituit, ad omnes gradus et officia, abbatiali dignitate inclusa.

71. Ad idem, rehabilitat praesens generale Capitulum fratrem Ieronimum de Uterinavalle, super eo quod per biennium fuit fugitivus, retento tamen habitu regulari, ad omnes actus et officia, abbatiali dignitate inclusa.

IUDICES

72. Audiens praesens generale Capitulum querimoniam super excessibus religiosorum de Buxeria, in Andegavensi dioecesi, propositam, idque moleste ferens et de convenienti remedio providere cupiens, abbatibus de Bellabrancha, de Claritate et de

Ponte Oltrani, et cuilibet eorum in solidum, committit ut imprimis fratres Ludovicum Herbret et Ioannem Potebogne, religiosos dicti monasterii de Buxeria presbyteros, in monasterio de Bellabrancha manere compellant, data cuilibet provisione decem libr. turon. quolibet anno per abbatem de Buxeria, et ne tergiversationibus intervenientibus iustitiae tollatur seu nimium differatur exhibitio, praecipi in virtute salutaris obedientiae et sub poenis et censuris Ordinis ut primus vestrum, qui super executione praesentium requiretur, indilate ad inquisitiones super excessibus praedictorum fratrum procedat, et processum super praedictos usque ad sententiam diffinitivam inclusive perficiat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore, cum auctoritate compellendi quoscumque testes ad testimonium perhibendum, similiter et requirendi, per omnes vias iuris quaecumque instrumenta ad ipsius processus deductionum conducentia, et generaliter omnia, quae circa praemissa et ea tangentia agenda fuerint agendi, in plenaria, *etc.*

73. Abbati de Loco S. Bernardi praesens generale Capitulum committit, quatinus si fide dignis testibus, aut legitimis instrumentis sibi constiterit abbatissam de Swiveke aut ipsum monasterium teneri abbati de Capella Thosan aut suo monasterio in aliquibus debitis, eam compellat ad exsolvenda debita integraliter, per omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria, etc.

74. Praesens generale Capitulum volens finem imponere controversiae ortae ex processu depositionis abbatis de Sigilleriis iamdudum facto per abbates de Recluso et de Ripatorio, renovando commissionem in praecedenti novissimo generali Capitulo datam abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., eamque confirmando eiusdem per praesentes committit, quatinus, si opus fuerit, auditis denuo partibus et aliis hinc inde producendis, aliisque concernentibus debite factis processum ipsum confirment, vel infirment ita quod quilibet eorum abbatum, scilicet de Frigidomonte et Caroliloco habeat in solidum potestatem faciendi quaecumque conveniunt quoad praedictum processum usque ad ferendam sententiam inclusive, in plenaria, *etc.*

75. Viso diligenterque per generale Capitulum examinato et mature discusso processu citationis, excommunicationis et depositionis contra fratrem Guillermum Joly, abbatem de Sigilleriis per abbates de Recluso et de Ripatorio indebite, iniuste ac contra formam Ordinis et sacros canones facto, idem generale Capi-

tulum tantis abusibus ac iniustitiis imposterum obviare, eorumdemque fautores et executores gravibus punitionibus et censuris debite corrigere cupiens, abbati de Caroliloco, s. th. pr., tenore praesentium committit, quatinus dictos abbates de Ripatorio et de Recluso, per se vel per alium per eum deputandum ad proximum generale Capitulum peremptorie et personaliter citet, promotori causarum quod iustum fuerit responsuros, in plenaria, *etc.*

76. Audita per generale Capitulum fratris Guillermi Joly, abbatis monasterii de Sigilleriis contra fratrem Ioannem Billart et Andream Goullière in dicto monasterio de Sigilleriis originaliter professos, super scandalosa vita, dissolutoque regimine eorumdem gravi querimonia, abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, ac cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus citatis citandis, auditisque audiendis, ipsos secundum eorum demerita puniant et corrigant, eisque de monasterio in quo usque ad aliam determinationem Capituli generalis regulariter vivere possint, provideant, in plenaria Ordinis potestate.

77. Idem praesens generale Capitulum committit abbatibus de Caroliloco, de Longovado, de Miratorio et de Aceyo, et cuilibet eorum, ut quascumque Ordinis personas aut loca quae per testes aut alia instrumenta repererint obligari monasterio Cistercii aut personis eiusdem, compellant, etc.

78. Quia frater Guillermus Joly, abbas de Sigilleriis, indiget testimonio nonnullarum personarum Ordinis nostri, praesens generale Capitulum primo abbati vel priori Ordinis nostri, ac notario apostolico per dictum abbatem de Sigilleriis requirendo, committit, quatinus omnes et singulas Ordinis regulares personas, quas ipse in testimonium accersiri faciet ad, super his quae sibi proponentur, perhibendum testimonium veritatis, sub censuris Ordinis compellere possit, in plenaria, *etc.*

79. Praesens generale Capitulum instructum ac plenius informatum super excessibus, rebellionibus abbatissae de Fontibus Guerrardi, in Rothomagensi dioecesi, meritoque deplorans animarum perditionem, populi scandalum et religionis opprobrium, volensque de remedio opportuno providere per praesentes committit et districtius iniungit abbatibus, de Voto, de Miratorio, s. th. pr., et de Noa, et cuilibet eorum in solidum, ut super dictis excessibus diligenter inquirant, et informationes debitas faciant, et ad correctionem rebellionum, aliarumque insolentiarum pu-

nitionem indissimulanter procedant, invocato ad hoc, *etc.* in plenaria, *etc.*

80. Auditis clamoribus et querimoniis super enormibus criminibus fratris Berengarii, nunc monasterii de Voto monachi, visis similiter quibusdam processibus super eisdem factis et sententiis latis, praesens generale Capitulum committit abbati de Bonoportu moderno, vel eius successori, et nihilominus in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena iniungit, quatinus praedictum fratrem Berengarium rebellem indissimulanter in carceribus sui monasterii retrudat, et processum super impositis criminibus audiat et processum super eisdem usque ad sententiam diffinitivam inclusive faciat, et quid in praemissis fecerit, proximo generali Capitulo referat, invocato, *etc.*in plenaria, *etc.*

81. Volens generale Capitulum indemnitati abbatis de Loco S. Bernardi consulere, qui occasione monasterii de Nazareth multas impensas fecit et varia damna pertulit, committit praesentium tenore abbatibus de Villari et de Boudelo, quatinus super dictis expensis se informent, et abbatissam dicti loci de Nazareth ad eas persolvendas, uno vel pluribus terminis, compellant in plenaria, *etc.*

82. In causa debiti per abbatem de Loco S. Bernardi proposita, praesens generale Capitulum committit abbati de Capella Thosan, quatinus diligenter inquisitiones faciat super debito, quod sibi per abbatissam et conventum de Suiwecke asserit deberi ; quod si debitum ipsum iustum et canonicum esse repererit, eamdem abbatissam per omnes vias iuris ad solutionem dicti debiti compellat, in plenaria, etc.

83. Cupiens praesens generale Capitulum litem et controversiam inter abbates de Porta et de Vetericella extinguere, et eorum concordiam omnibus viis rationabilibus procurare, praesentium tenore committit et iniungit abbatibus de Valle S. Georgii, et Dobrilugk simul et coniunctim, ut super praedicta constitutione, quae ex visitatione indebite facta processit, inquisitiones faciant, partes audiant et quod iustitiae fuerit utrique parti indissimulanter tribuant, in plenaria, etc.

84. Temeritatem et proterviam fratris Petri Aymonet, monachi de Albaripa, praesens generale Capitulum debite comprimere et corrigere, praesentium tenore committit domino abbati de Claravalle, ut tam sua paterna quam totius Capituli generalis auctoritate eumdem corrigat et puniat pro suorum exigentia

delictorum, sic ut qui per eum scandalizati fuerunt, cognita iustitia et correctione, reaedificentur, ceterisque cedat in terrorem et exemplum, in plenaria, etc.

85. Gravamini abbatis de Monte S. M. praesens generale Capitulum obviare cupiens, committit abbati de Roseriis, s. th. pr., ut abbatem de Aceyo ad dandum debitas quittantias solutionis contributionum, quas a dicto abbate de Monte S. M. recepit, sub poenis et censuris Ordinis, compellat ; et si super expensis occasione dictatum contributionum per abbatem de Aceyo factis, quaestio seu contentio oriatur seu moveatur, dat in mandatis dicto abbati de Roseriis, ut auditis partibus quod iustum fuerit decernat et iudicet, in plenaria, etc.

86. Audiens generale Capitulum quod quidam frater nomine Ioannes de Busco, primo professus et residens in monasterio B. M. super Donkaing, Ordinis Cisterciensis, et deinde transiens ad prioratum Coronae Nostrae Dominae in Huesden, eiusdem Ordinis, praetendit illuc transferre bona quibus in priori monasterio utebatur, quod in gravamen suum religiosi dicti monasterii super Donkaing vertere contendunt et asserunt. Idcirco praesens generale Capitulum minus super dicto negotio informatum, committit abbati de Veterimonte et priori Montis Nostrae Dominae in Ysseltheim, ut se super dicto negotio informent, et habito respectu ad consuetudinem patriae, quod iustum fuerit determinent, diffiniant et iudicent, in plenaria, *etc.*

CONTUMACES

87. Abbatem seniorem de Fulcardimonte per dominum de Pontigniaco ad praesens generale Capitulum legitime citatum, vocatumque et non comparentem, nec per se nec per procuratorem, praesens generale Capitulum reputat rebellem et contumacem, committendo abbati de Valloliis, et de Loco Dei, et cuilibet eorum in solidum, auctoritatem, imo eis districtius praecipiendo quatinus contra dictum seniorem abbatem de Fulcardimonte procedant, eum tam de contumacia quam de ceteris criminibus per eum perpetratis, secundum Ordinis statuta puniendo, eum nihilominus citent peremptorie ad comparendum personaliter in proximo generali Capitulo responsurum ad obiicienda sibi per promotorem causarum dicti Capituli, in plenaria, *etc.*

88. Cognoscens per experientiam praesens generale Capitulum inobedientiam et contumaciam commendatarii de Salvanesio, et maxime quod legitime citatus ad ipsum generale Capitulum responsurus ad sibi obiicienda per procuratores causarum eiusdem, neque per se neque per alium, dignatus est comparere; idcirco abbati de Ardorello committit auctoritatem et plenum posse quamprimum per eum commode fieri poterit, per omnes iuris et iustitiae vias, non modo de praedicta contumacia sed etiam de quolibet alio pro regimine monasterii sibi commendati et non expleto procedendi contra eum, puniendi et corrigendi, iniuncto etiam usque ad depositionem inclusive, modo in ipsa depositione advocet duos de vicinioribus Ordinis abbatibus, ad ipsam depositionis sententiam ferendam, in plenaria, etc.

89. Cum exigente multiplici contumacia abbatis de Sancto Mauritio in Britannia, posset praesens generale Capitulum merito in ipsum excommunicationis ferre sententiam, nihilominus tamen adhuc de emendatione sperans, quatinus vel ipsa misericordia ad humilitatem convertatur, et ab errore resispiscat, idem generale Capitulum committit abbatibus de Buzayo et de Villanova, et cuilibet eorum in solidum, ut praedicto abbate coram ipsis aut eorum altero citato, cognitoque suae contumaciae demerito, de ipsa contumacia ceterisque eius excessibus eum debite puniant, et ad exsolvendas expensas, quas occasione ipsius fecit abbas de Begario, compellant et ad veram humilitatem et Ordinis obedientiam, per omnes Ordinis censuras et omnes iustitiae vias reducant, invocato, *etc.* in plenaria, *etc.*

SUFFRAGIA

90. Frater Guillermus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, illustri et magnifico domino, domino Francisco de Ferreriis militi, domino de Marigniaco et generosissimae dominae Ludovicae de Vendosme, eius consorti, sanctae devotionis salutare suffragium.

Quamquam divinae legis ... *etc.* ... ad instantiam domini abbatis Claraevallis vobis omnium bonorum spiritualium ... concedimus participationem et associationem... Datum Cistercii ... *etc.*

91. Ad instantiam eiusdem domini Claraevallis, similiter datum est suffragium sub eadem forma magistro Claudio de Boisset, iuris utriusque doctori decano ecclesiae Poligniaci.

92. Item, generoso domino Hugoni de Melun, vicecomiti Gandensi, et domicellae Ioannae de Horne, eius consorti.

93. Item, discreto et scientifico viro magistro Petro Bollet et eius uxori.

94. Ad instantiam abbatis de Veterimonte datum est suffragium in simili forma domino Philippo Lantgravio terrae Hassyae, comiti de Katzenelubogen.

95. Item, ad instantiam eiusdem datum est suffragium in simili forma pro domina Sibilla, ducissa seniori Iuliensi ac Montensi, necnon comitissae Ravensberg.

96. Item, ad instantiam eiusdem, datum est suffragium in simili forma pro monasterio de Monte Sancti Georgii monialium Cisterciensis Ordinis.

97. Item, ad instantiam eiusdem, datum est suffragium in simili forma pro monasterio monialium Sancti Bartholomei, civitatis Coloniensis, Ordinis Cisterciensis et eius benefactoribus.

98. Item, ad instantiam eiusdem, datum est suffragium in simili forma pro dominis ducibus ac principibus Clivensibus, Iuliacensibus ac Montensibus, necnon comitibus de Marcha de Ravensberg et de Katzenelubogen.

99. Praesens generale Capitulum intelligens fraternitatem aliquam nomine beatae virginis Margarethae, beati Anthonii et Leonardi in capella primae fundationis monasterii de Speciosa valle, nostri Ordinis Cisterciensis, in dioecesi Herbipolensi, a paucis fuisse erectam, ut igitur inde magis ac magis Christi fidelium devotio augeatur et incrementum suscipiat in Christo, omnibus et singulis huiuscemodi fraternitati associatis, seu etiam associandis imposterum, de thesauro bonorum spiritualium eiusdem Ordinis Cisterciensis, missarum videlicet, *etc.* confert participationem et associationem, velut si dicto nostro Ordini habitus nostrae religionis susceptione forent incorporati et uniti. Datum, *etc.* [d].

100. Ad instantiam abbatis de Moroliis similiter datum est suffragium in simili forma praecedenti, nobili viro Ioanni de Mollins, domino de Rochefort, et eius uxori.

101. Item, simili forma, datum est suffragium dominae comitissae de Taillebourg.

---

[d] P^2 *add.* : Sic signatum : de Maceriis abbas de Roseriis, fr. Ioannes abbas de Moroliis.

102. Ad instantiam prioris de Gaudio, datum est suffragium in simili forma domino Anthonio Fayette militi.

103. Item, datum est simile suffragium nobili domino Baillivo de Calvomonte, ad instantiam abbatis de Signiaco.

104. Item, ad instantiam eiusdem datum est suffragium domino Ioanni Leroy, ecclesiae Remensi canonico.

105. Item, ad instantiam abbatis de Bildhusen datum est suffragium in simili forma, honorabili ac scientifico viro domino Ioanni Ruthard, plebano in Aschall.

* * *

106. Quia propter ... *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

1521

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, et die ultima mensis aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur, sede ipsius monasterii vacante.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ac beatissimo domino nostro Leone divina Providentia Papa X, necnon pro Rmis in Christo dominis, S. R. E. cardinalibus, et maxime pro Rmo D. D. Julio, tituli S. Laurentii in Damaso, S. R. E. et vicecancellario, Ordinis amatore singulari, similiter et pro domino Augustino de Trivultiis, miseratione divina tituli S. Adriani S. R. E. cardinali, nostrique sacri Ordinis in Curia protectore benivolo, ac etiam, etc.

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*

3. Insuper pro burgensibus ... etc.

4. Ceterum pro pace ... *etc.*

5. Demum pro felicis ... etc.

1521. *Fontes* : L^7 : 1-89 ; P^2 : 1, 8, 16, 17, 21, 26, 27, 31.

[a] *Titulus apud* L^7. [b] Sub Leone... *etc* : P^2.

[DIFFINITIONES GENERALES]

6. Nos, Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, notum facimus universis, quod in eodem generali Capitulo, die ultima aprilis anno Domini 1521 apud Cistercium, sede ipsius monasterii vacante, celebrato, facta fuit quaedam diffinitio, cuius tenior sequitur et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc* necnon in summa ... *(locus vacuus)* pro resta computationum ... etc.

7. Nos, Diffinitores, *etc. ut supra.* Praesens generale Capitulum, nedum patrum clamoribus sed experientia cognoscens multorum Ordinis monasteriorum in utroque statu desolationem, volensque iuxta SS. D. N. domini Leonis divina Providentia Papae X et moderni rescriptum, ad ipsius generalis Capituli Diffinitores transmissum, atque iuxta litteras et iussiones RR. dominorum cardinalium, regum, reginarum, principum, principissarum, una voce multis patribus Ordinis factis ad ipsius Ordinis generalem reformationem viriliter et indissimulanter procedere, renovat in primis commissiones super huiusmodi reformationum arduo negotio superioribus annis concessas, iniungens omnibus Ordinis patribus abbatibus et eorum commissariis, quatinus omni dissimulatione postposita, visitent et reforment monasteria sibi commissa, ac vitia quae compererint debita animadversione, tam in capite quam in membris, corrigant, etiam per emissiones personarum Ordinis ad alia monasteria, et introductionem aliarum vitae et conversationis melioris, decernitque ut praecipiant abbatibus ad quorum monasteria tales male conversantes emittere decreverunt, teneantur ipsos recipere ad tempus eis praefixum sub poenis et censuris Ordinis, et etiam sub eidem poenis praecipiant abbatibus habentibus religiosos ad reformationem faciendum idoneos, quatinus tales ad certum tempus, reformationis faciendae gratia, ad reformanda monasteria ire, et in eisdem per tempus a dictis commissariis praescriptum manere permittant, non obstantibus quibuscumque diffinitionibus in contrarium editis. Quantum autem ad monasteria monialium praecipit idem generale Capitulum ut secundum tenorem capituli *Periculoso*, in Sexto, *de Statu regularium*, in singulis ipsarum monialium monasteriis easdem sub perpetua clausura manere compellant ; rebelles, si opus sit, per incarcerationem et translationem ad alia regularia monasteria, et per alias iuris et iustitiae vias debite cor-

rigendo. Quod si aliquas sic emitti contigerit, compellantur, sicut de viris religiosis dictum est, tam abbatissae ad quarum monasteria transmittentur, quam abbatisae a quibus religiosae sorores requirentur et transmissas recipere, et requisitas secundum dictorum visitatorum iudicium et discretionem ad tempus concedere, et ne labores et onera cedant in detrimentum ecclesiarum visitatorum praedictorum, expensae pro huiusmodi reformationibus factae, accepta nihilominus temporis opportunitate, per monasteria taliter visitata et reformata refundentur, permittit quoque dictum generale Capitulum ipsis visitatoribus ut vicinorum abbatum et personarum Ordinis ac saecularis brachii, ad praemissa exsequendum, invocare possint auxilium, consilium et favorem, in plenaria, etc. Datum, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

8. Ad tollendum favoris suspicionem, et ut circa omnes contributionum receptores servetur uniformitas, diffinit, ordinat et statuit praesens generale Capitulum, quatinus deinceps ipsi receptores in reddendis suis computationibus et subsidiorum sigillatim et per articulos, prout sigillatim et consequenter exposuerunt procedant, easdem pro loco et tempore annis singulis per codicillos computationum auditoribus praesentando.

9. Quia constitit praesenti generali Capitulo abbatem de Caroliloco, s. th. pr., diligenter, prudenter et viriliter processisse in reformatione monasteriorum monialium Ordinis, in partibus Franciae et Picardiae situatorum, et maxime monasteriorum de Maloduno prope Pontisaram, de Lilio prope Meldunum, et de Sancto Anthonio prope Parisios, idem generale Capitulum approbat, confirmat et corroborat omnia et singula per eum facta, tam in dictis monasteriis, quam in aliis sibi commissis, visitando et reformando huiusmodi monasteria, tam quoad constitutiones et ordinationes clausurarum ibidem factas, conformiter ad capitulum *Periculoso, de Statu regularium,* in VI°, et secundum dispositionem aliorum monasteriorum reformatorum, quam similiter quoad translationes abbatissae et monialium dicti monasterii de Lilio, eumdem in visceribus charitatis monendo, et nihilominus eidem districtius iniungendo, quatinus tam sancto et laudabili proposito iugiter insistendo omnia praedicta per eum circa huiusmodi reformationes ordinata diligenter faciat observari, viriliter

prosequendo et continuando bonam reformationem et disciplinae regularis observantiam in omnibus monasteriis utriusque sexus in dictis partibus Franciae et Picardiae situatis, iuxta tenorem commissionis eidem abbati novissime concessae, pro quibus reformationibus factis et posterum faciendis expensas factas et faciendas ex integro a monasteriis visitatis et reformatis recipiet, et ad hoc personas in dictis monasteriis praesidentes ac cellerarios et officiarios ac officiarias sub poenis et censuris Ordinis cogere poterit, in plenaria, etc.

10. Ad idem, de abbate de Bonoradio, de his quae ex commissione domini de Claravalle fecit in visitatione et reformatione de Nigrolacu, eidem similiter iniungendo, quatinus iuxta formam eiusdem commissionis sibi datae, prosequatur in huiusmodi reformatione, non obstante frivola appellatione abbatis dicti monasterii de Nigrolacu, quae per arrestum Parlamenti Parisiensis declarata fuit nulla.

11. Audita supplicatione abbatissae de Magraugia prope Friburgum, praesens generale Capitulum abbati de Monte Sanctae Mariae committit, quatinus ad providendum conscientiae, religiosum Ordinis probum, sufficientem et idoneum dictae abbatissae et suarum monialium, tam ad audiendas confessiones earum quam ad administrationem aliorum sacramentorum, cum potestate absolvendi eas in foro poenitentiae, et omnia alia faciendi quae communiter et regulariter in Ordine officium huiusmodi confessoratus concernunt, in plenaria, *etc.*

12. Praesens generale Capitulum benigne et favorabiliter annuens, supplicationem sororis in Christo Annae de Preremond, abbatissae quondam monialium monasterii Magraugiae prope Friburgum, consideransque obedientiae suae promptitudinem, quam exhibuit deputatis ab Ordine visitatoribus et reformatoribus, talem ut pro liberiori et ampliori reformatione contenta fuerit proprio dicto monasterio et dignitati abbatiali cedere, retenta tamen moderata pensione sibi quoad vixerit duratura, fundata et percipienda annue super redditus bonis et proventibus eiusdem monasterii de Magraugia, prout legitime constat ex tenore dupli instrumenti pensionis huiusmodi, quapropter idem generale Capitulum dictum instrumentum memoratae pensionis, quae per multas et distinctas partes et articulos in eo specificatur secundum omnes suas huiusmodi partes et secundum omnem sui tenorem et formam, gratum habet, approbat, ratificat et confirmat in plena-

ria Ordinis potestate, praecipiendo modernae abbatissae eiusdem monasterii, necnon et singulis officialibus eiusdem, quatinus de anno in annum et de termino in terminum eidem sorori Annae suam huiusmodi pensionem ex integro persolvant et solvere procurent ; huius mandati executionem abbati de Monte S. Mariae committendo eadem Ordinis et Capituli generalis auctoritate. Datum, etc.

13. Supplicatione abbatis de Moroliis audita, consideratisque laboribus, quos pro Ordine superioribus diebus assumpsit, quotidie assumit et per Dei gratiam assumpturus est, summae 26 libr. turon. suo monasterio impositam ad summa 13 libr. per praesentes reducit, ipsum ab omnibus gravaminibus, quantam ad medietatem dictae summae 26 libr. relevando, in plenaria, etc.

14. Supplicationem commendatarii monasterii Insulae de Ré et conventus eiusdem monasterii similiter et devotionem populi eiusdem Insulae, praesens generale Capitulum attendens volensque eiusdem adiutorium impendi, committit abbatibus de Maceriis et de Moroliis, et eorum cuilibet in solidum, ut pensatis pensandis et inquisitionibus factis super utilitate aut damno dicti monasterii, permittet ut incolae dictae Insulae de Ré sacellum in territorio dicti monasterii construere possint, facta tamen ipsi monasterio debita recompensatione, aut census convenientis assignatione, cum auctoritate approbandi dationem seu arrentationem per ipsum commendatarium et eius conventum factam aut faciendam sive eam, si opus sit, reprobandi, in plenaria, etc.

15. Praesens generale Capitulum alienationem terrarum, maresiorum sali faciendo aptorum, factam per nuper defunctum abbatem monasterii Gratiae B. M. de Charone et eius conventum, moleste admodum ferens tamquam ipsi monasterio nocuam et damnosam reprobat, cassat et annullat, praecipiendo abbati moderno eiusdem monasterii, ut ipsam alienationem retractet et nullum effectum sortiatur, iniungendo abbatibus de ipsum Gratia Dei, de Trizayo et de S. Leonardo, et eorum cuilibet, ut abbatem de Charone et eius conventum omni dissimulatione postposita ad praedictum tractatum retractandum, sub Ordinis censuris compellant, in plenaria, etc.

16. Praesens generale Capitulum petitioni abbatis de Curia Dei libenter annuens, eidem concedit et permittit ut religiosum unum possit habere et tenere, studii causa, in civitate Aurelianensi, qui in facultate decretorum studeat, sic tamen quod per

huiusmodi studentem in dicta Universitate non absolvetur a mittendo et manutenendo unum scolarem in collegio divi Bernardi Parisiensis.

17. Praesens generale Capitulum laudans admodum et gratissimam habens diligentiam, quam dominus abbas Claraevallis exhibuit in legatione sibi novissime commissa ad sanctam Sedem Apostolicam, decernit eidem et agit pro huiusmodi assumptis laboribus immensas gratiarum actiones, ordinando ut salutares et utilissimae imo et necessariae expeditiones, per eum ab ipsa Sancta Sede obtentae, publicentur et singulis volentibus sub signo notariorum aut sigillo Diffinitorum dentur.

18. Ad supplicationem abbatis de Monte S. Mariae, praesens generale Capitulum sibi ex gratia speciali et pro quanto salva regula et statutis Ordinis fieri potest, permittendo annuit ut frater Hugo Bressaut eiusdem monasterii Montis S. Mariae professus et eiusdem abbatis monachus, sub eiusdem abbatis sui beneplacito et voluntate, gaudere possit bonis sequentibus, videlicet camera una seu domo quam in praedicto monasterio aedificavit, necnon certis pratis et vineis, quae parentum suorum successione dicto suo monasterio obvenerunt, modo eiusdem bonis et obventionibus utatur legitime et ad honorem et utilitatem eiusdem monasterii de Monte S. Mariae et non alias.

19. Nos, Diffinitores Capituli generalis, etc. Quia frater Iacobus Joly, abbas monasterii de Sigilleriis indiget testimonio nonnullarum personarum Ordinis, praesens generale Capitulum primo abbati, priori, procuratori et cellerario Ordinis per dictum abbatem super hoc requirendo committit, ut omnes et singulas eiusdem Ordinis regulares personas, quas ipse in testimonium accersiri seu conveniri fecerit, ad de his, super quibus interrogabuntur, perhibendum testimonium veritati, sub poenis et censuris Ordinis compellere possit, in plenaria, etc.

20. Quia abbas de Recluso ad praesens generale Capitulum ad instantiam promotoris causarum Ordinis, ad abusibus in processu privationis seu depositionis fratris Guillemi Joly nuper abbatis monasterii de Sigilleriis, per ipsum perpetratis respondendum peremptorie et personnaliter citatus non venit, dictum generale Capitulum ipsum ad proximum generale Capitulum denuo peremptorie et personaliter citat, praesentis diffinitionis executionem primo Ordinis religioso committendo in plenaria, etc.

21. Praesens generale Capitulum laudabiles Ordinis consuetu-

dines in confirmandis diffinitionibus singulis annis factis, hactenus observatas insequendo, omnes et singulas diffinitiones in Capitulo anno novissime elapso factas et ab eodem emanatas, approbat, ratificat et confirmat in plenaria, etc.

22. Abbatem de Ripatorio ob processum depositionis per eum contra fratrem Guillemum Joly, abbatem monasterii de Sigilleriis, factum, ad praesens generale Capitulum citatum et debite comparentem, ipsum generale Capitulum, considerata eius humilitate, qua petiit sibi ignosci quidquid excesserat, attentisque rationibus multis et potissimum quod in ipso processu nulla malivola intentione, sed potius quadam incauta simplicitate cognitus est processisse, ab omnibus adversus eum propositis obiectionibus misericorditer absolvit.

23. Laudabilem fratris Iacobi Joly, abbatis de Sigilleriis, diligentiam, quam in praesentatione et exhibitione suae provisionis apostolicae de dicto monasterio de Sigilleriis, per resignationem fratris Guillelmi Joly, nuper ipsius monasterii abbatis, praesenti generali Capitulo adhibuit, dictum generale Capitulum grato animo suscipit, eumque statutis et diffinitionibus Ordinis satisfecisse decrevit.

24. Visa supplicatione per abbatem de Ioyaco praesenti generali Capitulo porrecta, idem generale Capitulum post maturam deliberationem, eidem abbati annuit, permittit et concedit, ut monasterium suum totiens quotiens congruum sibi visum fuerit, in manibus Summi Pontificis, aut cuiuscumque alterius potestatem habentis, cum retentione pensionis, resignare possit, abbatibus de Caroliloco, de Prulliaco, de Vallelucenti et de Barbello, et cuilibet eorum committendo ut dictam resignationem seu cessionem admittere, eidemque gratiosam pensionem assignare et constituere possit, absque praeiudicio iurisdictionis et auctoritatis sui patris abbatis et Ordinis, in plenaria, *etc.*

25. Praesens generale Capitulum attentius considerans magnas reparationes et restaurationes, quas facit et de die in diem facit in suo monasterio abbas de Alna in Leodio, eumdem absolvit usque ad triennium a solutione subsidii pro constructione ecclesiae seu templi collegii divi Bernardi Parisiensis, sibi et suo monasterio impositi et imponendi, quatinus et facilius et libentius aedificium solemne, quod in templo monasterii sui multis sumptibus inceptum est perficere possit.

26. Visa supplicatione fratris Nicolai Besançon, religiosi de

Cheminione, auditis similiter multis eiusdem fratris commendationibus et bonis super eius conversatione, studio et diligentia fide dignorum testimoniis, praesens generale Capitulum eidem fratri concedit et permittit, quatinus possit consequi gradus artium seu determinatoriatus in collegio divi Bernardi Parisiis, sic tamen quod cum ad actus dicti collegii eum ire contigerit, aut in aliis collegii locis cum ceteris studentibus convenerit, novissimum locum inter determinatores tenebit, quamdiu extra collegium permanserit, si vero in collegio post adeptum gradum permanserit, ceteros qui post eum dictum gradum adepti fuerint ordine praecedat ; mandat quoque praedictum Capitulum generale provisori eiusdem collegii, quatinus dictum fratrem Nicolaum de praedictis gaudere faciat, in plenaria, *etc.* [c]

27. Supplicationem abbatis de Strata [d] s. th. pr., praesens generale Capitulum tamquam rationabilem suscipiens, eum pro praesenti anno a generalis Capituli assistentia benigniter absolvit, ac eidem iuxta dictae suae supplicationis tenorem concedit, ut monasterium suum iuxta Ordinis statuta resignare possit, sive in manibus romani Pontificis, sive alterius potestatem habentis, salva tamen sui patris abbatis iurisdictione, in plenaria, etc.

28. Ad idem, quantum ad facultatem resignandi pro abbate de Caroliloco, s. th pr.

29. Ad idem, pro abbate de Loco Dei in Pontino, quantum ad facultatem resignandi.

30. Ad idem, pro abbate de Ioyaco, quantum ad excusationem a Capitulo et resignandi facultatem.

31. Praesens generale Capitulum, visis supplicationibus abbatis de Bonavalle in Pictavia, quibus monasterii sui varias afflictiones declarabat, eum ut facilius commendatario de Caduino et aliis adversariis resistere possit, absolvit a Capituli generalis frequentatione, a solutione collegii S. Bernardi Parisiis et a missione scolaris, donec ad pinguiorem fortunam devenerit, similiter decernit ut non compellatur hinc ad annum solutionem contributionum aut arreragiorum eorumdem, similiter nec ad solutionem subsidii per ultimum generale Capitulum super Ordinem et suo monasterio impositi.

32. Praesens generale Capitulum, visa supplicatione religio-

---

[c] *P² addit* : Sic signatum de Maceriis abbas de Roseriis, frater Iohannes abbas de Moroliis. [d] Stoufa :. *P²*.

sorum et conventus de Fontefrigido Narbonnensi, remittit contributiones suo monasterio impositas ad summa 22 libr. turon. absque eo quod per abbatem de Ardorello aut alium possint ad ulteriorem summam solvendum compelli, usque ad aliam dispositionem ipsius Capituli generalis.

33. Praesens generale Capitulum libenter annuens atque consensum praebens supplicationi nobilis viri Galteri Van den Tympel, civis Lovaniensis, monasterii B. M. de Vineis apud Lovanium nuper constructi augmentatoris et dotatoris praecipui, supplicationibus quoque abbatum de Loco S. Bernardi et de Molinis attentius consideratis, ipsum inprimis praefatum Galterum et eius filios benefactorum Ordinis universi facit participes, regimen autem ipsius monasterii atque omnimodam dispositionem praedicto abbati de Loco S. Bernardi super Schaldim, de cuius zelo, scientia et circumspectione ad plenum confidit, tamquam patri abbati committit, usque ad alium Capituli generalis dispositionem, decernitque ut idem locus, si secundum diffinitionem anno praeterito editam exemptus sit constructus et dotatus, non prioratus sed abbatia vocetur et sit; hortaturque idem generale Capitulum singulos Ordinis veros zelatores cunctosque Christi fideles, quatinus ipsi monasterio de Vineis manus adiutrices porrigant, retributionem a Domino percepturi, iniungit quoque dicto abbati de Loco S. Bernardi ut monasterium ipsum in verae religionis observantia secundum Ordinis statuta dirigere atque semper manutenere laboret, in plenaria, etc.

34. Visis debitis informationibus super irreligiosa nimis et scandalosa conversatione fratris Iacobi Bouseau, monachi professi monasterii de Alna in Leodio, praesens generale Capitulum super eis habita maturiore deliberatione eumdem fratrem condemnat ad perpetuos carceres in eodem monasterio de Alna, ut ibidem in pane doloris et aqua tristitiae perpetuam peragat suorum demeritorum poenitentiam.

35. Pensatis iniuriis prolatis per fratrem Nicolaum Bousson, monachum de Nigrolacu adversus abbatem de Bonoradio, praesens Capitulum generale praedictum fratrem ad certas poenas adiudicavit, eum inter cetera declarando ad officium prioratus quo fungebatur inhabilem.

36. Praesens generale Capitulum auditis et perspectis calamitatibus quas in Frisia monasteria Ordinis patiuntur, et attentis similiter supplicationibus per abbatem de Ierusalem eidem ge-

nerali Capitulo praesentatis, dictos abbates Frisiae hinc ad annum a solutione subsidii per novissimum generale Capitulum super Ordinem universum impositi, absolvit, sic tamen quod cum eis Dominus respirare dederit, et ad meliorem fortunam pervenerint, ipsum subsidium solvent, et ad ipsum solvendum per dictum abbatem de Salem compellantur, in plenaria, etc.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

37. Nos, Diffinitores, etc. abbatibus de Voto, s. th. pr., de Bonoportu et de Mortuomari, et eorum duobus simul, praesens generale Capitulum committit quatinus contractum passatum et initum inter venerabilem et dilectam abbatissam de Fonte Guerardi ex una, et nobilem ac consultissimum virum magistrum Guillelmum Maignart, regis consiliarium in curia Parlamenti Rothomagensis ex altera partibus, visitent, inquisitionem super commodo vel incommodo monasterii faciant, et ipsum contractum confirment vel infirment, et quod invenerint proximo generali Capitulo referant in plenaria, etc.

38. Ad idem, quantum ad contractum seu tractatum initum et passatum inter abbatem et conventum de Vallibus Sernay et magistrum Ioannem Nery, curatum d'Orfin, cuius tractatus confirmatio aut infirmatio committitur abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, ac cuilibet eorum in solidum.

39. Contractum initum et passatum inter abbatem et conventum monasterii de Prulliaco et nobilem virum Michaelem de Poisieu, dominum de Valery et baillivum Senonensem, praesens generale Capitulum visis informationibus desuper factis, ipsum contractum approbat, ratificat et confirmat, adiecto tamen quod ipse dominus de Valery tenebitur tueri nemora et terras monasterii existentia iuxta terras dicto domino per ipsum monasterium concessas. Datum, etc.

40. Abbatibus de Caroliloco, de Regalimonte, de Vallibus Sernay, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus inquirant super utilitate monasterii de Maloduno, quantum ad contractum initum et passatum inter abbatissam et conventum dicti monasterii, et dominum Petrum Leonnet presbyterum, et quod eis visum fuerit proximo generali Capitulo referant.

41. Domino abbati de Claravalle, praesens generale Capitulum committit, quatinus assumptis secum abbatibus de Rigniaco, de Longovado et de Lesinis, aut eorum altero, inquisitionem faciat super contractu passato et inito inter abbatem et conventum de Fonteneto, et Geraldum Chammeroys laboratorem, cum auctoritate approbandi vel reprobandi dictum contractum, et quod super hoc invenerint proximo Capitulo generali referant.

42. Domino abbati de Pontigniaco et de Rigniaco, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus inquisitione praevia confirment aut infirment tractatum factum inter abbatem et conventum de Quinciaco, et Stephanum Jamyn, vel referant, etc. Ad idem, de contractu inito cum habitantibus de Ballenode in grangia.

43. Praesens generale Capitulum absolvit abbatem de Quinciaco et eius conventum a iuramento praestito in contractu inito super alienatione cuiusdam firmae, quae Brolium dicitur, iniungendo quatinus ipsum contractum retractet.

44. Praesens genererale Capitulum confirmat et approbat tractatum initum inter dominum abbatem de Pontigniaco et eius conventum ex una, et Ioannem et Andream Reynars fratres habitantes et residentes in loco qui dicitur Villiers la grange, iuxta tenorem dicti contractus, cui praesentes annectuntur, in plenaria, etc.

45. Abbati de Rigniaco praesens generale Capitulum committit, quatinus inquisitionem debitam faciat super contractu alienationis seu arrentationis cuiusdam domus sitae in urbe Sancti Florentii, facto et passato inter dominum abbatem de Pontigniaco et conventum ex una parte, et dominum Petrum Chabrier presbyterum curatum de Jussi ex altera, et inquisitione facta proximo generali Capitulo referat.

46. Praesens generale Capitulum audita supplicatione abbatis de Ripatorio committit domino abbati de Claravalle, abbatibus de Moris et de Bullencuria, et eorum duobus, quatinus contractum seu appunctuamentum initum et passatum inter dictum abbatem de Ripatorio et suum conventum ex una, et Ioannem Branche et consortes suos, videant, et inquisitione facta ipsum approbent vel reprobent, in plenaria, etc.

47. Abbatibus de Ellancio et de Igniaco, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus tractatum cui praesentes annectuntur, initum et passatum inter abba-

tem et conventum monasterii de Valle regis ex una, et Ioannem Champeaulx, colonum Remensem, partibus ex altera, diligenter examinent, et si facta diligenti inquisitione invenerint dictum tractatum cedere ad utilitatem dicti monasterii de Valle regis, confirment et approbent in plenaria, etc.

CONFIRMATIONES ELECTIONUM

48. Nos, Diffinitores, etc. electionem factam de persona fratris Petri Arrine ad abbatialem dignitatem monasterii de Gratia Dei in Pictavia, praesens generale Capitulum tamquam canonicam ... approbet, *etc.* supplendo, *etc.*

49. Ad idem, de electione facta de persona fratris Hylarii Capucii ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Charone.

50. Ad idem, quantum ad provisionem abbatis de Altasilva, iuxta tenorem et seriem instrumentorum, quibus annexa fuit ipsa confirmatio.

COMMISSIONES

51. Nos, Diffinitores, etc. Abbatibus de Frigidomonte et de Voto, s. th. pr., necnon abbati de Bellobecco, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit et districtius iniungit, quatinus monasterium de Fulcardimonte, quod a commendatario eiusdem gravissimis damnis affici dicitur, visitent et cuncta quae emendanda fuerint, tam circa administrationem ipsius commendatarii, quam circa religiosorum conversationem corrigere, emendare et reformare nullatenus dissimulent, in pleria, *etc.*

52. Iteratas et saepius auditas querimonias super inobedientia et conversatione abbatissae de Fonte Guerardi ac monialium eius, dolenter audiens, volensque earum saluti citius providere, ac longo tempore ex ipsis orta scandala prorsus extinguere, committit abbati de Voto, s. th. pr., et abbati de Mortuomari, et eorum cuilibet in solidum, et nihilominus eisdem iniungit, ut ad ipsum monasterium personaliter se transferant, et ibidem corrigant, instituant, destituant et reforment, quaecumque corrigenda, instituenda, destituenda et reformanda fuerint, insequendo regiam provisionem super hoc concessam, non obstantibus earum frivolis appellationibus, in plenaria, *etc.*

54. Rebellionem sororis la Pelletière, monialis de Fonte Guerardi, quae, ut dicitur, relicto monasterio in saeculo non sine et suae animae periculo, et Ordinis universi dedecore ac populi scandalo moratur, praesens generale Capitulum reprimere volens, committit abbatibus de Voto, de Bonoportu, de Mortuomari, et eorum cuilibet, ut dictam sororem in aliquo monasterio monialium reformato sub perpetua clausura manere compellant, imponendo eidem poenitentiam suis demeritis correspondentem, in plenaria, *etc.*

54. Quia praesenti generali Capitulo constat commissionem datam abbati de Monte S. Mariae pro levando subsidio in partibus Sabaudiae et aliis circumadiacentibus non fuisse executioni demandatam, idcirco praesens generale Capitulum dicto abbati de Monte S. Mariae committit ut secundum tenorem commissionis sibi a domino de Claravalle datae et concessae, ipsum subsidium levet et colligat, ac renuentes aut solutionem differentes sub censuris Ordinis ad ipsam solvendum compellant, in plenaria, *etc.*

55. Ad idem, quantum ad commissionem per dominum abbatem de Claravalle pro levandis Ordinis contributionibus, eidem abbati de Monte S. Mariae datam et concessam.

56. Audita supplicatione fratrum Ioannis Potebogne et Ludovici Unbert, professorum de Buxeria Andegavensi, Ordinis Cisterciensis, conformiter ad diffinitionem iam elapso novissime anno nuper expeditam, cupiens rursus eisdem religiosis de opportuno remedio providere, abbatibus de Claritate et de Ponte Oltrani, et culibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit auctoritatem compellendi commendatarium eiusdem monasterii ad recipiendum praedictos fratres et ad subveniendum eisdem de necessariis vitae iuxta status sui decentiam, et ibidem cum ceteris residendum, et simul ad cognoscendum et decidendum super causis, si quae contra eos fuerint per dictum commendatarium allegatae, additis, si opus sit, correctionibus et poenis iuxta casuum exigentiam ; quod si dicti commissarii compererint eosdem fratres esse merito a suo monasterio repellendos, iuxta Ordinis diffinitiones procedendo per dictos commendatarium et officiarios faciant eisdem fratribus, videlicet cuilibet eorum annis singulis de decem libris turon. sub poenis excommunicationis et aliis Ordinis censuris provideri, in plenaria, etc.

57. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitu-

lum committit auctoritatem et plenum posse compellendi abbatem de Chalocheyo ad solvendum arreragia contributionum suarum de annis praeteritis, et simul ad ostendendum sibi quittantias, si quas habet, per quas constat de solutione earumdem, et de residuis praedictorum arreragiorum, et hoc in plenaria, etc.

58. Praesens generale Capitulum visa supplicatione abbatissae et conventus de Vicinis, committit abbatibus de Curia Dei et de Eleemosina, et eorum cuilibet, quatinus se diligenter informent super quodam contractu inito et passato inter dictam abbatissam et eius conventum ex una, et venerabilem virum magistrum Franciscum Boyvin advocatum ex altera partibus, quantum ad alienationem perpetuam cuiusdam domus sitae in civitate Aurelianensi, et quod super hoc fecerint proximo in Capitulo generali referant, quatinus ipse contractus per ipsum secundum quod rationis fuerit, approbetur vel reprobetur, in plenaria, *etc.*

REHABILITATIONES

59. Ad instantiam abbatis de Curia Dei, praesens generale Capitulum rehabilitat sororem Mariam Bataille, religiosam monasterii de Vicinis in dioecesi Aurelianensi, quae aliquoties in contagium carnis lapsa est, puerperio inde bis secuto ; et quia praedicta soror poenitentiam pro dictis excessibus iniunctam devote adimplevit, et per longum tempus honeste postea conversata est, et adhuc conversatur ; idcirco generale Capitulum cum eadem misericorditer dispensando praesentium tenore, eamdem, ut dictum est, relevat et rehabilitat ad omnes gradus et officia, abbatiali etiam dignitate inclusa, in plenaria Ordinis potestate, omnibus et singulis Ordinis personis prohibendo, ne quoquomodo eam occasione praemissorum impetere seu deinceps factis vel verbis molestare praesumant. Datum, etc.

60. Ad idem, pro rehabilitatione sororis Catherinae Rat, pro lapsu carnis, puerperio semel inde secuto.

61. Ad idem, pro rehabilitatione fratris Nicolai Bousson, qui ob certa iniuriosa verba adversus abbatem de Bonoradio prolata, inhabilis declaratus fuerat, et nihilominus pluribus rationibus Capitulum ipsum moventibus ad omnes gradus et officia rehabilitatus fuit, etiam dignitate abbatiali inclusa.

62. Ad idem, pro abbate de Caricampo, cui concessa fuit per Capitulum generale facultas absolvendi religiosos suos a quibus-

cumque casibus etiam generali Capitulo reservatis, similiter rehabilitandi dictos suos religiosos pro excessibus praeteritis.

63. Ad idem, ad supplicationem abbatis de Caricampo pro fratre Ioanne Boutard, monasterii de Frigidomonte professo, qui bina vice fractis carceribus monasterium exivit, et per certum tempus extra ipsum monasterium per saeculum vagatus est, et per ipsum Capitulum generale ad omnes gradus et officia rehabilitatus est, etiam dignitate abbatiali inclusa.

CONTUMACES

64. Praesens generale Capitulum aegre ferens admodum tarditatem, imo potius inobedientiam et contumaciam nonnullarum Ordinis personarum, tam abbatum, abbatissarum, priorum, priorissarum, quam commendatariorum et aliarum quarumcumque personarum eiusdem Ordinis, in solvendis subsidiis et contributionibus ; ideo ex nunc declarat easdem personas, quae virtute commissionum super his praeteritis annis expeditarum per commissarios vel eorum substitutos, ad solvendum dicta subsidia vel contributiones, seu etiam earumdem arreragia debita, modo fuissent monitae, in easdem poenas et censuras incidisse, quas constat eisdem fuisse comminatas. Datum, etc.

65. Contumax declaratur commendatarius de Boucquiano, qui non obstantibus monitionibus eidem per abbatem de Begario factis quantum ad solutionem subsidii novissimi, ipsum nihilominus solvere ac coram ipso commissario licet debite citatus comparere pertinaciter recusavit.

IUDICES

66. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Caroliloco, de Longovado et de Ripatorio, et eorum cuilibet in solidum, ut quascumque Ordinis personas aut loca, quae per testes aut alia instrumenta repererint obligari monasterio Claraevallis aut personis eiusdem compellant per omnes iuris et iustitiae vias, ad dictas summas integre persolvendum, similiter si aliquae lites acciderint inter personas dicti monasterii de Claravalle et aliis personas Ordinis, ipsas decidant et terminent, in plenaria, *etc.*

67. Ad idem, pro abbate de Caroliloco, committitur abbatibus

de Frigidomonte, de Regalimonte et de Barbello, et cuilibet eorum in solidum.

68. Committit praesens generale Capitulum abbati de Roseriis, s. th. pr., et de Charitate, et eorum cuilibet, ut compellant abbatem de Aceyo ad recipiendum fratrem Odonem Devers, religiosum dicti monasterii, insequendo diffinitionem anno praeterito super hoc factam vel ad dandam eidem summam decem librarum turon. sicut in pleno diffinitorio facturum promisit.

SUFFRAGIA

69. Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, Reverendo in Christo patri ac domino, domino episcopo Lexoviensi supplex ac devotum bonorum spiritualium communitatis nostrae suffragium. Quamquam divinae legis testimonio ... *etc. ut in forma consueta*, ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., eidem Paternitati vestrae omnium bonorum spiritualium, videlicet... concedimus participationem ... Datum, etc.

70. Ad idem, de honorabilibus et scientificis viris magistris Ioanne de Baulat, Iacobo Rivirier et Sanxio Hebrard, in Parlamento Tolosano regis consiliariis.

71. Ad idem, pro nobili viro magistro Francisco de Molins, regio institutori atque magno elemosinario, et abbate Sancti Maximini prope Aurelianum, ad instantiam domini abbatis de Moroliis.

72. Ad idem, pro nobili viro Ludovico de Ruffineau et Maria Darcon eius uxore, domino de Borruysseauz.

73. Ad idem, pro nobili viro Ioanne de Labregeman, eiusdem loci domino, et generosa domina Renata Suriete eius uxore.

74. Ad idem, pro nobili viro Carolo du Bouchet, domino de Saincte Gemme, et Margarita du Puymonte, eius uxore.

75. Ad idem, pro nobili viro magistro Ioanne de Corbie, castelleti Parisiensis greffario, eiusque uxori.

76. Ad idem, pro domino Baylivo Meldensi, qui ad reformationem Lilii tamquam verus zelator Ordinis et amator adiutorium impendit non modicum.

77. Ad idem, pro illustrissimo principe domino marchione Brandeburgensi, benefactore monasterii de Pelisio in Ungaria.

78. Ad idem, pro domino comite de Pondevaux, marescallo

Burgundiae, et nobili eius coniuge, benefactoribus monasterii de Aceyo.

79. Ad idem, pro nobili viro Ioanne Vyxe et eius uxore, ad instantiam domini abbatis de Morimundo.

EXCUSATIONUM ABBATUM

80. Praesens generale Capitulum excusat ab assistentia eiusdem abbatem de Strata, s. th. pr., attento ipsius gravi senio, pensatisque variis ipsius infirmitatibus, permittitque eidem ut suos religiosos ab omnibus casibus absolvere possit, atque indulgentiarum eidem Capitulo generali concessarum facere participes in plenaria, *etc.*

81. Ad idem, quantum ad abbatem de Alna in Leodio.

82. Ad idem, excusat abbatem de Loco Dei in Pontino.

83. Ad idem, excusatur abbas de Loco Sancti Bernardi, cum auctoritate absolvendi suos religiosos, ut supra.

84. Ad idem, excusatur abbas de Claromarisco ab hoc generali Capitulo, cum auctoritate absolvendi suos religiosos, ut supra.

85. Ad idem, excusatur abbas de Bonoportu a praesenti generali Capitulo, permittendo eidem ut suos religiosos possit absolvere.

86. Ad idem, excusatur abbas de Forda in Anglia, s. th. pr., cum auctoritate absolvendi suos, ut supra.

87. Ad idem, excusatur abbas de Noa ab hoc praesenti generali Capitulo, cum auctoritate absolvendi suos, ut supra.

* * *

88. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*o 30.

* * *

89. *Epistola Capituli ad cardinalem protectorem.*

Reverendissime in Christo pater et domine semper colendissime, post humiles commendationes, his diebus apud Cistercium congregati, laeti profecto audivimus dominum abbatem Claraevallis, qui nuper in Curia romana oratoris officio pro Ordine nostro fungebatur narrantem, quanta humanitate Reverendissima vestra Dominatio eum susceperat, quanta diligentia Ordinis nostri solli-

citaverit negotia, utilitatem procuraverit et libertatem, qua etiam benignitate dignatus fuistis ipsum dominum abbatem Claraevallis Sanctitati SS. D. N. praesentare, ipsiusque SS. D. N. interpellare clementiam. Ex his certe relationibus omnes et merito alacriores et laetiores facti, orationes pro SS. D. N., Vestra Reverendissima Dominatione, vestra prosperitate, per universum Ordinem nostrum statuimus devotius fieri. Nulla fuerat a multis annis tantae exultationis congregatio, nisi heri inopinata mors optimi patris nostri domini abbatis Cistercii ipsa die nobis nuntiata fuisset ; sic Reverendissime Domine, luctus interrupit consolationem, exultationem perturbavit, votis nostris statueramus praedictum dominum abbatem Claraevallis iterum ad romanam Curiam oratorem mittere vestrae Dominationi nedum gratiarum actiones, sed beneficiorum nobis concessorum vices rependere, impedivit tamen pro nunc legationem ipsam tam subita mutatio, imo et mutationis tam frequentis dolorosa consideratio et Cisterciensis ecclesiae damnosa viduatio. Rogamus igitur, obsecramus, obtestamur et precamur Reverendissimam Paternitatem vestram, dignetur nos, attenta rerum perturbatione pro nunc excusatos habere atque supportatos ; speramus enim, vestro interveniente patrocinio, reflorebit nostrae religionis respublicaresonabitque, nam divino munere et multorum fratrum in unum congregatorum orationibus, ut credimus, factum est, quod nobis apud Cistercium pro generali Capitulo nostro celebrando convenientibus elegerunt abbatem et pastorem Rmum dominum et patrem, fratrem Guillelmum Le Faulconnier, s. th. pr., virum auctoritate, litteris et sanctimonia spectabilem et conspicuum, quem speramus nostrae ecclesiae Cisterciensi sed et Ordini nostro universo non mediocriter profuturum. Supplicamus igitur V. D. Rmae ut in confirmatione electionis praefatae monasterium Cisterciense ac universa nostra religio vos sentiat, ut solita est, benivolum pariter et beneficum ; non erit profecto ipse dominus electus vestrorum immemor beneficiorum, nec ipsa religio. Valeat Reverendissima Dominatio vestra semper felix et laeta. Datum in diffinitorio nostro apud Cistercium die ultima mensis aprilis anno, etc.

Subscriptio : Eminentissimae R. D. V. humiles oratores, Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis.

Superscriptio : Reverendissimo Domino Augustino de Trivulciis miseratione divina tituli Sancti Adriani Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali, atque Cisterciensis Ordinis protectori benevolentissimo.

1522

A) Ordinatio generalis Capituli anni 1522.

DIFFINITORES : de **Cistercio** s. th. pr., de Roseriis, s. th. pr., de Miratorio, de Bellavalle, monasteriorum abbates ; de **Firmitate**, de Maceriis, de Septem fontibus, de Aceyo, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Quinciaco, de Ioyaco, de Belloloco, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Longovado, de Ripatorio, de Bullencuria, monasteriorum abbates ; de **Morimundo** de Lococrescenti, de Bithania, de Clarofonte, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Aceyo, de Belloloco, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Claravalle, de Morimundo, monasteriorum abbates ; prior et supprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Longovado, de Quinciaco, monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : frater Ioannes Bartholomey, s. th. pr., Longivadi religiosus.

NOTARII ABBATES : de Roseriis, s. th. pr., de Septenfontibus, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Miratorio, de Aceyo, monasteriorum abbates, et quos Rmus dominus noster Cisterciensis voluerit nominare.

NOTARII AD PEDES : fratres Guillemus de Divione et Petrus de Divione, Cistercii professi.

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo, et die vigesima prima mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro sanctissimo [b] (*non citatur nomen pontificis*), *etc. ut in anno* 1521.

1522. *Fontes* : *A*[4] : 13, 14 ; *L*[6] : A), 1-38 ; *M* : 10, 15, *P*[2] : 1, 10, 11, 15 ; *W* : 10 *(abbrev.)*.

[a] *Titulus apud L*[6]. [b] Incipit duodecimum registrum. Ex anno 1522, 21 maii. Sub b[o] Adriano Papa, *etc.* : *P*[2].

2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa ... *(locuus vacuus)* pro resta computationum ... *etc.*

7. Praesens generale Capitulum cupiens toto affectu alumnos suos semper regno Dei coaptare, et ideo quos cognoverit semel aratro manum conseruisse, retro nullatenus respicere debere, sed prosequi viriliter, quod felici successu inceptum est, renovat, approbat et confirmat diffinitionem in novissimo generali Capitulo de visitatione et reformatione Ordinis monasteriorum editam, omnes et singulos Ordinis visitatores et reformatores in visceribus charitatis exhortando, et nihilominus districte eisdem praecipiendo, quatinus iuxta eorum claram intelligentiam et promptum religionis zelum, eiusdem diffinitionis tenorem in exsequendis huiusmodi visitationibus et reformationibus prosequantur, in plenaria Ordinis potestate.

8. Praesens generale Capitulum graviter ferens quorumdam Ordinis duritiam et protervitatem nolentium persolvere quottas contributionum et subsidiorum eis tam discrete, mature et necessarie impositorum ; ideo praecipit omnibus et singulis Ordinis commissariis ubilibet constitutis, praesentibus et futuris, quatinus sub censuris et poenis eiusdem Ordinis contra tales procedant, compellendo eos per omnes iuris et iustitiae vias ad solvendum summas tam contributionum quam subsidiorum eis iam impositas, vel etiam imposterum imponendas, invocato ad praemissa omnia et ea tangentia, si opus sit, brachii saecularis auxilio, consilio et favore, in plenaria, etc.

9. Quoniam constat multos Ordinis tam abbates quam commendatarios hucusque aegerrime tulisse et conquestos fuisse, dicentes sese gravari in quottatione contributionum suorum monasteriorum, quorum nonnullis in proventibus et redditibus abundanter adauctis, alia notabiliter diminuta sunt, ita ut nonnullorum taxae minus adaequate eisdem respondere facile noscantur. Ideo praesens generale Capitulum omnibus commissariis Ordinis

confert auctoritatem eis districte iniungendo, quatinus singuli in sua commissione citent singulos abbates ad comparendum ad proximum generale Capitulum visuros se taxari secundum verum valorem modernum, et ut ad praesens, suorum eorumdem monasteriorum, cum intimatione quod, sive sic vel non comparuerint, nihilominus perficietur per patres praesentes huiusmodi taxae debita aequiparatio, in plenaria, etc.

10. Sacrae religionis nostrae devotio primitus in fide Christi fundata, et hactenus iugiter continuata, merito nos excitare debet, nequando in posterum eam falsa doctrina obfuscari, laedi, aut diminui quoquomodo contingat; quapropter praesens generale Capitulum summopere circa suos praecavendo, in virtute salutaris obedientiae, et sub excommunicationis latae sententia poena, omnibus et singulis Ordinis regularibus personis districtissime prohibet, ne perversam illam doctrinam, cuius fama pene iam omnium auribus percrebuit, et quae dicitur a quodam Luthero nomine emanasse, sectentur aut audiant, seu etiam libros ipsius, et qui distribuuntur [c], legant, conservent aut habeant; praecipiendo provisoribus Ordinis universi et praesidentibus collegiorum, ne permittant scolares Ordinis illam doctrinam, seu potius haeresim et errorem studere, seu libros habere aut pertractare, sed quos invenerint, facta diligenti inquisitione, comburant aut destruant; quod si qui in praemissis, quod absit, fuerint rebelles aut inobedientes, puniant eos aut per emissionem perpetuam ex collegiis seu alias, prout iudicaverint, in plenaria, etc.

11. Quoniam, docente experientia, compertum est diffinitionem novissime factam de recurrendo in casu electionis faciendae ad proximum abbatem monasterii, cuius facienda electio, vergit in contemptum patrum abbatum, necnon et in religionis non modicum dispendium, quandoquidem nonnunquam ad tales recurritur, qui ad effectum debitae electionis satagere aut nolint aut nesciant, quin potius favent male affectatis eligentibus; ideo praesens generale Capitulum memoratam diffinitionem cassat irritat et annullat, iniungendo nihilominus patribus abbatibus iurisdictionem habentibus, quatinus deinceps et maxime in partibus longe a se distantibus deputent commissarios idoneos, quibus possint dare potestatem alios in casu substituendi, qui qui-

---

[c] inscribuntur: *MP*[2].

dem et ipsi substituti possint iuxta formam sibi factae commissionis, quotiens opus extiterit, in huiusmodi electionibus praesidere, in plenaria, etc.

DIFFINITIONES SPECIALES

12. Praesens generale Capitulum debite informatum de virili resistentia facta per abbatem de Ardorello contra commendatarium de Caduino, de facto attentante visitare idem monasterium de Ardorello, laudat in primis huiusmodi resistentiam factam, tamquam ex zelo dilectionis Ordinis procedentem ; deinde irritat et annullat si quas in huiusmodi visitatione sententias excommunicationis in abbatem aut conventum intulerit, seu alias quovismodo ordinationes instituerit, aut sanxerit observandas, quod quanto solum ab eiusdem commendatarii iurisdictione directe vel indirecte per se vel per alium procedere possint et pro refusione expensarum in negotio huiusmodi, quas sibi fieri petit, rogat idem generale Capitulum, meliorem opportunitatem expectet, considerata penuria Ordinis nunc existente, et nihilominus ei spondet in ulteriori petitorum prosecutione adiunctionem una cum sumptuum et expensarum refusione, eidem abbati de Ardorello indulgendo et praecipiendo, quatinus commissarium eiusdem commendatarii de Caduino ad eum missum pro executione eiusdem commissionis, et qui de facto exsecutus est, de Ordine, monachum citet ad futurum proximum generale Capitulum, responsurum sibi obiiciendis per procuratorem causarum in plenaria Ordinis potestate, hortando denique eumdem abbatem, quatinus bene inceptis pro Ordinis tuitione semper viriliter insistere curet. Datum, etc.

13. Praesens generale Capitulum pestiferas et graves insolentias quotannis per famulos abbatum in egressu et girovagatione monasterii Cistercii fieri solitas considerans statuit, ut qui sine dominorum Diffinitorum et portarii consensu dicti monasterii Cistercii portam egressi fuerint, magistrorum suorum perpetuo abdicentur famulatu ; quod si qui abbates in eorum animadversione et eliminatione negligentes inventi fuerint, poenae subiaceant arbitrariae, in plenaria, etc.

14. Praesens generale Capitulum, pensata nature horrenda, gravi, periculosa et sanguinea fratris Guillelmi Terroux in abbatem suum de Roseriis, s. th. pr., conspiratione, et eiusdem abba-

tis suo ductu favore et auxilio enormi et manifesta membrorum mutilatione, visis, lectis et auditis his, quae super ea quarta, quinta et sexta maii hoc anno Domini 1522 in monasterio de Gratia Dei coram abbatibus de Bellavalle et de Monte Sanctae Mariae, Rmi D. N. in ea parte commissariis, et decima nona huius mensis coram patribus Diffinitoribus in diffinitorio, et sequenti die vicesima coram abbatibus de Maceriis et Belloloco, a patribus Diffinitoribus in ea parte deputatis, in camera prioris Cistercii, et subinde vicesima prima hac die dicti mensis maii coram patribus Diffinitoribus in praedicto diffinitorio iterato approbavit et spontanee confessus est, iudicat, profert, sententiat et condemnat praedictum fratrem Guillelmum Terroux ad honorabilem emendam nudis pedibus et capite, taeda accensa hac die hora Capituli Deo, Ecclesiae, Ordini, Rmo D. N., patribus Ordinis et dicto abbati de Roseriis laeso infligendam ; condemnat insuper eum ad reclusionem et incarcerationem per triennium in aliquo remoto monasterio, ter in septimana in pane doloris et aqua tristitiae, quo tempore durante et eodem elapso, declarat eum ad quaecumque Ordinis beneficia et officia inhabilem, eliminatque perpetuis temporibus a praedicto de Roseriis professionis suae monasterio, regressum ad dictum monasterium, patriam et provinciam, sub poena perpetui carceris, ab eodem abbate de Roseriis eidem sine quovis alio processu iustitiae infligenda, prohibendo, in plenaria, etc.

15. Praesens generale Capitulum non aequanimiter ferens abbatis commendatarii de Fonteneto ingratitudinem, non ferentis habitum Ordinis, non minus contra eiusdem Ordinis regulam et statuta, quam contra SS. D. N. Papae ordinationem, prout constat ex forma provisionis suae de eodem monasterio. Ideo, in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis et censuris Ordinis praecipit, quatinus se in moribus et habitu per omnia conformet ipsi Ordini nostro, omnibus et singulis eiusdem monasterii regularibus personis similiter prohibendo, ne in his quae iurisdictionem spiritualem, et officiorum institutionem respiciunt, ei in aliquo obediant, donec et quousque sese, ut supra praeceptum est, saltem in habitu Ordinis, Ordini nostro conformaverit, sed in his iuxta privilegia Ordinis domino de Claravalle patri suo per omnia obedient, et obtemperabunt ; cui quidem domino de Claravalle idem generale Capitulum iniungit, quatinus et officiarios ipsos in eodem monasterio instituat, et in aliis eis subveniat, quae dictam

iurisdictionem spiritualem respiciunt. Ut autem praedicta diffinitio debitae executioni demandetur, dictum praesens generale Capitulum auctoritatem committit domino abbati de Pontigniaco, et idem, si opus sit, per omnia faciat idem dominus de Claravalle in ordine ad monasterium de Caroloco, in plenaria, etc.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

16. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis : Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Guillermi de Cruce ad abbatialem dignitatem monasterii de Castellariis, Ordinis nostri Cisterciensis in dioecesi Pictaviensi, rite et canonice factam per monachos eiusdem monasterii, praesidente in ea abbate monasterii de Moroliis, tamquam commissario domini abbatis de Claravalle, dicti monasterii de Castellariis patris abbatis, factam et celebratam, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.* Datum, *etc.*

17. Ad idem, de electione fratris Symonis Chartier ad dignitatem abbatialem monasterii de Ioyaco in Senonensi dioecesi, praesidente in ea domino abbate de Pontigniaco.

18. Ad idem, de electione fratris Michaelis Le Febure ad dignitatem abbatialem monasterii de Fonte Danielis, in Cenomanensi dioecesi.

19. Ad idem, de electione fratris Ioannis de Duderscardt ad dignitatem abbatialem monasterii de Lapide Sancti Michaelis, in dioecesi Halberstadensi.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

20. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis : Domino abbati de Pontigniaco praesens generale Capitulum committit, quatinus contractum initum inter abbatem et conventum de Quinciaco ex una, et Claudium Noyrot seniorem, Cladium Noyrot iuniorem, et alios in eodem contractu nuncupatos ex altera partibus, diligenter examinet super commodo et incommodo praedicti monasterii, et secundum quod iuris noverit esse et rationis, confirmet vel infirmat, in plenaria, *etc.* Datum, *etc.*

21. Ad idem, pro Philippo de Montebeliart super commodo vel incommodo praedicti monasterii de Quinciaco, cuius commissio dirigitur domino de Pontigniaco.

22. Domino abbati de Claravalle committitur, quatinus facta diligenti inquisitione super duobus tractatibus quorum unus initus est et passatus inter abbatem et conventum de Ripatorio ex una, et Nicolaum de Corberon partibus ex altera, et reliquos tractatus inter eumdem abbatem et conventum et Nicolaum Le Bey, si invenerit dictos tractatus cedere in profectum eiusdem monasterii, approbet et confirmet eosdem, si minus, reprobet vel infirmet, in plenaria, etc.

23. Abbatibus de Vallelucenti et de Rigniaco committitur, quatinus facta diligenti inquisitione super duobus tractatibus, quorum unus initus est et passatus inter dominum abbatem et conventum de Pontigniaco, et Ludovicum Bertrand et Reginaldum Blault partibus ex altera, si invenerint dictum tractatum cedere in profectum eiusdem monasterii approbent et confirment ; alius inter dictum dominum abbatem de Pontigniaco et conventum ex una, et Ioannem Cabourdin, Petrum Grillot et consortes, facta simili inquisitione, referant proximo generali Capitulo.

24. Abbatibus de Voto, s. th. pr., et de Bellobecco coniunctim et de Ursicampo, monasterii de Mortuomari patri abbati assumpto secum eorum altero, quatinus facta diligenti indagatione inquirant si monachi, abbas et conventus dicti monasterii de Mortuomari poterunt aliunde debitis mille scutorum, et aliis suis debitis satisfacere, quam per alienationem alicuius mobilis vel immobilis dicti monasterii, et proximo generali Capitulo referant.

25. Abbati de Bellavalle committitur, quatinus tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Bullione et Nicolaum Champyon de Corcellis examinent et super eo generali Capitulo proximo futuro referant.

26. Abbati de Veterimonte committitur, quatinus inquirat super venditione facienda cuiusdam grangiae nomine Kaldemych ad prioratum de Monte Sanctae Walburgis pertinentis, et referat proximo futuro Capitulo generali.

COMMISSIONES

27. Nos, frater Guillermus, etc. Praesens generale Capitulum religiosos monasterii de Candelio a pristina observantia quam hactenus laudabiliter observarunt, serpente evagationis veneno, deviare, aegre ferens, et sitiens avidissime ut quam illic plantaverat dextera Domini, sanctae religionis forma perseveret, abbati

de Ardorello committit, quatinus super excessibus in dicto monasterio factis et hactenus perseverantibus diligenter inquirat et informet, patremque abbatem, si in his negligens aut minus providus inventus fuerit, puniat, secundum quod iuris erit et rationis, eosque Deo et sanctae Ecclesiae, quibus opportunum esse cognoverit mediis reconciliet, in plenaria, etc.

28. Praesens generale Capitulum legitime informatum super indebito et inordinato utriusque status regimine monasterii de Caroloco, defectu abbatis eiusdem loci, tam per incomportationem et omnimodam abiectionem habitus Ordinis proveniente, quam alias, cupiens, quantum in se est, super eo de remedio providere opportuno, domino abbati de Claravalle committit, iniungit et praecipit, quatinus tam paterna quam totius Capituli generalis auctoritate ita in officiariorum institutione et aliis ad debitam observantiam conducentibus provideat, ut laudetur Dominus, aedificetur populus et sacri Ordinis nostri augmentum conservet.

29. Rationis aequitas satis expostulat, ut crimina ipsa quae maiori cum deliberatione perpetrata sunt, breviori strepitu concilii et magis de plano puniantur. Hinc est quod praesens generale Capitulum, considerans iniuriae gravitatem, quae in fratrem Ioannem de Maceriis, abbatem de Roseriis, s. th. pr., a nonnullis monachorum suorum eiusdem monasterii a certis mensibus tanta cum malitia, et tam deliberato animo commissa est, volens sibi super hoc, quantum facilius et opportunius potest de remedio providere, committit abbati de Bellavalle, eiusdem monasterii de Roseriis patri visitatori, quotiens et quando opus et requisitus fuerit, ultra et propter iusrisdictionem suam paternam qua etiam in eo uti potest, auctoritatem et plenum posse, advocato secum alio abbate ex vicinis, quem voluerit, districtissimas inquisitiones super praedictae iniuriae commissione, per censuras Ordinis et alias poenas ab his, qui huiusmodi iniuriam fecisse suspicantur, sive etiam suspicabuntur; sive iam fugitivi sint sive non, faciendi et prosequendi contra eos, sive per eiectionem perpetuam ab eodem monasterio de Roseriis, seu alias quomodocumque, pro exigentia demeriti eorum usque ad sententiam diffinitivam inclusive, invocato, si opus est, ad praemissa omnia et ea tangentia brachii saecularis auxilio, consilio et favore, in plenaria Ordinis potestate. Idem generale Capitulum praecipit omnibus Ordinis regularibus personis quatinus in praemissis omnibus et ea con-

cernentibus et tangentibus eidem abbati de Bellavalle humiliter pareant et devote obediant. Datum, *etc.*

IUDICES

30. Domino abbati de Claravalle, assumpto secum domino abbate de Firmitate, cum potestate subdelegandi ubi impeditus fuerit, praesens generale Capitulum committit, quatinus si abbatem et conventum monasterii de Fonteneto a cuiusdam fundationis nobilis viri Hugonis de Veson, et domicellae Annae Butet intentione deviasse, et certis officiis legitimis esse obligatos instrumentis, invenerit, compellant et cogant dictos abbatem et conventum ad reddenda Deo et intentioni fundatorum officii annui debita, in plenaria, etc.

31. Domino abbati de Pontigniaco cum potestate subdelegandi praesens generale Capitulum committit, quatinus si legitimis instrumentorum aut testium documentis invenerit fratrem Carolum de Baissey, abbatem monasterii de Fonteneto, Anselmo Varin aliquibus pecuniarum summis teneri et obligari, compellat eum per omnes iuris et iustitiae vias ad dictas summas eidem Varin integre persolvendum.

32. Ad idem, domino de Morimundo praesens generale Capitulum committit, quatinus si abbatem et conventum monasterii de Monasteriis in Argona monasterio Cistercii aliquibus pecuniarum summis, *etc. ut supra.*

33. Ad idem, praesens generale Capitulum, ad supplicationem Petri Carteron clerici, abbati de Aceyo et omnibus et singulis personis Ordinis mandat citare abbatem de Bullione coram priore de Miratorio, responsurum super proponendis per dictum clericum.

34. Praesens generale Capitulum abbatibus de Bellobecco et de Gardo, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus si abbatem et conventum monasterii de Longovillari fratri Ioanni de Burreyo, s. th. pr., legitimis pensionis annuae decem et septem librarum, decem solidorum turon. instrumentis debite teneri et obligari compererint, compellant in plenaria, etc.

35. Ad supplicationem monasterii de Albis petris petentis censuras ratione debitorum Ordinis contractas remitti, praesens generale Capitulum non intendit eos qui nullam administrationem habent temporalem, illa sententia innodari.

36. Ad supplicationem fratris Ioannis de Tartro, abbatis monasterii de Lococrescenti, petentis litteras commendatitias ad senatum Dolensem in favorem sui processus super dignitate abbatiali eiusdem monasterii de Lococrescenti sibi dari, praesens generale Capitulum annuit eidem petitioni, et litteras favorabiles scribendas notariis committit.

REHABILITATIONES

37. Ad instantiam abbatis de Quinciaco, praesens generale Capitulum rehabilitat, relevat et restituit fratrem Ioannem de Dolo, alias de Calana, ad omnes dignitates, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, non obstante apostasia quodammodo a se incursa pro eo quod habitu suae religionis relicto, septa monasterii sui, videlicet de Quinciaco, illicentiatus exiverat, persoluto postmodum pro voluntate sui abbatis satisfactionis debito, quamobrem omnibus religiosis Ordinis prohibetur, ne deinceps sibi quid contumeliae ex eo improperent aut quoquomodo nocere praesumant. Datum, etc.

* * *

38. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

1523

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli 1523.

Diffinitores : de **Cistercio** s. th. pr., de Prulliaco, de Longovillari, de Vallelucenti, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates ; de Frigidomonte, s. th. pr., loco domini de **Firmitate**, de Maceriis, de Ursicampo, de Altocristo, de Albaripa, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Caroliloco, de Bonoradio, de Strata, de Noa, monasteriorum abbates; de **Claravalle**, de Recluso, s. th. pr., de Rigniaco, de Longovado, de Moroliis, monasteriorum abbates; de Voto, s. th. pr., loco domini **Morimundi**, de Bellavalle

1523. *Fontes* : *A*⁴ : 7 ; *L*⁶ : A) B), 1-53 ; *M* : 10 ; *P*² : 1, 10.

de Charitate, de Monte petroso, de Ré, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Pietate, de Escalariis, de Ioyaco, de Lesines, de Curia Dei, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : dominus de Claravalle, de Bullencuria, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : provisor collegii Parisiensis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Valle clara, de Valle dulci, de Lococrescenti, monasteriorum abbates.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Ripatorio monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Roseriis, s. th. pr., de Septem fontibus, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Miratorio, de Barbello, de Aceyo, de Belloloco, de Cheseriaco, de Curia Dei, de Stamedio, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : fratres Petrus de Divione, Petrus Damant, professi Cistercii.

B) Numerus abbatum praesentis generalis Capituli.

Reverendissimus dominus Cisterciensis, s. th. pr., de Pontigniaco, de Claravalle, de Frigidomonte, s. th. pr., de Voto. s. th. pr., de Prulliaco, de Caroliloco, s. th. pr, de Bonoradio, de Roseriis, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Recluso, s. th. pr., de Maceriis, de Reigniaco, de Ursicampo, de Longovado, de Ripatorio, de Septem fontibus, de Bullencuria, de Monte petroso, de Vallibus Sernay, de Ré, de Pietate, de Escalariis, de Lezines, de Curia Dei, de Ioyaco, de Noa, de Bellavalle, de Charitate, de Vallelucenti, de Monte Sanctae Mariae, de Barbello, de Altocristo, de Moroliis, de Albaripa, de Stamedio, de Cheseriaco, de Miratorio, de Belloloco, de Aceyo, de Lococrescenti, de Strata, de Valle clara, de Valle dulci.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio, die sexta mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ac beatissimo domino nostro Adriano,

---

[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Adriano... *etc* : P^2.

divina providentia Papa VI, necnon pro Rmis in Christo dominis S. R. E. cardinalibus, et maxime pro Rmo domino domino, ... *(sic desin.)*.

DIFFINITIONES GENERALES

2. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster... *etc.* necnon in summa 7854 libr. 16 solid. 5 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni 1523, et pro toto tempore praeterito ... etc.

3. Licet antea saepius inter patres Ordinis fuerit prolocutum et verbis actitatum super eo, ut Ordinis monasteria imponerentur ad solvendas contributiones iuxta facultatum suarum exigentiam, et anno novissime elapso citati sint abbates Ordinis universi ut in praesenti Capitulo comparerent ad concludendum quod super eo melius et rationabilius visum fuisset ; nihilominus quia propter ingruentia guerrarum pericula et nonnulla alia discrimina et impedimenta ex plurimis locis et nationibus, quas adesse attineret, nunc interesse non possunt. Ideo praesens generale Capitulum adhuc praedictam contributionum taxationem usque ad proximum futurum generale Capitulum differt, continuat et protelat. Diffinitionem praeterito anno super eo factam ad citandos et compellendos abbates ad comparendum generali Capitulo confirmando.

Et quoniam interea occurrerunt et occurrunt in dies agenda ardua, imo arduissima et urgentia commune bonum et politiam Ordinis tangentia, quae absque gravi pecuniarum sumptu expediri nequaquam possunt, nec poterunt ; quibus cum ad hoc omnibus deductis et legitime et fideliter computatis non sufficiant consuetae hucusque et regulares Ordinis contributiones ; ideo praesens generale Capitulum volens rei suae publicae occurrere, cuius imminenti ruinae alias omnino succurri non potest, ex nunc censet, decernit et diffinit hoc modo videlicet, quod hoc anno dumtaxat per modum subsidii duplicabuntur, et ex nunc duplicantur praedictae contributiones omnium et singulorum Ordinis monasteriorum virorum seu monachorum.Ceterum et quoad moniales, ex quo sunt membra Ordinis tamquam unius corporis mystici, in quae redundat bonum aut detrimentum totius, dictum praesens generale Capitulum similiter super omnia et singula huiusmodi monialium monasteria duxit imponendum et ex nunc

imponit subsidium, ita tamen per Rmum dominum et ceteros quatuor primos moderandum ut quottae dictorum monasteriorum monialium ad summas usque impositi novissime subsidii non ascendant ; quae quidem et duplae contributiones super monasteria virorum et subsidium ita moderandum super monasteria monialium ab eis recipientur, qui per dictum Rmum et quatuor dictos primos deputabuntur. Quapropter dictum praesens generale Capitulum praecipit omnibus abbatibus,abbatissis, commendatariis, prioribus, priorissis, receptoribus, officiariis et regularibus personis Ordinis universi, quatinus in praedictis omnibus et ea tangentibus prompte et humiliter pareant et obediant, invocato ad hoc, si opus est, brachii saecularis auxilio, consilio et favore, in plenaria Ordinis potestate.

4. Praesens generale Capitulum perpendens verissime generalium Capitulorum frequentiam pro Ordinis sui in utriusque hominis manutenentia maxime semper fuisse necessariam, et ideo patrum et maiorum nostrorum praeceptis plurimum fuisse commendatam, eorumdem patrum vestigia insequendo ex nunc decernit et diffinit, ut qui deinceps ad generalia Capitula iuxta formam in *Benedictina* contentam personaliter non accesserint, aut sese legitime, prout ibidem exprimitur, non excusaverint, per omnia puniantur ea poena quae in ipsa *Benedictina* praefigitur ; et proinde rursus diffinit eos, qui hoc anno ut ad hoc generale Capitulum venirent legitime citati sunt, et non venerunt, nec rationabiliter sese excusaverunt, duplicis contributionis solutione esse plectendos, eos omnes et singulos ex nunc ad eiusmodi duplicis contributionis solutionem condemnando. Cuius quidem solutionis collectionem et praesentis diffinitionis executionem praesens generale Capitulum committit commissariis Ordinis, ut quisque in districtu suae commissionis habeat ad hoc compellendi potestatem, in plenaria, etc.

5. Praesens generale Capitulum intelligens et graviter ferens levitatem seu indiscretam et indeliberatam considerationem quorumdam abbatum et aliorum ab eis commissorum, qui non praevia cognitione generis vacationum monasteriorum seu etiam materiae et formae earumdem, iura devoluta indifferenter conferre praesumant ; ideo ex nunc districte prohibet omnibus dictis patribus abbatibus et ceteris ab eis commissis ne deinceps id facere praesumant, donec et quousque genus ipsum vacationis providen-

di monasterii et cetera praevie cognoscenda cognoscantur, in plenaria, *etc.*

6. Quoniam nonnulli Ordinis abbates, sive etiam aliae Ordinis personae suae salutis immemores et contemptores ecclesiasticae potestatis, licet citati, moniti, excommunicati et declarati, ad solvenda subsidia et contributiones Ordinis ; nihilominus tamen tamquam protervi et contumaces in sua duritia persistunt, et hucusque perstiterunt. Ex quo ergo constat gladium huiusmodi spiritualem non timere, praesens generale Capitulum vult, censet et diffinit ultra praedictas excommunicationis et censurarum poenas inflictas vel comminatas in commissionibus recipiendorum huiusmodi subsidiorum vel contributionum, apponatur etiam et locum habeat et exsequatur contra protervos huiusmodi poena depositionis ab officiis et beneficiis ipsorum, in plenaria, *etc.*

7. In detestationem non dicam doctrinae sed potius haeresis seu reductionis Lutherinae, quae pene per omnis christianitatis angulos diffunditur et serpit, ut Ordo iste omnes haereticae pravitatis hucusque semper immunis etiam in finem usque iugiter perseveret, renovat, approbat et confirmat diffinitionem iam anno novissime praeterito factam contra huiusmodi sectae seu haeresis factores aut sectatores, in plenaria, *etc.*

EXCUSATIONES ABBATUM

8. Attentis legitimis impedimentis allegatis et sufficienter probatis per sequentes nominatos abbates, excusantur a via Capituli generalis praesentis, videlicet de Tribus fontibus, de Brolio Benedicti, de Igniaco, de Longoponte, de Signiaco, de Regalimonte, de Valle regis, de Ellancio.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

9. Praesens generale Capitulum audita abbatis de Igniaco super litigio monasterii de Savigniaco compositione, dolensque eum quem communi labore pluribusque iuverat gratiis tali quali foedere, non sine magno Ordinis periculo cum eiusdem monasterii de Savigniaco commendatario convenisse, praedictum abbatem de Igniaco indulta contributionum et subsidiorum sublevatione privat, et ad eorum refusionem vult compelli, quae pendentis processus intuitu tantum remiserat, eidem, ne quid spiritualis iuris-

dictionis in praedicto monasterio de Savigniaco, necnon in omnibus et singulis regularibus personis et monasteriis a dicto monasterio de Savigniaco dependentibus attentet, eisdemque ne attentet amittant districtius inhibendo, donec proximo generali Capitulo, ad quod eum vult citare et citat conventionis suae vivum et verum tenorem retulerit ; huius autem diffinitionis executionem domino abbati de Claravalle vel eius substituto, idem praesens generale Capitulum committit in plenaria, *etc.*

10. Praesens generale Capitulum communi Ordinis incendio, quo a commendatariis non sine magno continue dispendio lacessitur, succurrendum existimans, latumque [c] in suprema Parisiensis Parlamenti curia adversus commendatarium de Feneriis arrestum dicti Ordinis nostri libertati, eorumdemque commendatariorum expugnationi conducere perpendens [d], ne sumptuum penuria dicti arresti executionem obrui, et sic in dies acrius pestiferum commendarum virus serpere contingat, expensis Ordinis a dicto monasterio de Feneriis refundendis postea, praementionatum arrestum executioni mandari decernit, in plenaria, *etc.* [e].

11. Ad idem, de monasterio et commendatario de Petris.

12. Praesens generale Capitulum continuis commendatariae persecutionis querelis saepius implicitum et eorum praesertim ductu Ordinis monachorum, quorum opera commendatariorum vires sensim lambunt et subrepunt, attenta etiam cuiusdam monachi de Castellariis iuris sui in favorem commendatarii ingrata cessione, quod a Rmo D. Cisterciensi ad monasterii de Valentia et Ordinis tuenda privilegia acceperat, volens publicae Ordinis et particulari monasterii de Valentia succurrere afflictioni, et de remedio providere opportuno, abbatibus de Castellariis et de Moroliis iniungit et praecipit, quatinus dictum monachum ad proximum generale Capitulum super iuramento Rmo D. Cisterciensi facto responsurum, citent, implorato etiam ad hoc, si opus fuerit, et eum non venturum constiterit, ad supradicta et quaelibet alia huiusmodi negotium tangentia, brachii saecularis auxilio, in plenaria, *etc.*

13. Praesens generale Capitulum audaciae fratris Humberti Cordienne iurisdictionem spiritualem in monasterio de Caroloco, virtute vicariatus fratris Caroli de Bassey eiusdem monasterii

---

[c] datumque : *MP²*. [d] perpendens : *deest MP²*. [e] *P² addit* : Sic signatum : de Maceriis abbas de Roseriis, de Sommeryse abbas de Septemfontibus.

commendatarii, contra Ordinis privilegia et diffinitionem in ultimo generali Capitulo factam attentantis obviare volens, abbatibus de Belloloco et Valle dulci iniungit, praecipit et committit, quatinus facta diligenti inquisitione praedictum fratrem Humbertum secundum quod iuris erit et rationis, puniant, et occurrente materia ad proximum generale Capitulum citent ; omnibus et singulis regularibus Ordinis personis districtius inhibendo, ne virtute dicti vicariatus a dicto commendatario emanantis in quocumque obediant, sed in sancta Ordinis et religionis nostrae observantia inviolabiliter perseverent, in plenaria, *etc.*

14. Praesens generale Capitulum abbati monasterii de Altocristo in favorem communitatis Friburgensis, medietatem subsidii novissime impositi relaxat.

15. Praesens generale Capitulum impugnatis commendataria irruptione monasteriis de remedio volens providere opportuno, procuratorem generalem Ordinis Dolae creat et instituit, qui nomine Ordinis adversus commendatarium monasterium de Lococrescenti occupantem ius fratris Petri de Tartro, eiusdem monasterii electi abbatis, defendat et procedat secundum quod iuris erit et rationis.

16. Intuitu et contemplatione processus, quem gravi labore et expensis electus de Bonavalle Pictaviensi contra protonotarium de Caduino deduxit in reipublicae Ordinis non modicum adiumentum, praesens generale Capitulum hoc anno dumtaxat a subsidii novissime impositi et contributionibus hoc anno debitis seu debendis plenarie absolvit.

17. Audito processu et supplicatione abbatis de Camberone contra monachos in dicta supplicatione nominatos, conspiratores in abbatem suum, abbatem de Bodelo, praesens generale Capitulum admodum gratam habet prosecutionem contra eosdem conspiratores per dictum abbatem de Camberone, dicti monasterii de Bodelo patrem abbatem, factam, laudatque dicti patris abbatis zelum Ordinis et diligentiam adhibitam. Verum quia non sufficienter constitit nec constat per litteras legitime subsignatas de processu praedicto neque de sententia contra eosdem conspiratores lata, nihil pro nunc aliud duxit dictum praesens generale Capitulum circa eumdem processum et sententiam agendum, quam destinare aliquos Ordinis patres, dicti monasterii de Bodelo vicinos ad visitandum dictum processum dictamque sententiam, et cetera quae hoc concernunt. Quapropter committit dictum prae-

sens generale Capitulum abbatibus de Dunis, de Alna et de Laude, et cuilibet eorum, ut inquisitione facta super dicto processu et sententiis per dictum patrem abbatem de Camberone factis, approbent et confirment seu per omnia disponant, quae confirmanda, approbanda vel reprobanda vel disponenda invenerint, in plenaria Ordinis potestate, cum potestate rehabilitandi eos pro quibus in dicta supplicatione fit mentio, supposita correctione et emenda debita, etiam in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

18. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Symonis Postel, s. th. pr., ad abbatialem dignitatem monasterii de Caroliloco, Ordinis nostri Cisterciensis in Silvanectensi dioecesi, rite et canonice per monachos eiusdem monasterii, praesidente in ea abbate de Regalimonte tamquam commissario domini abbatis de Pontigniaco, patris abbatis, factam et celebratam, prout in decreto, *etc.* approbat, supplendo, *etc.*

19. Ad idem, de electione fratris Francisci Chenillon ad abbatialem dignitatem monasterii de Castellariis, ... in insula de Ré.

20. Ad idem, de electione fratris Guillelmi Bernard ad abbatialem dignitatem monasterii de Escallariis.

21. Ad idem, de electione fratris Richardi Martin ad abbatialem dignitatem monastarii de Strata.

22. Ad idem, de electione fratris Michaelis Briemione ad abbatialem dignitatem monasterii de Fonte Ioannis.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

23. Nos, frater Guillermus, etc. Abbatibus de Voto, s. th. pr. et de Bellobecco, et cuilibet eorum, praesens generale Capitulum committit, quatinus ipsis debite informatis super contractu inito et passato inter abbates et conventus monasterii de Noa et de Strata ex una, et nobilem virum dominum Franciscum de Candele partibus ex altera, super venditione et cessione iurium in terris de Laborye et aliis ex testamentaria donatione dominae Ioannae de Florigny illis provenientibus emolumentis, prout plenius ex litteris super eodem contractu factis, cui praesentes annectuntur, continetur; si praedictum contractum viderint esse prae-

dicto monasterio utilem et commodum confirment aut infirment, in plenaria, etc. Datum, etc.

24. Ad idem, abbati de Roseriis, s. th. pr., et abbati de Aceyo committitur, quatinus super quibusdam contractibus, uno videlicet inter abbatem et conventum monasterii de Bellavalle ex una, et dominum mareschallum comitatus Burgundiae, de quodam redditu decem librorum; altero vero inter abbatem et conventum monasterii de Charitate et eumdem mareschallum de quodam redditu bladi super molendino de Mernay, ad investigandum, confirmandum vel infirmandum, et cuilibet eorum.

25. Abbatibus de Callovio, de Rupibus et de Escallariis committitur quatinus tractatus inter abbatem monasterii de Fonte Ioannis, Senonensis dioecesis, ex una, et dominum de Buduron costurarium ex altera, initum et passatum, confirment aut infirment secundum quod iuris invenerint esse et rationis.

26. Abbatibus de Regniaco et de Vallelucenti committitur quatinus plures contractus inter dominum abbatem de Pontigniaco et conventum ex una, et plures alias particulares personas ex altera, super quibusdam arpentis terrae, initos et passatos confirment aut infirment.

27. Abbatibus de Voto et de Noa, et cuilibet eorum insolidum, committitur quatinus contractum inter abbatissam de Fonte Gerardi et Ludovicum de Boncerolles dominum de Henequeville, initum et passatum, confirment aut infirment.

28. Domino abbati de Claravalle et abbati de Bullencuria committitur quatinus contractus inter abbatem et conventum monasterii de Ripatorio, et Laurentium Guillier et Guillelmum Venel, et haeredes Ioannis Venel, Ioannem le Beaunat, Egidium Henry, Victorem Moniot, haeredes Ioannis le Noir, Ioannem Perot, viduam et haeredes Ioannis Fouchier, viduam et haeredes Colini Faigeot, initos et passatos, confirment vel infirment, diligenti inquisitione praevia.

29. Dominis abbatibus de Pontigniaco et de Claravalle et abbati de Rigniaco, et cuilibet eorum committitur, quatinus contractum inter abbatem de Lezinis et Desiderium Le Moine, confirment vel infirment.

30. Abbati de Caroliloco, s. th. pr., et abbati de Frigidomonte et de Longoponte committitur, quatinus contractum inter abbatem et conventum monasterii de Ursicampo, et Ioannem Pizot

super conductione cuiusdam firmae ad vitam, initum et passatum, diligenti inquisitione praevia, confirment aut infirment.

31. Cum bonae memoriae dominus Oliverius de la Vernade et domina Margareta Dubois quamdam fundationem unius missae quotidianae et redditus ad eam sufficientes monasterio de Ursicampo legaverint, abbatibus de Frigidomonte et de Caroliloco, s. th. pr., et abbati de Longoponte committitur quatinus solerti indagatione praevia confirment vel infirment, secundum quod iuris erit et rationis.

32. Abbatibus de Moroliis, de Trisayo et de Charone, et eorum cuilibet committitur quatinus contractum inter abbatem et conventum monasterii de Brolio Grolandi ex una, et Nicolaum et Renatum Raoulleaux, super datione quarumdam terrarum sub annuo censu perpetuo, inquisitione praevia, confirment aut infirment.

33. Domino abbati de Pontigniaco et abbatibus de Reigniaco et de Rupibus, et cuilibet eorum committitur, quatinus tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Bonoradio, et Martinum Arnault et Nicolaum Pere, initum et passatum, inquisitione praevia, confirment aut infirment.

34. Audita abbatis de Voto, s. th. pr., ad hoc commissi relatione, tractatum inter abbatem et conventum de Mortuomari et Guillelmum Maignard, initum et passatum, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

REHABILITATIONES

35. Ad instantiam abbatis de Maceriis supplicantis pro quodam fratre nomine Ioanne Defer, monacho suo, qui suadente diabolo quadam vice absque licentia a suo egressus est monasterio, demum post aliquos dies ad cor rediens reversus est punitus et emendatus. Quapropter idem generale Capitulum de eiusdem fratris perseverentia in Domino confidens, ipsum eumdem fratrem Ioannem Defer rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, etiam dignitate abbatiali inclusa, in plenaria, *etc.*

36. Ad idem, de fratre Ioanne de Guyse, monasterii de Longoponte professo, qui a monasterio egressus mulierem suspectam in monasterio biduo reservavit.

37. Ad idem, de fratre Vincentio de Abbatisvilla monasterii

Caroliloci professo, qui monasterium sine licentia egressus est et biennio apostatavit.

38. Ad idem, de fratre Rogero de Maricourt, qui monasterium egressus est, contagio carnis inde secuto.

39. Ad idem, de fratre Thoma de Lespine, qui sine licentia egressus monasterium, decima quinta die rediit ad illud.

40. Ad idem, de fratre Petro Baronet pro contagio carnis perpetrato, cum monasterii de Moroliis monachus et professus esset.

41. Ad idem, de fratre Guillelmo Rauleault, monasterii de Moroliis professo, qui sine licentia monasterio quinquennio abfuit, et excommunicationis sententia innodatus celebravit.

42. Ad idem, de fratre Ioanne Ridereaul, monasterii de Moroliis professo, qui cucullam furatus est, et excommunicatus communicavit.

IUDICES

43. Domino abbati de Claravalle et abbati de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus si per cedulas seu alia fide digna testimonia, invenerint aliqua Ordinis monasteria seu personas in aliqua pecuniarum summa obligari monasterio de Cistercio, seu Rmo D. N. Cisterciensi, compellant huiusmodi debitores per omnes iuris et iustitiae vias ad eidem monasterio et Rmo ex integro satisfaciendum et solvendum, in plenaria Ordinis potestate.

44. Abbatibus de Bonoportu et de Noa, et cuilibet eorum, praesens generale Capitulum committit quatinus, si fide dignis testimoniis aut instrumentis compererint monasterium monialium de Fonte Gerardi teneri seu obligari abbati de Voto, et maxime propter expensas factas in processu reformationis monasterii eiusdem de Fonte Gerardi, procurent per omnes iuris et iustitiae vias debita ipsa quae invenerint, eidem abbati de Voto refundi et persolvi. Interea autem idem generale Capitulum deobligat ipsum abbatem a triginta libris ex resta suarum computationum novissime redditarum de contributionibus ab eo receptis, donec et quousque dictas expensas dictae reformationis acceperit, quam restam triginta librarum tunc refundere tenebitur Ordini et de eis computum reddere Ordini.

COMMISSIONES

45. Praesens generale Capitulum sanctae religionis aedificium

in orthodoxae fidei fundamento perpendens esse stabilitum, timensque Lutherinarum haeresum impuritatem, quae modo in fidei muros velut sequaces haederae apertae subrepunt, intacti Ordinis nostri Cisterciensis integritatem comminui, abbati de Veteri cella collegii nostri Lipzensis patri abbati, in quinquennium committit, quatinus vocatis secum abbatibus de Porta, de Lenin, de Dobrilugh, de Buch, de Nova cella, aut duobus eorum, ea quae dicto collegio Lipzensi pro temporum qualitate fidei et religionis nostrae necessitate conducere cognoverit, disponat, ordinet et corrigat, in plenaria Ordinis potestate.

SUFFRAGIA

46. Frater Guillelmus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, strenuissimo domino, domino Anthonio de Crequi, equiti aurato et eius inclitissimae consorti ... Quamquam divinae legis testimonio ... *etc. ut in forma consueta,* ad instantiam abbatis de Longovillari, s. th. pr., vobis omnium bonorum spiritualium ... concedimus participationem et associationem ... *etc.* Datum in diffinitorio nostro Cistercii sub appensione sigilli Diffinitorum eiusdem Capituli generalis, die sexta mensis maii, anno Domini 1523.

47. Ad idem, pro generoso milite domino Oddardo du Biedz et eius nobili consorte, ad instantiam abbatis de Longovillari, s. th. pr.

48. Ad idem, pro magistro Prudentio de Recourt, ecclesiae Lingonensis thesaurario, ad instantiam domini abbatis de Claravalle.

49. Ad idem, pro nobili viro Ioanni Marez et Maria Mervault eius consorte, ad instantiam abbatis de Ré.

50. Ad idem, pro magistro Andrea Tiraqueau, ad instantiam abbatis de Moroliis.

51. Ad idem, pro reverendo patre domino episcopo Silvanectensi, ad instantiam abbatis de Caroliloco.

52. Ad idem, pro Anthonio Sire, clerico, et domina Margareta de Tenay, ad instantiam abbatis de Septem fontibus.

* * *

53. Quia propter agendorum multiplicitatem .... *etc. ut in vnno* 1506, nº 30.

1524

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli, anni Domini 1524 die 25 aprilis, apud Cistercium celebrati.

Diffinitores de **Cistercio**, s. th. pr., ... *(locuus vacuus)*; de Roseriis, s. th. pr., loco domini de **Firmitate** ... *(locus vacuus)*; de Caroliloco, s. th. pr., loco domini de **Pontigniaco** ... *(locus vacuus)*; de **Claravalle** ... *(locus vacuus)*; de **Morimundo** ... *(locus vacuus)*.

Confessores: de Charmeya, de Hoya, monasteriorum abbates et prior Cistercii.

Magistri caeremoniarum : de Claravalle, de Caroliloco, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

Promotor causarum : Provisor collegii S. Bernardi Parisiensis.

Receptores excusationum : ... *(locus vacuus)*.

Portarius diffinitorii : de Ripatorio monasterii abbas.

Notarii abbates : de Monte petroso, de Septem fontibus, monasteriorum abbates.

Auditores computationum : de Miratorio, de Aceyo, de Escalariis, de Valle dulci, monasteriorum abbates, et quod Rmus voluerit deputare.

Notarii ad pedes : fratres Ioannes de Chalone, Philibertus de Divione, Cistercii professi.

* * *

B) Numerus abbatum praesentis Capituli generalis. — Reverendissimus dominus noster Cisterciensis, de Claravalle, de Morimundo, de Caroliloco, de Roseriis, de Caroloco, de Igniaco, de Rigniaco, de Longovado de Bonoradio, de Bellavalle, de Miratorio, de Monte Sanctae Mariae, de Regalimonte, de Barbello, de Ioyaco, de Monte petroso, de Longoponte, de Belloprato Belvacensi, de Lanneyo, de Ripatorio, de Septem fontibus, de Aceyo, de Bona aqua Lemovicensi, de Valle lucida, alias de Bocheto, de Bullen-

1524. *Fontes* : A^4 : 13, 15 ; L^6 : A), B), 1-47 ; *M* : 8, 10, 11 ; P^2 : 1, 8, 10, 11, 14, 19, 48.

uria, de Escallariis, de Belloloco, de Hoya, de Valle dulci, de Charmeya. — Praedictus numerus est XXXII.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vicesimo quarto, et die vicesima quinta mensis aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ac beatissimo domino nostro Clemente VII, ... etc.

2. Praeterea pro serenissimo ... etc.

3. Insuper pro burgensibus ... etc.

4. Ceterum pro pace ... etc.

5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 7854 libr. 7 solid. 5 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni ... etc.

7. Communis Ordinis nostri Cisterciensis unitas expostulat, ut illic procuratorem, publicorumque negotiorum actorem sollicitum habeamus, unde privilegiorum, quibus Ordo floret et invalescit, dotem accepimus ; eapropter cum apud Sanctam Sedem romanam indultorum nostrorum matrem et alumnam, a qua velut uberrimo fonte privilegiorum nostrorum rivi effluxerunt, procuratore opus sit, cuius diligentia indulta servemus, curemus praesentia et futura speremus ; praesens generale Capitulum abbatem Sancti Sebastiani extra muros Urbis procuratorem Ordinis, de cuius bonis moribus et litteris confidit, creat et instituit, in plenaria Ordinis potestate.

8. Quum omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita, et omnium bonorum operum inde prodeant [c] incrementa, unde virtutum acceperunt semina, habeatque his ducibus sanctae re-

---

[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Clemente 7... *etc* : P^2. [c] procedant : MP^2.

ligionis professis dirigi, quibus auctoribus institutionis suae primae insignia novit oriri ; praesens generale Capitulum superbam commendatarii de Savigniaco anno novissime lapso rebellionem, visitante Rmo D. abbate Cistercii, aegre ferens et repositam indulto apostolico, primaeveque Ordinis plantatione in eo plenariam Capituli generalis, ipso non sedente, potestatem, non sine unitatis nostrae dispendio neglectam iri non sufferens, visitationi per eum in monasteriis de Savigniaco, de Fulcardimonte de Mortuomari [d], et aliis factae, habet pro laboribus, et singulari in Ordinem [e] studio, gratias, conformiter ad preces domini abbatis de Claravalle, dicti monasterii de Savigniaco patris abbatis immediati, eum obnixe rogando, ut quam sancte, pieque in levandis praedictorum monasteriorum aliorumque spiritualibus temporalibusque ruinis navavit operam viriliter et bene cepit, communi Ordinis impensa prosequatur et perficiat, eumque plenaria Capituli generalis, ipso non sedente, fungi potestate declarat, visitationes per eum in cunctis aliis Ordinis monasteriis similiter factas et fiendas ratas habet, confirmat et approbat, in plenaria Ordinis potestate.

9. Quoniam ex abbatum ad generale Capitulum conventu, maiorum vestigiis inhaerendo, nostrae religionis hactenus semper mansit illibata integritas, ubi sanctis patrum institutis et virtutibus aperitur et vitiis via clauditur ; conformiter ad diffinitionem anno novissime lapso factam praesens generale Capitulum abbates qui praesenti Capitulo non interfuerunt, aut se legitime non excusarunt, poenas in *Benedictina* contentas incurrisse declarat, in plenaria, etc.

10. Praesens generale Capitulum aegre ferens quorumdam Ordinis monachorum insolentiam, qui suae vocationis obliti, non modo saecularia negotia, verum ad artes penitus mechanicas se convertunt, artem medicinae et alias artes indebitas, quae clericis penitus interdicta est, publice exercendo, in religionis nostrae grave scandalum et animarum [f] suarum evidens periculum ; ideo statuit, ordinat et diffinit, et nihilominus in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena, talibus districte praecipit et iniungit, ne artem medicinalem quovismodo

---

[d] Mortam : L^1P^2 ; *an leg. Mortain, ubi sita erat abbatia monial. cist.* Albae Dominae ? [e] eodem : *M.* [f] et animarum... periculum : *deest* MP^2. *cf. supra n*° 8.

habeant exercere, omnibus Ordinis abbatibus iniungendo, ut suos religiosos a talibus abstinere compellant, in plenaria, *etc.*

11. Praesens generale Capitulum considerans periculum aeternae ultionis, quod imminet multis nostrae religionis monachis, qui ex dispensatione Sedis Apostolicae beneficia regularia vel saecularia, unum vel plura in titulum vel commendam obtinent, et de fructibus dictorum beneficiorum propriis abbatibus nullum inventarium seu recognitionem faciunt, existimantes se praetextu suarum dispensationum a vitio proprietatis absolutos, ordinat et diffinit, ut huiusmodi monachi inventaria totius peculii sui semel in anno tradant, et fideliter propriis abbatibus demonstrent, qui abbates de huiusmodi peculio plenariam habebunt dispositionem, in plenaria, *etc.*

12. Praesens generale Capitulum satisfacere desiderans abbatibus Ordinis, qui dicunt se in taxa contributionum fore gravatos, mandat et districte praecipit omnibus et singulis Ordinis commissariis, ut quilibet eorum respective citet seu citari faciat omnes et singulos abbates in sua commissione contentos, ad futurum proximum generale Capitulum visuros et audituros praedictarum contributionum taxas redigi ad verum valorem monasteriorum suorum, renovando et confirmando diffinitionem super hoc factam, in plenaria, *etc.*

13. Praesens generale Capitulum ad reformationem morum praecipue congregatum, aegre ferens dissolutiones et excessus famulorum abbatum ad generale Capitulum convenientium, qui temporibus praeteritis inoleverunt, praecavensque ne iterum oriri incipiant, diffinitionem dudum factam super talibus excessibus approbat, innovat, confirmat et ratificat, adiiciens eam publicari debere per abbatem de Caroliloco, et provisorem collegii S. Bernardi ; et ne quis legitimam ignorantiae occasionem praetendere valeat, praedictam diffinitionem in idioma vulgare transferri et praecipuis Cistercii foribus durante generali Capitulo affigi iubet, in plenaria, *etc.*

14. Ex eo tempore, quo commendarum plaga in religione percrebuit, et manum misit ad desiderabilia eius, experientia deocente, compertum est, commendatarios ipsos ad monasteria ipsa anhelare propter adipem commoditatis temporalis ; nunc autem his temporibus, ut mores cum substantia nostra dissipentur, etiam iurisdictionem spiritualem occupare satagunt ; quorum temeritati praesens generale Capitulum obviare cupiens, omnibus Ordinis

nostri regularibus personis, sub excommunicationis latae sententiae poena districte praecipit, ne ipsis commendatariis in aliquo actu spiritualis iurisdictionis obediant, donec ipsi Capitulo generali de eorum provisionibus constiterit, per quas talis iurisdictio esset eis attributa, in plenaria, *etc.*

15. Praesens generale Capitulum provide considerans scandala et pericula, quae ex familiaritate et frequentatione nimia saecularium cum monialibus Ordinis oriri possunt, statuit et diffinit confirmando diffinitiones super hoc factas, ut patres abbates et commissarii ipsorum, quantum commode fieri poterit, in eorum monasteriis instituant confessores, capellanos, procuratores et alios officiarios Ordinis nostri professos, quorum virtute salubriter dirigantur ; de quorum vita et moribus rationem reddere possunt, in plenaria, etc.

DIFFINITIONES SPECIALES

16. Licet Ordo noster, solita benignitate, consueverit operari bonum ad omnes ; ad illos tamen oculos suae dilectionis potissimum dirigit, et dexteram suae liberalitatis extendit, qui de republica nostrae religionis bene meruerunt, inter quos nostrae mentis oculis se offerunt bonae memoriae rectores solemnis monasterii de Caroliloco, praesertim venerabilis ille pater ultimo defunctus, quem Deus absolvat, qui collegium S. Bernardi Parisiis, non minimam partem corporis nostri mystici, et meritorum viribus, et piae subventionis auxilio plurimum adauxit. Cui divina Providentia talem constituit successorem, de quo maxima spes habetur, qui non modo abundantius paternarum traditionum aemulator existet, imo etiam aemulabitur charismata meliora, a quo collegium ipsum et personae maiora suscipient incrementa. Quam rem praesens generale Capitulum provide considerans, supplicatione eius duxit admittendam, domum in ipso collegio constitutam, quae vulgariter domus Caroliloci nuncupatur ei et successoribus regularibus, habitum nostrae religionis actu deferentibus, in perpetuum concedendo sub qualitatibus et modificationibus, quae sequuntur : in primis praedictus de Caroliloco centum libras sibi per dictum collegium debitas in festo beati Ioannis proxime venturo remittet, etiam viginti quinque libras annui redditus de summa quinquaginta librarum sibi et monasterio suo singulis annis debitarum per dictum collegium, et quandocum-

que persolventur ei centum librae turon. tenebitur defalcare quinque libras turon. annui redditus de summa viginti quinque libr. quae ei et monasterio suo restant super dictum collegium, et sic usque ad finem praedicti annui redditus, ita quod si uno contextu persolverentur ei quingentae librae, collegium penitus esset liberatum, quittum et immune a solutione praedictarum viginti quinque librarum. Tenebuntur etiam familiares eius et hi qui in eadem domo manebunt vivere secundum statuta collegii ; non poterit etiam haberi in eamdem domum ingressus vel egressus, nisi per maiorem portam ipsius collegii. Non poterit praeterea praedictus de Caroliloco aut suum monasterium alienare quovismodo in toto vel in parte praedictam domum, sine licentia Capituli generalis petita et obtenta. Quod si contigerit praedictum monasterium commendari, quod Deus avertat, alicui personae non regulari, seu regulari habitum Ordinis Cisterciensis non deferenti, durante huiusmodi commenda, omnimoda dispositio seu possessio praedictae domus apud praedictum collegium remanebit, quousque praedictum monasterium ad manus alicuius regularis personae Ordinis Cisterciensis devenerit ; durante tamen commenda, de qua prolocutum est, ad cooperturam et omnem reparationem praedictae domus tenebitur. Quae omnia meliori consilio quo fieri poterit in scriptura authentica redigentur, ad quae consentiet conventus praedicti monasterii de Caroliloco, prout ipse abbas de Caroliloco consensit, et sui conventus consensus adhiberi promisit, in plenaria, *etc.*

17. Aequitati congruit, ut membra corporis mystici mutuis obsequiis sibi invicem subveniant, sicut in membris physici corporis experimur, quo fit, ut nostrae infirmitatis suffragia illis affectione liberali concedimus, qui sibi per nos apud Deum subveniri provida sollicitudine deprecantur. Proinde praesens generale Capitulum diffinitionem dudum factam super societate et participatione suffragiorum Ordinis fratribus Melunigdinensibus exhibitam, confirmat, innovat et ratificat, in plenaria, etc.

18. Praesens generale Capitulum audita contumacia commendatarii de Fontemorum in Bituricensi dioecesi, qui sententiam excommunicationis, aggravationis et reaggravationis contra eum per commissarios Ordinis promulgatam, per triennium sustinuit, monasteriumque sibi commendatum in evidentem ruinam prolabi non erubescit ; tales et tantos abusus ferre non valens declarat et diffinit praedictum commendatarium citari ad proximum

futurum generale Capitulum, promotori causarum responsurum, necnon, si opus fuerit, sententiam privationis ab eodem monasterio auditurum, cum intimatione sive comparuerit sive non, nihilominus contra eum procedetur, prout iuris fuerit et rationis, in plenaria, *etc.*

19. Cum in concessione facta abbati de Caroliloco de domo sita in collegio S. Bernardi, quae vulgariter domus Caroliloci nuncupatur, inter ceteras praefatae concessionis modificationes, dictum sit, quod si forsan contingeret praedictum monasterium commendari alicui saeculari personae vel regulari alterius Ordinis, omnimoda dispositio seu possessio praedictae domus penes ipsum collegium remanebit, quousque praedictum monasterium ad manus alicuius regularis personae Ordinis Cisterciensis revertatur. Ibidem Rmus D N. Cisterciensis et dominus de Claravalle, de domibus monasteriorum suorum quae sunt in collegio, professi sunt et protestati taliter quod si contingeret monasteria eorum, ut praedictum est, quod absit, commendari, omnimoda dispositio seu possessio praedictarum domorum apud collegium simili modo remanebit sub onere coopertura et omnium reparationum praedictae domus ; donec praedicta monasteria ad manus regularis personae Ordinis Cisterciensis devenerint ; quas quidem protestationes praesens generale Capitulum admittit, confirmat et diffinit, in plenaria, *etc.*

20. Ad querimoniam promotoris causarum super facto monasterii de Escureyo, cuius monasterii abbas Vallium in Ornesio pater immediatus recipit per se aut suum religiosum, ad hoc expresse commissum, omnia bona temporalia sub umbra litis motae inter fratrem Claudium de Niceyo, abbatem Cariloci et fratrem Robertum de Vaudremont, praesens generale Capitulum committit domino Morimundi et abbati de Crista, ut super hoc diligenti inquisitione facta, reponant monasterium in statu in quo erat, antequam ipse, per se aut suum commissarium, administrationi temporalium praedicti monasterii se immisceret, declarando ipsum abbatem Vallium in hoc abusive processisse, cum talis iurisdictio ad ipsum aut ceteros patres abbates quoscumque non pertineat, prout idem generale Capitulum diffinit et declarat, in plenaria, *etc.*

21. Religionis nostrae sinceritas a prima plantationis suae origine in praecipuae uniformitatis soliditate fundata, quasi vitis fructificavit suavitatem odoris, et palmites suos per totam orbis latitudinem extendit, quamdiu a suae originis primordiis non

deviavit, unde religionis patres, quibus tamquam firmis basibus usque ad haec nostra tempora Ordo noster extitit sustentatus, imperium his artibus quibus initio partium est facile retineri oculatissime perpendentes uniformitatem ipsam omni studio servare curaverunt ; proinde praesens generale Capitulum moleste ferens unitatis scissuram, quam inimicus homo in agro nostrae religionis seminavit, praesertim in Hispaniis, prout eidem generali Capitulo et patentibus litteris, et vivae vocis oraculo extitit insinuatum per oratores et nuntios, ad hoc expresse destinatos, ex vana quorumdam adinventione, qui se triennales iactant, qui Ordinis unitatem disrumpere molientes a nostrae religionis obedientia se subtrahere gloriantur, quibus eo plus non modo compatiendum imo et resistendum est, quo firmiter credimus palmitem non posse fructum afferre nisi manserit in vite. Hinc est, ut praesens generale Capitulum, longa et matura deliberatione habita, quibus mediis talibus celeriter possit obviari, et pensata temporum qualitate, principum favoribus et aliis in hac re considerandis, pro remedio opportuno diffinit et statuit, ut articuli iam dudum super hoc confecti mittantur ad generalem procuratorem Ordinis in Curia, abbatem Sancti Sebastiani extra Urbem, ad huiusmodi procuratoris officium de novo creatum, qui factum insinuabit reverendissimo domino protectori nostro, et eum quam diligenter poterit super hoc negotio sollicitare curabit, dehinc procuratorem dictorum triennalium conveniet et sciscitabitur, an velint servare pacta inter ipsos et Ordinem nostrum aliquando concordata et inita. Quae quidem pacta Ordo ipse paratissimus est inviolabiliter custodire, iniungit insuper idem generale Capitulum praedicto generali procuratori nostro, ut omni sollicitudine, et quam citius poterit, habeat renuntiare Rmo D. N. Cisterciensi quidquid super hoc deliberatum responsum seu factum extiterit, ut super hoc totius negotii firma deliberatio fundetur.

22. Praesens generale Capitulum aegre ferens iniuriam Rmo D. N., imo verius religioni nostrae illatam per commendatarium de Savigniaco, eidem cupiens totis viribus resistere, abbati de Voto committit ut per omnes iuris et iustitiae vias in omnibus querelis contra Ordinem per eum motis et movendis diligenter et viriliter resistat impensis Ordinis, processus et lites prosequendo, in plenaria, *etc.*

23. Praesens generale Capitulum viso processu verbali facto per abbatem Caroliloci in monasterio de Gardo, cui praesentes

annectuntur, omnia per eum acta approbat, ratificat et confirmat ; et pro tantis laboribus per eum assumptis in hoc sancto opere, gratias agit, ipsumque in visceribus charitatis hortatur, et nihilominus eidem districte praecipit ut opus coeptum impensa Ordinis viriliter ad finem usque prosequatur. Quantum autem ad fratres Iacobum Desjardins et Adrianum Etillie per dictum abbatem Caroliloci citatos ad praesens generale Capitulum pro certis causis, continuat assignationem ad proximum generale Capitulum, in plenaria, *etc.*

24. Religionem Cisterciensem a primae fundationis suae exordio indefesso maiorum labore cultam et sanctae conversationis purpura splendide vestitam, inquies sollicitae diligentiae perseverantia hactenus exornavit, quam si dissuetudinis rubigine faedari contingat, oppressa mundanae tempestatis fluctibus religio submergetur, et pullulantibus vitiorum spinis piae devotionis lilia suffocabuntur. Quapropter generale Capitulum, sanctis praecipue moribus inserendis congregatum, fervido domini abbatis de Claravalle zelo, quo monasterium monialium Sancti Desiderii in capite et in membris sancte, devote, canonice et laboriose reformavit, plurimas habens gratias, facta per eum rata habet, confirmat et approbat, expensasque in dicti monasterii visitatione factas ab eodem monasterio repeti vult et ordinat ei et abbati de Caroliloco, s. th. pr., et cuilibet eorum in solidum committendo, quatinus revocatis monialium ne ad vomitum redeant animis circa bene coeptae sanctae reformationis primordia invigilent et ad benevivendi perseverantiam compellendo sollicitae visitationis reformationisque opera exerceant, in plenaria, etc.

25. Cum benemeritis regularibus Ordinis personis sponte cedentibus, et dum adhuc in humanis degunt futuris monasteriorum suorum periculis consulentibus indulto apostolico, et pia Ordinis indulgentia pensio congrua consueverit assignari, ne despectam neglectamque in senio successorum forsan socordia post pios labores vitam eos ducere contingat, praesens generale Capitulum pensionem prout in litteris super hoc confectis, plenius constat, per abbatem Caroliloci, s. th. pr., Rmi D. abbatis Cistercii commissarium, sorori Alissae de Vilaribus assignatam, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

26. Praesens generale Capitulum ad querimoniam promotoris causarum contra abbatem de Oliveto, qui in denigrationem honoris totius Ordinis protulit verba convitiosa, contumeliosa et

conspirationi proxima, propter quam conspirationem, si de ea convictus fuerit, merito venit deponendus, reverenter committit Rmo D. N. Cisterciensi, et ab eo deputandis, ut super hoc exactissimam sumptibus Ordinis faciat inquisitionem, et alias contra eum procedat, prout iuris fuerit et rationis, usque ad sententiam diffinitivam inclusive, in plenaria, *etc.*

ELECTIONIS CONFIRMATIO

27. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Iacobi du Chesnel ad abbatialem dignitatem monasterii de Charmeya, Ordinis nostri Cisterciensis, in Catalaunensi dioecesi, rite et canonice factam per monachos eiusdem monasterii, praesidente in ea abbate de Valleclara, dicti monasterii patre abbate, prout in decreto, *etc.* approbat, *etc*, supplendo, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

28. Sanctae religionis charitas nos admonet, ut quos piae affectionis zelo in Deum Ordinemque nostrum ferri conspicimus, reciproci affectus benevolentia prosequamur. Quapropter praesens generale Capitulum venerabilis et circumspecti viri magistri Nicolai Le Royer, in Ordinem et collegium nostrum S. Bernardi Parisiis, singulasque dicti Ordinis nostri personas benemerita recognoscens, tractatum inter eum et dictum S. Bernardi collegium, super quibusdam thesiis terrae in horto dicti collegii constitutis,initum et passatum, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, quem dicto collegio comperit esse utilem et commodum, ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

29. Abbati de Roseriis, s. th. pr., alio cum abbate secum assumpto, praesens generale Capitulum committit quatinus super contractu inter abbatem et conventum monasterii de Bullione ex una, et Petrum Gremillard, tam suo quam haeredum nomine ex altera partibus, super quodam tenemento dicto Despinay cum suis dependentiis, inito et passato prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, si praedictum contractum dicto monasterio utilem et commodum, diligenti inquisitione praevia, invenerint confirment aut infirment, in plenaria, *etc.*

30. Abbati de Veterimonte praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam tractatu inter priorem de Monte

Walburgis ex una, et Vincentium Heselet ex altera partibus, super quadam locatione perpetua grangiae dictae Tzeldeyn, inito et passato, si praedictum tractatum, *etc. ut supra.*

31. Ad idem, abbati de Roseriis, s. th. pr., et abbati de Charitate super contractu inter abbatem et conventum de Bullione ex una, et Ioannem Dague de Bureyo ex altera partibus, inito et passato, prout in litteris, *etc. ut supra.*

32. Ad idem, Rmo D. abbati Cistercii vel ab eo deputato committitur reverenter super contractu inter abbatem et conventum monasterii de Buxeria ex una, et Ludovicum Dostam ex altera partibus, super quodam prato et saliceto prope Belnam situato, inito et passato, inquirat, confirmet aut infirmet secundum quod iuris erit et rationis, in plenaria, *etc.*

33. Ad idem, abbatibus de Bonarequie et Vallelucida, super quodam tractatu inter abbatem et conventum monasterii de Monte petroso, et Guillelmum Catharim, de quodam molendino, ad conficiendum papyrum apto, inquirant, confirment aut infirment, secundum quod iuris erit et rationis.

34. Ad idem, domino abbati de Claravalle, velab eo deputato, ad inquirendum et referendum proximo generali Capitulo, super quodam nemore dicto Firfeu, ad supplicationem abbatis et conventus de Igniaco petentium illud ad censum aut reditum perpetuum dari.

35. Abbatibus de Igniaco et de Longoponte super cuiusdam domus monasterii de Recluso alienatione, propter certas causas, quibus tractatum et confirmationem abbatis de Valleclara non confirmavit, committit informare et proximo generali Capitulo referre.

36. Abbatibus de Igniaco, de Ellantio et de Signiaco, aut duobus eorum committitur super contractu ratione cuiusdam firmae dictae Toam, inter abbatem et conventum de Bonofonte, et nobilem Thomam de la Chalnadière, inito et passato, inquirere et proximo generali Capitulo referre.

COMMISSIONES

37. Abbati de Igniaco praesens generale Capitulum procuratorium committit, quo publica Ordinis negotia curare et Cisterciensi reipublicae solertiori qua poterit diligentia intendere possit.

38. Abbatibus de Igniaco, de Ellantio et de Valleclara, et

duobus eorum praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam processu inter abbatem et conventum de Valle regis ex una, et Nicolaum le Vergeux ex altera partibus, super quodam loco vulgariter Chalme appellato, orto, diligenti inquisitione praevia informent et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, etc.

IUDICES

39. Abbatibus de Frigidomonte et de Longovillari, s. th. pr., et abbati de Regalimonte, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus si abbatissam et conventum monasterii de Lilio prope Meldunum, in aliaqua pecuniarum summa per Capitulum generale aut quovismodo alias debite assignata teneri abbati de Caroliloco, s. th. pr., invenerint, compellant per omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria, etc.

40. Abbatibus de Bullencuria, de Altofonte et de Monasteriis in Argona, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super expensis per dominum abbatem de Claravalle in monasterii Sancti Desiderii reformatione factis, per omnes iuris et iustitiae vias abbatissam et conventum dicti monasterii ad earum refusionem compellant, in plenaria, *etc.*

CONTUMACES

41. Praesens generale Capitulum visa citatione fratris Ioannis Bigot, religiosi professi monasterii de Oliveto, Cisterciensis Ordinis in Bituricensi dioecesi, qui legitime citatus coram praesenti Capitulo ad instantiam abbatis et conventus monasterii de Pratea, et per triduum expectatus et more solito proclamatus, non comparuit, ipsum contumacem et excommunicatum declarat, et nihilominus regularibus personis Ordinis nostri et omnibus aliis super hoc requirendis, praedictum fratrem Ioannem Bigot citari mandat ad futurum generale Capitulum proxime venturum, ad ea quae sibi obiicientur per promotorem causarum, et dictos abbatem et conventum de Pratea responsurum, cum intimatione quod sive comparuerit, sive non, nihilominus contra eum procedetur, prout iuris fuerit et rationis, in plenaria, etc.

42. Ad idem, de abbate de Caladia. — Ad idem, de abbate de Sylva Melonis. — Ad idem, de abbate de Oratorio. — Ad idem, de fratre Francisco Tusseau, monacho de Castellariis.

EXCUSATIONES ABBATUM

43. Attentis legitimis impedimentis, allegatis et sufficienter probatis per sequentes nominatos abbates excusantur a via Capituli praesentis generalis : dominus abbas de Pontigniaco, de Ursicampo, de Signiaco, de Altofonte, de Valle regis, de Recluso, de Moroliis, de Tribus fontibus, de Pratea, de Valleclara, de Castellariis, de Vallibus Sernay, de Lococrescenti, de Ellantio.

SUFFRAGIA

44. Quamquam divinae legis ... *etc. ut in forma consueta* ... ad instantiam abbatis de Escallariis, omnibus et singulis sui monasterii benefactoribus, omnium bonorum spiritualium, videlicet... concedimus participationem ... etc.

REHABILITATIONES

45. Ad instantiam abbatis de Igniaco supplicantis pro quadam moniali sorore Margareta Wys, monasterii de Amore Dei, Ordinis nostri Cisterciensis professa, quae suadente diabolo, contagio carnis, puerperio inde secuto, se polluit, praesens generale Capitulum de eius poenitentia et ad cor reditu sufficienter informatum, de cuius perseverantia in Domino confidit, ipsam eamdem sororem Margaretam rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, etc.

* * *

46. Excusationes eorum quos Capitulum hoc anno a solutione contributionum et subsidio excusat. Abbas de Fusniaco, abbas de Boheriis, abbatissa de Loco Dei, abbatissa de Claustro.

* * *

47. Quia propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1506, nº 30.

* * *

48. Praesens generale Capitulum unicuique suam iurisdictionem servari desiderans, ne in nostrae religionis agro confusionis

seminaria aliquando pullulare valeant, per diffinitionem qua declaratur dominum nostrum Cisterciensem fungi plenaria Ordinis potestate, et libere potuisse et debuisse monasteria de Savigniaco, de Fulcardimonte et de Mortam et in futurum similiter omnia et singula Ordinis monasteria, per hoc non intendit domino de Claravalle dicti monasterii patri immediato, ceterisque patribus abbatibus, circa visitationes, electiones, confirmationes, correctiones, et alia quaecumque, eorum iurisdictionem concernentia, in aliquo praeiudicium generari, nec ipsi Rmo domino seu patribus abbatibus aliquod novum ius acquiri, prout ipse Rmus dominus in eodem generali Capitulo praesidens publice protestatus est et declaravit, in plenaria Ordinis potestate.

1526

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1526.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, s. th. pr., de Roseriis, s. th. pr., de Recluso, s. th. pr., de Barbello, de Buxeria, monasteriorum abbates; de Voto, s. th. pr., loco domini de **Firmitate**, de Caroloco s. th. pr., de Maceriis, de Noa, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates ; de Caroliloco, s. th. pr., loco domini de **Pontigniaco**, de Longovillari, s. th. pr., de Bonoradio, de Quinciaco, de Vallelucenti, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Moris, s. th. pr., de Longovado, de Ursicampo, de Longoponte, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Belloprato, s. th. pr., de Bellavalle, de Mortuomari, de Regalimonte, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Bullencuria, de Valleclara, de Ioyaco, de Caladia, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Claravalle, de Morimundo, de Bonoradio, de Eleemosina Cistercii, monasteriorum abbates; prior et subprior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : Provisor collegii S. Bernardi, s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : frater Ioannes de Longovado, s. th. pr.

1526. *Fontes* : L^6 : A) B), 1-68 ; *M* : 8, 9, 10, 12, *erronee sub anno* 1524 ; P^2 : 1, 8, 9, 10, 12.

NOTARII ABBATES : de Moroliis, de Septem fontibus, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Miratorio, de Aceyo, de Signiaco, de Curia Dei, de Ripatorio, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : fratres Ioannes et Guillermus, Cistercii professi.

* * *

B) Numerus abbatum existentium in dicto generali Capitulo. — De Cistercio, s. th. pr., de Claravalle, de Morimundo, de Belloprato, s. th. pr., de Roseriis, s. th. pr., de Voto, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Recluso, s. th. pr., de Caroloco, s. th. pr., de Moris, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Maceriis, de Bonoradio, de Noa, de Bellavalle, de Longovado, de Ursicampo, de Monte Sanctae Mariae, de Ripatorio, de Longoponte, de Signiaco, de Bullencuria, de Caladia, de Septemfontibus, de Alneto, de Valleclara, de Charmeya, de Marciliaco, de Curia Dei, de Vallelucenti, de Miratorio, de Regalimonte, de Buxeria Eduensi, de Barbello, de Ioyaco, de Moroliis, de Vallibus Sernay, de Eleemosina Cistercii, de Aceyo, de Brolio Benedicti, de Lococrescenti, de Quincaco, de Lezines, de Pontefrigido Metensi, de Insula Barrensi, de Mortuomari : 46.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, die prima mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

---

[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Clemente... *etc* : P^2.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii ... *etc. ut in forma consueta,* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc* ... necnon in summa 8127 libr. 13 solid. 11 denarior. turon. pro resta contributionum generalis Capituli praesentis anni ... *etc.*

7. De impetrantibus et appellantibus contra Ordinis instituta. — Nos, frater Guillermus, ... *etc.*, et est talis : Transgressionum assiduitas et transgressorum sive ignorantia sive obstinata temeritas exigit, ut praesens generale Capitulum antiquas diffinitiones saepius renovatas, ac Sacrosanctae Sedis Apostolicae robore firmatas denuo approbet et renovet. Inter ceteras autem, contra praesentis temporis effrenam peccandi audaciam, primae ac pernecessariae videntur quae intitulantur : *De impetrantibus et appellantibus extra Ordinem et contra Ordinis instituta,* et habentur primo in *Libello antiquarum diffinitionum.* Distinct. VII, cap. 2°, sub his verbis : Si quis privilegia, indulgentias, vel litteras quascumque contra communia Ordinis instituta impetraverit, vel quoquomodo obtenta retinere, vel eis uti praesumpserit, excommunicationis sententiam ab Ordine latam ipso facto se noverit incurrisse. Abbas vero super praemissis convictus, se ipso facto depositum esse et excommunicatum noverit. Quaecumque vero persona vel quicumque conventus Ordinis ad Capituli generalis vel patris abbatis audientiam contra Ordinis instituta seu contra obedientiam vel correctionem proprii abbatis ausus fuerit appellare, verbo vel facto, vel quoquomodo, sciat se statim ipso facto in excommunicationis, si sit privata persona, et si sit conventus, in interdicti sententiam incidisse, hoc adiuncto, quod si abbas fuerit, se nihilominus esse depositum, si monachus vel conversus poenam conspiratorum sustineat usque ad nutum Capituli generalis. Huic similiter poenae conspiratorum subiaceant omnes illi, qui spreto iudicio in quotidiano capitulo praesidentium, obstinato animo, iudicium patrum abbatum voluerint expectare. Quicumque vero allegaverint aliquas consuetudines contra communia Ordinis instituta, volentes eis pertinaciter adhaerere, si abbas fuerit, per 40 dies sit in abbatia propria extra stallum abbatis, et omni sexta feria sit in pane et aqua usque ad sequens Capitulum generale, super hoc veniam petiturus et graviter puniendus. Si autem monachus fuerit vel conversus, in poena conspiratorum a domo propria emittatur. Quicumque etiam de Ordine

litteras impetraverit, vel impetrari procuraverit, quarum auctoritate praeter voluntatem proprii abbatis sive conscientiam, ut suae voluntatis arbitrio sibi eligat confessorem, abbati suo in instanti reddere teneatur, alioquin pro excommunicato habeatur ; et nihilominus careat impetratis, nisi huiusmodi litteras de expressa conscientia Summi Pontificis constiterit emanasse. Et haec per omnia de monialibus observentur.

Omnes vero monachi et conversi, qui saltem semel in anno abbati proprio, cuius copiam habuerint, fideliter et integre neglexerint confiteri, vinculis excommunicationis se noverint irretitos ; cui etiam poenae se subiectos cognoscant omnes illi, qui in fraudem aliis quam confessoribus ab Ordine deputatis confiteri praesumunt, et praeter haec, si in hoc deprehensi fuerint, priventur habitu regulari. Visitatores super hoc diligenter inquirant et faciant observari. Si autem apostatae Ordinis litteras apostolicas vel poenitentiariorum eiusdem impetraverint, ut in suis ordinibus, postquam ad Ordinem reversi fuerint, valeant ministrare, ipsis aliquatenus non utantur ; et qui iam impetraverint, careant impetratis.

Quando vero scandalum dissolutionis, seu quaecumque querelae in Ordine oriuntur, nunquam extra Ordinem exeant, sed intra Ordinem, et per personas Ordinis sapienter et discrete ac charitative reducantur ad Ordinis unitatem. Ea vero quae aliter congrue terminari non poterunt, in generali Capitulo proponantur, et quod inde per Capitulum fuerit ordinatum irrefragabiliter teneatur.

Secunda vero diffinitio habetur in *Libello novellarum*. Distinct. VII, cap. 2°, hoc modo : Cum per Sedem Apostolicam Cisterciensi Ordini sit indultum, ne pro quavis causa in Ordine emergenti extra Ordinem audeat quis appellare, et per canones prohibeatur, ne a correctionibus regularibus quis appellet ; ordinatur quod si quis per iudicem frivole vel temerarie appellasse fuerit sententialiter reputatus, tamquam excommunicatus ab omnibus reputetur et evitetur, et per eum a quo appellaverat usque ad nutum Capituli carceri mancipetur. Qui vero sic temere appellantibus dederit auxilium, consilium vel favorem per se vel per alium publice vel privatim eamdem incurrat excommunicationis sententiam, et poena conspiratorum puniatur. Districte praecipitur abbatibus et iudicibus Ordinis universi, ut in suis correctionibus non excedant, abbates vero qui excesserint a suis superioribus acriter puniantur. Statuitur etiam quod quaecumque persona

Ordinis per se vel per alium litteras, preces, minas et querimonias a quibuscumque personis, quae non sunt de Ordine nostro impetraverit, vel impetrari procuraverit, seu uti praesumpserit impetratis, ne pro suis excessibus puniatur, seu quod de poena relaxetur, vel quod ad officia Ordinis promoveatur, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat ; et nihilominus si super hoc convictus fuerit, aut monialis convicta, nunquam de cetero ad aliquod Ordinis officium admittatur seu promoveatur, sine speciali licentia Capituli generalis. Praedictas autem diffinitiones idem generale Capitulum, quantum valet et opus est, renovat, approbat et confirmat, districtius praecipiendo omnibus abbatibus, monachis et nuntiis in eodem Capitulo praesentibus, ut praesentem diffinitionem secum ad propria monasteria deferant, eamque in libro *Regulae* abbates cum *Forma visitationis* transcribi, ac quater in anno suis monachis legi et exponi faciant. Omnibus vero patribus abbatibus, visitatoribus et commissariis praecipitur, ut ipsam diffinitionem et singula in ea contenta executioni demandent, et ab omnibus Ordinis utriusque sexus personis faciant inviolabiliter observari, in plenaria Ordinis potestate.

8. Saecularis astutia, religiosae simplicitati semper adversa, frequenter huius sacrae religionis filios impugnat et multipliciter vexat, quod in simplicitate patrum ambulantes professiones solemnes simpliciter et absque ullo mundanae prudentiae fuco emittere soliti sint. Tali calumniae praesens generale Capitulum obviare volens ac filiorum indemnitati et utilitati consulere, statuit, ut quilibet abbas novitium ad regularem professionem suscipiens, eique [c] clericalem tonsuram conferens, sive solemnem benedictionem, de huiusmodi professione, benedictione et tonsurae clericalis impertitione faciat debita et authentica registra, locum, tempus, diem, testes praesentes, nomina et cognomina profitentium continentia, signata manu et signo alicuius notarii saecularis vel regularis, quatinus cum opus fuerit, praedictarum professionum, benedictionis et clericaturae plenam fidem faciant, et firmitatis robur obtineant.

9. De professionibus sanctimonialium [d]. — Cum euntibus in salutem non sit standum, sed de virtute in virtutem ambulandum, sancta exposcit charitas, ut observantia regularis, quae in sanctimonialibus Ordinis nostri plantata dignoscitur, a noxiis purgetur

[c] atque : *M*. [d] *Tituli stat.* 9, 10, 11, 12, *apud* L[6].

offendiculis, novisque extollatur virtutibus, praesens idcirco generale Capitulum districte praecipit omnibus et singulis patribus abbatibus Ordinis, eorumque commissariis, quatinus sanctimoniales Ordinem ingressas, non prius ad professionem regularem admittant, quam capitulum illud *Periculoso* sit eis coram conventu vernacula seu vulgari lingua expositum, et illae cuncta in eo contenta plene observaturas promiserint.

10. De officiariis monasteriorum commendatorum. — Commendarum pernicies, quae intra muros sanctae religionis serpit, et quotidie ruptis obedientiae claustris Ordinis filios [e] sic effrenes reddit, ut saepe in commendatis monasteriis priore vel subpriore aut aliis in spiritualibus officiariis carentibus, monachi eorumdem commendatorum monasteriorum dictos officiarios, neglectis patribus abbatibus et eorum commissariis, eligant, aut per commendatarios institui procurent vel permittant, sicque perverso ecclesiasticae iurisdictionis ordine, sacrosancta eiusdem Ordinis statuta confundant. Tantae huic temeritati praesens generale Capitulum de remedio opportuno providere cupiens, omnibus et singulis dicti Ordinis personis, sub poenis excommunicationis aliisque Ordinis censuris prohibet, ne priores et dictos officiarios amplius eligere praesumant, aut electis per commendatarios promotis adhaereant, privilegio aut perversa consuetudine non obstantibus ; sed eorumdem institutiones patrum abbatum aut eorumdem commissariorum providentiae relinquentes, quod per eos institutum fuerit a subditis inviolabiliter observetur.

11. De continuatione Capituli generalis. — Quia bellorum fama percrebuit, ipsiusque tumultus et pericula merito timeantur ac devitentur, idcirco praesentis Capituli generalis celebratio continuatur per dies sequentes, ac transfertur apud Divionem peragenda, ubi singula nondum decisa diffinientur et terminabuntur. Omnibus igitur Diffinitoribus, contributionum receptoribus, auditoribus computationum, ceterisque dicti Capituli officiariis abbatibus ac aliis personis ad ipsum Capitulum citatis, necnon et nuntiis, praecipitur sub poena excommunicationis, quatinus ibidem compareant, nec sine urgente causa dominis Diffinitoribus prius insinuanda inde recedant, donec hoc ipsum generale Capitulum terminatum fuerit et absolutum. Datum in diffinitorio Cistercii, die prima mensis maii, anno Domini 1526.

---

[e] Ordinis filios : *deest MP*[2].

12. De postulantibus. — Cum divino munere Ordini videatur reservatum, ut electionum integritas in tam variis rerum turbinibus inconcussa permanserit, sic ut non nisi a nobis laedi possimus, aequum est eorum perditionum [f] filiorum frangere duritiem, qui postposito Dei timore, spretis omnibus sanctorum [g] patrum sanctionibus, et Ordinis honore conculcato, personas quae non sunt de Ordine, nec ullam religionis habent experientiam postulare non formidant. Quo fit, ut praesens generale Capitulum adhaerendo sanctorum Summorum Pontificum privilegiis, necnon et plurimis Ordinis statutis, hoc perpetuo statuto decernit et diffinit : Omnes postulationes aliter quam de personis Ordinis factas, aut in posterum faciendas, ipso facto nullas, nulliusque effectus esse aut vigoris, taliter quod postulantes ex nunc prout ex tunc declarantur excommunicati, ac talia monasteria, in quibus sic per postulationem ad futuri pastoris provisionem processum est, non obstante postulatione, declarat esse vacantia, postulationemque irritam et nullam, postulantesque omni iure eligendi privatos, ac omnimodam talium monasteriorum provisionem, dispositionem et ordinationem ad patres abbates, si de Ordine fuerint, plene devolutam, praecipitque omnibus patribus abbatibus, ut omni diligentia diffinitionem praesentem executioni demandent, in omnibus utriusque sexus monasteriis publicent, et districte observari faciant, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

13. Super querela mota per procuratorem inter fratrem Benedictum Perrin, presbyterum monachum de Marciliaco, aut saltem qui monachi habitum in eodem monasterio suscepit, adversus abbatem dicti loci super quibusdam pactis et conventionibus inter eos factis et transactis, praesens generale Capitulum amplius informari cupiens praedicti contractus lecturam ad integrum audivit, deinde ad plenum ipsos praedictos contendentes, quibus auditis, quia late simonia videbantur conscii et irretiti, aliisque gravati defectibus ; et etiam quia idem abbas minus memor propriae salutis ac suorum, quemdam religiosum suum nomine Christoforum de Marcy permisit vagari per saeculum et apostatare demum

[f] perditorum : *M*. [g] nostrorum : *MP*².

et uxorem accipere in urbe de Avalone suo monasterio vicina, in grave nedum Ordinis sed etiam totius christianae religionis, populi scandalum et ruinam, nec eum quoquo pacto ad ovile et viam salutis reducere sategit. Quia etiam tam arduum videtur hoc negotium, ut totaliter nunc terminari non possit et finiri ; ideo idem Capitulum generale per modum provisionis diffinit et decernit quod saepe dictus abbas de Marciliaco sub poena depositionis ad monasterium Cistercii ire tenebitur, et ibidem sub obedientia manere, donec super casibus promotis contra eum aliter sit ordinatum. Praedictus vero frater Benedictus Perrin ibit ad monasterium de Quinciaco, et ibidem sub obedientia abbatis eiusdem loci usque ad aliam ampliorem super praemissis ordinationem permanebit. Interim autem committitur abbati de Quinciaco ac fratri Ioanni Bartholomei de Longovado, s. th. pr., et eorum cuilibet in solidum, ut infra festum Pentecostes se transferant, vel alter eorum se transferat, ad dictum monasterium de Marciliaco, et super peractis excessibus et delictis praedictorum abbatis et Perrin diligenter inquirant seu inquirat, et religiosos de Rigniaco cogant vel cogat sub poenis et censuris Ordinis inter manus eorum reponere et reddere quidquid per nuper defunctum abbatem de Rigniaco super praemissis actum extitit, qui tenebuntur infra octavas festi Corporis Christi quidquid per eos actum extiterit debite et diligenter apud Cistercium referre et insinuare, ac omnia agenda in monasterio praedicto de Marciliaco, tam in temporalibus quam spiritualibus, expensis ipsius monasterii, componere et ordinare, ac receptorem seu receptores instituere, pro quo vel quibus dictus abbas tenebitur fidem iubere seu fidem facere. Rereverendissimo autem domino Cisterciensi idem generale Capitulum committit reverenter omnimodam potestatem decidendi, iudicandi et agendi in praemissis et ea tangentibus, quaecumquae sua circumspectissima providentia iudicaverit ordinanda, statuenda et diffinienda, in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc.*

14. Ad idem, audita supplicatione abbatis de Barzella petentis ut monasterio suo cedere et secundum Ordinis indulta et statuta apostolica resignare posset, praesens generale Capitulum futuris volens obviare periculis, et piae eius petitioni suffragari, salvis Ordinis statutis et privilegiis, benigne annuit, in plenaria, *etc.*

15. Abbati de Claromarisco nuper ad administrationem seu regimen dicti monasterii promoto, praesens generale Capitulum

districtius praecipit, ne super lite contra eum super regimine et administratione dicti monasterii mota sive movenda, cum ulla persona quae non sit de Ordine transigere, concordare seu paciscere praesumat, absque expressa Capituli generalis licentia super hoc petita et obtenta. Hanc autem diffinitionem idem generale Capitulum vult extendi ad omnes Ordinis personas, super iure seu titulo monasteriorum contendentes, seu quas continget deinceps super monasteriis Ordinis lites aut processus habere, cassando et annullando omnes tales conventiones seu concordata privilegiis Ordinis contraria, in plenaria, *etc.*

16. Praesens generale Capitulum attendens graves labores et onera continua, quae pro Ordinis iuribus et tranquillo statu abbas de Caroloco, s. th. pr., superioribus diebus sustinuit, et in dies indefesse sustinet, tam pro monasterio de Gardo contra commendatarium eiusdem loci, quam contra alios Ordinis adversarios, eidem dat et remittit contributiones duorum annorum praecedentium, expensas vero quas de bonis sui monasterii fecit et faciet futuris temporibus, Ordo refundet. Interim autem si in aliquibus expensis dictus commendatarius fuerit condemnatus, eas in deductionem pecuniae per eum expositae recipiet.

17. Ad idem, cum anteactis annis multis repetitisque diffinitionibus omnes et singuli Ordinis abbates ad Capitulum generale sub poenis et censuris in *Benedictina* contentis fuerint citati, pluresque statuta apostolica et diffinitiones Ordinis parum reverentes indurato animo negligentiae luto involuti, nec venerint, nec se legitime excusaverint, praesens generale Capitulum omnes et singulos, qui hoc anno non venerunt, et legitime se non excusarunt, praefatas poenas in *Benedictina* contentas incurrisse declarat, et denuo ad proximum generale Capitulum citat, in plenaria, *etc.*

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

18. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Ioannis Hallery ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Eleemosina Cistercii, praefati Ordinis, in dioecesi Carnotensi, per viam inspirationis vel quasi, rite et canonice per monachos eiusdem monasterii, praesidentibus in eadem electione Iacobo de Fontanis albis et Iacobo de Landesio monasteriorum abbatibus, per Anthonium abbatem Frigidimontis, s. th. pr., Rmi

D. Cisterciensis vicarium generalem, subdeputatis, factam et celebratam, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

19. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Ludovici Hertault ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Claromarisco, Ordinis Cisterciensis, in dioecesi Morinensi, per viam inspirationis vel quasi, praesidente in ea electione Petro abbate de Caricampo, in dioecesi Ambianensi, commissario domini de Claravalle, patris abbatis dicti monasterii de Claromarisco, rite et canonice, *etc. ut supra.*

20. Ad idem, de electione facta de persona fratris Ioannis Leduc ad abbatialem dignitatem de Fulcardimonte, in Rothomagensi dioecesi, praesidente in ea abbate de Voto, s. th. pr., domini abbatis de Claravalle commissario.

21. Ad idem, de electione facta de persona fratris Symonis de May ad abbatialem dignitatem monasterii de Bitania, praesidente in ea domino abbate de Morimundo, eiusdem monasterii patre abbate.

22. Cum ex statutis patrum, de uniuscuiusque regularis Ordinis personae ad abbatialem dignitatem promotae provisione generali Capitulo constare oporteat, praesens generale Capitulum abbatem de Pratea, qui praepedientibus certis et rationabilibus causis, prout coram patribus Diffinitoribus ipse asseruit, decretum electionis suae praesentare non potuit, excusatum habet, et quod residuum est, Rmo D. abbati Cistercii videndum, examinandum et confirmandum reverenter committit, inplenaria, *etc.*

23. Electionem abbatis de Castellione ad abbatialem dignitatem nuper promoti, Capitulum in suo vigore relinquit certis causis rationabilibus ad hoc moventibus, et de novo confert, in plenaria, *etc.*

24. Cum per indulta apostolica et Ordinis nostri instituta, electione canonica fieri debeat dumtaxat monasteriorum eiusdem Ordinis vacantium provisio, quod nihilominus ulli religiosi monasterii de Nisortio contemnentes, per postulationem sive iuris providendi de futuro pastore et abbate ad Summum Pontificem remissionem, postposito Dei timore, ut fertur, processerunt. Verum frater Ioannes de Terrade, eiusdem monasterii religiosus, per canonicam electionem procedere voluit, et ut praedicto Capitulo generali extitit nuntiatum processit, et fratrem Ioannem de Beaune, religiosum dicti Ordinis expresse professum, elegit, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Ardorello et de

Sylva lata, et eorum cuilibet in solidum, quatinus super electione praedicta et eius subsecuta confirmatione diligenter inquirant aut inquirat, et singula acta super eisdem examinent, easque si iustum duxerint ex abundanti, quantum opus fuerit, absque eo tamen quod discedat praedictus electus a iure suo, sive absque sui prioris iuris praeiudicio, denuo approbent et confirment, seu alter eorum approbet et confirmet, omnesque contradicentes per canonicas poenas et censuras cessare faciant aut faciat, eisdem perpetuum silentium imponendo, in plenaria, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

25. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Charitate, de Lococrescenti, de Bullione, et duobus eorum simul, quatinus cum fuerint per abbatem Gratiae Dei, Bisuntinensis dioecesis, requisiti, personaliter transferantur ad dictum monasterium, inquisituri diligenter super certis tractatibus et conventionibus ad numerum quinque tractatuum factis de certis petiis, chasellis et viridariis, quae tradita sunt ad censum annuum et perpetuum a dicto monasterio, certis personis videlicet Petro, Hugoni, Ioanni et Francisco Bruillard de Sancto Ioanne Dardans quoad unum, Ioanni Fournier de Passaneto quoad alium, Claudio et Vincentio Fournier de eodem loco, Claudio Gardot de Asseyo quoad quartum, et Penisise Coruriel et Claudio eius filio quoad quintum ; quod si invenerint dictos tractatus fore dicto monasterio utiles, confirment et corroborent, in plenaria, *etc.*

26. Praesens generale Capitulum abbatibus de Monte petroso, de Bocheto et de Palatio, et eorum cuilibet in solidum, committit, quatinus tractatum seu concordatum passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii de Bona aqua, in dioecesi Lemovicensi, et Petrum Chiezo, dictum Carlet, molitorem habitantem in molendinis vocatis Delmelybouel, sitis in pertinentiis villae Upelli, examinent et super commodo vel incommodo dicti monasterii diligenter inquirant, et ipsum contractum, cui praesens diffinitio annectitur, secundum sui exigentiam ratificent, confirment, approbent vel reprobent, in plenaria, *etc.*

27. Tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Claromarisco, in Morinensi dioecesi, ex una, et praeceptoriae seu monasterii Sancti Anthonii iuxta Bailliolum in Flandria ex altera partibus, super nonnullis terris et possessionibus in emphiteosim

perpetuam, per praedictos de Claromarisco datis, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, praesens generale Capitulum, quia praefato monasterio reperit utilem et commodum, approbat, ratificat et confirmat, inhibendo tamen ne praedicti abbas et conventus aliquid census aut redditus ex praelibato contractu debiti alienare aut diminuere praesumant, in plenaria, *etc.*

28. Ad idem, domino abbati de Morimundo, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum de Insula, in Tullensi dioecesi ex una, et Claudium Liebaud ex altera partibus, inito et passato, prout in litteris super hoc confectis, plenius continetur, inquirat et proximo generali Capitulo referat, in plenaria, *etc.*

29. Ad idem, domino abbati de Morimundo, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum de Escureyo et Albericum Paget, inito et passato, prout in litteris, *etc. ut supra.*

30. Ad idem, abbati de Caroloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum monasterii de Sacro portu, alias de Barbello, ex una, et honestum virum magistrum Ludovicum Ruse ex altera partibus, ratione trium arpentorum terrae in confinio de Barbello sitorum, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, inito et passato, secundum quod praedictum contractum praefato monasterio compererit esse utilem et commodum, confirment, in plenaria, *etc.*

31. Ad idem, domino abbati de Claravalle et abbati de Ripatorio, et cuilibet eorum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super commodo vel incommodo monasterii Morarum, ex contractu inter abbatem et conventum dicti monasterii de Moris ex una, et Nicolaum Le Tartier, civem Trecensem ex altera partibus, passato et inito inquirant, et proximo generali Capitulo referant.

32. Cum in evidens ecclesiae detrimentum ab abbatibus fratribus Iacobo de Sinemuro et Hugone de Rigniaco et conventu de Quinciaco ex una, et habitantibus de Villari in Bosco ex altera partibus contractum esse acceperit praesens generale Capitulum, laesioni huic volens de remedio providere opportuno, abbatem et conventum praefati monasterii de Quinciaco a votis et iuramenti a praedecessoribus suis, aut se in tali contractu, factis absolvit, in plenaria, etc.

33. Ad idem, domino abbati de Claravalle et abbati de Quinciaco, et eorum cuilibet praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum de Lesiniis ex una, ratione cuiusdam maseriae continentis circiter arpentum unum terrae in emphiteosim datae, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, et Ioannem Faillot ex altera partibus, inquirant aut inquirat, et secundum quod dictum contractum praefato monasterio utilem et commodum invenerint, confirment aut infirment, in plenaria, *etc.*

34. Ad idem, abbatibus de Longoponte, de Signiaco et de Valle clara, et duobus eorum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter dominum abbatem et conventum de Claravalle ex una, et venerabilem virum Petrum Boullet, apud Remos procuratorem regium ex altera partibus, inito et passato, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, attento quod locus, cuius est mentio, est Deo sacratus, et in quo monasterium aliquando constructum fuit, diligenter inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria. *etc.*

35. Ad idem, abbatibus de Theoloco, de Belloloco et de Valle dulci, et duobus eorum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter dominum abbatem et conventum de Morimundo ex una, et nobilem virum Anthonium de Maulnais, scutiferum, ex altera partibus, ratione cuiusdam permutationis reddituum, prout in litteris super hoc confectis plenius constat inito et passato inquirant, et secundum quod rationabile invenerint, confirment aut infirment, in plenaria, *etc.*

36. Ad idem, domino abbati de Pontigniaco et de Lesiniis et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractibus inter abbatem et conventum de Quinciaco ex una, et Ioannem de Magnicuria, Ricardum de Furno, presbytrum curatum de Moliseyo, Guidonem Pysot, Petrum Regnard, Anthonium de Lostre, Ioannem Pingat, Petrum Simplote, habitantes in Quinceroto, Franciscum de Lornay et Ioannem Raffarte, ex altera partibus, initis et passatis, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, inquirant aut inquirat, referant aut referat proximo generali Capitulo, in plenaria, *etc.*

IUDICES

37. Abbatibus de Longovillari et de Caroliloco simul, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus redeundo

ad propria transeant per monasterium de Moris, et ibidem inquirant profundius super transgressionibus, tam abbatis quam religiosorum eiusdem monasterii, et talium transgressionum origine, et auditis partibus corrigant culpabiles per eliminationem et eiectionem a monasterio, incarcerationem et alias poenas secundum demeritorum exigentiam, etiam eiiciant a monasterio personas saeculares insolentes aut male famatas, et omnia tam in capite quam in membris taliter componant, quod pace ibidem constituta, religiose conversari compellantur, in plenaria, *etc.*

38. Visa supplicatione fratris Ioannis de Avalone, monachi Cistercii, praesentata contra abbatem de Longovillari, s. th. pr., et audito ipso abbate de Longovillari, praesens generale Capitulum attestationem in primis oblatam et lectam diffinit et determinat esse cassandam, iniungitque ipsi abbati et publice declarat se non intendisse per dictam attestationem, Rmo D. N. Cisterciensi per eum exhibitam, quoquomodo defuncto bonae memoriae Rmo D. Iacobo quondam Cistercii abbati detraxisse, et prout protestatus fuerat, veniam petat a dicto Rmo D. N. si quid proposuerat, quod offendere possit audientes. Et quantum ad debitum in quadam scedula ultimi abbatis de Longovillari contentum, dictus modernus abbas ipsum persolvet duobus terminis, videlicet medietatem infra hunc annum et aliam medietatem infra annum inde proxime sequentem, deducta tamen prius et defalcata summa, quam per quittantias, aut alia instrumenta solutam esse monstrabit ; et ad praedictam solutionem per Rmum Cisterciensem compelletur praedictus abbas de Longovillari, per omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria, *etc.*

39. Ad supplicationem abbatis de Trizayo, in dioecesi Lucionensi, abbatibus de Moroliis et de Gratia Dei in Pictavia, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus ad dictum monasterium de Trizayo quamprimum commode fieri poterit, se transferant, aut alter eorum transferat, et diligenti informatione facta super quodam furto per quosdam eiusdem monasterii religiosos, ut dicitur, facto, eosdem audiant et ad eorum punitionem, aut absolutionem, usque ad sententiam diffinitivam inclusive procedant, in plenaria, *etc.*

40. Audita querimonia super pluribus dissidiis et dissensionibus, quae nuper contigerunt in monasterio de Precibus in Britannia, praesens generale Capitulum talibus cupiens adhibere remedium, abbati de Moroliis committit, et nihilominus iniungit

quatinus quamcitius fieri poterit, ad dictum monasterium de Precibus se personaliter conferat, et ibidem visitando quaecumque errata cognoverit, corrigat, instituat et destituat, et cuncta ordinet et disponat in capite et in membris, spiritualibus et temporalibus, quaecumque iudicaverit corrigenda, instituenda et destituenda, ordinanda et disponenda, in plenaria, *etc.*

41. Ad supplicationem prioris de Bella aqua, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Ioayco et de Charmeya, et eorum cuilibet in solidum, quatinus omnes debitores sive detentores bonorum dicti prioratus de Bella aqua, aut qui res eiusdem quoquomodo transtulerunt, et indebite alienaverunt, cogent ad restitutionem et plenam satisfactionem, per omnes iuris et iustitiae vias, in plenaria, *etc.*

42. Ad instantiam promotoris causarum, praesens generale Capitulum diffiniendo iudicat, quod abbas de Longovillari, s. th. pr., solvat integre contributiones suo monasterio impositas, cum arreragiis, ad quarum solutionem per receptores earumdem cogetur, in plenaria, *etc.*

43. Audita supplicatione venerabilium virorum Arturi de Besseyo et Francisci Cadet, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Ioyaco, de Barbello, de Charmeya et de Pietate, quatinus ipse vel unus eorum, vocatis vocandis et auditis audiendis, quilibet in solidum se informet super debito eisdem praetenso ab omnibus personis Ordinis, et quod iustum invenerit, ordinet et iudicet, in plenaria, *etc.*

44. Praesens generale Capitulum visa citatione decreta et ordinata per abbatem de Ardorello, auctoritate Capituli generalis in partibus Tholosanis vicarium, ad citandum ad hoc proximum generale Capitulum fratres Arnaldum de Bourgoignano, et Ioannem de Fagia, religiosos monasterii de Nisortio, alias de Benedictione Dei, responsuros ad ea quae per promotorem causarum eiusdem Capituli adversus eos proponentur ; visa similiter et lecta relatione, per quam constat quod dominus de Casa presbyter praedictos fratres ad dictum Capitulum debite citavit, praedicti fratres per portarium dicti diffinitorii vocati fuerunt et debite expectati, nec tamen comparuerunt, nec aliquis pro eis. Ideo praesens generale Capitulum eos declarat contumaces, committit abbatibus de Ardorello et de Sylvalata et eorum cuilibet, quatinus ipse vel alter eorum eos denuo coram se citari faciant aut faciat, et eos pro contumacia et eorum demeritis per censuras

et alias canonicas poenas corrigant et puniant, omni dissimulatione postposita, sive alter puniat. Committit ulterius eisdem et eorum cuilibet, ut cogant per omnes iuris et iustitiae vias omnes administratores dicti monasterii de Nisortio ad providendum debite in omnibus necessariis fratri Ioanni de Terrade, religioso praedicti monasterii de Nisortio, sicut religiosis eiusdem Ordinis debet provideri, dummodo per ulterius eorum licentiam maneat in aliquo Ordinis monasterio. Dat etiam eisdem et eorum culibet plenum posse visitandi monasterium de Nisortio, et ibidem corrigendi et reformandi, quae fuerint corrigenda et reformanda, sive in dicto monasterio, sive in loco ad hoc per eos vel eorum alterum eligendo, ac etiam religiosos eiusdem, si sua exegerint demerita, ad alia monasteria transferendi, et abbatibus Ordinis, ut illos recipiant, et ex suis religiosis bene viventibus ad praedictum monasterium de Nisortio emittant praecipiendi et mandandi ; instituendi similiter in dicto monasterio de Nisortio novos officiarios, si opus sit, inquisitiones seu informationes super pactis, quae in postulatione seu negotii ad Summum Pontificem remissione intervenerunt, faciendi, similiter super minis, violentiis, portu armorum et impressionibus per praetendentes aut occupantes dictum monasterium, factis et peractis huiusmodi inquisitionibus puniant Ordinis personas quas culpabiles in praedictis repererint ; alios autem ad satisfactionem et iniuriarum reparationem per saecularis iustitiae censuram, si opus sit, faciant compelli, in plenaria Ordinis potestate. Omnibus igitur eiusdem Ordinis personis praecipit, quatinus dictis de Ardorello et de Sylva lata in omnibus praemissis et ea tangentibus prompte ac humiliter obediant. Datum, *etc*.

45. Insolentem, scandalosam, christianae religionis et Ordinis diffamatoriam conversationem monachorum et personarum regularium in monasterio de Boheriis degentium, praesens generale Capitulum aegre ferens et melioris disciplinae volens apponere remedium, abbatibus de Ursicampo, de Valcellis, de Signiaco, de Longoponte, de Valle clara, de Valle regis, et eorum cuilibet committit quatinus, quam citius fieri poterit, ad dictum monasterium de Boheriis se transferant seu transferat, et diligenti inquisitione praevia corrigant, puniant et sanctae correctionis emendationem procurent, in plenaria, *etc*.

46. Ad idem, audita supplicatione nobilis viri Guillelmi de Fonte, scutiferi, domini de Viermes, petentis abbatem et conven-

tum monasterii de Valle B. M., ad exhibendos titulos et proponendos coram nobis aut a nobis deputatis, qua ratione redditum aliquem annuum super dicto dominio de Viermes petunt et praetendunt, compelli, praesens generale Capitulum iustae annuens petitioni, abbati de Caroliloco, s. th. pr., committit quatinus auditis partibus inquirat, et proximo generali Capitulo referat, in plenaria, *etc.*

47. Ad idem, cum beneficio pacis vitae humanae, christianaeque religionis nihil sit pretiosius, praesens generale Capitulum sanctae unionis requiem suis impartiri desiderans, abbati de Caroliloco, s. th. pr., abbatibus de Caricampo et de Claromarisco, et cuilibet eorum in solidum, committit et praecipit, quatinus auditis abbate de Longovillari, s. th. pr., et fratribus Petro Teffre et Roberto Lemaire, et aliis praefati monasterii de Longovillari professis, qui eius forum declinare praesumpserunt, diligenti inquisitione praevia iudicent, corrigant et emendent, secundum quod iuris esse invenerint et rationis.

48. Ad idem, abbati de Caroliloco, s. th. pr., et provisori collegii S. Bernardi Parisiis praesens generale Capitulum committit, quatinus abbatem de Sigilleriis ad refusionem pecuniarum et contributionum quas recepit, et Rmo D. abbati Cistercii, neque Capitulo generali praesentavit, per iustitiae vias cogant et compellant, sub censuris Ordinis et in propriae personae retentione, si opus fuerit, invocato etiam brachii saecularis auxilio, in plenaria, *etc.*

REHABILITATIONES

49. Ad instantiam abbatis de Fusniaco supplicantis pro fratre Andrea Daigremont, dicti monasterii expresse professo, qui monasterium absque licentia egressus est, Romam adiit, et sacros ordines, presbyteratumque sub falso congerio et viatico accepit, noctu per pagos et villas ostia et fenestras frangendo, cum suspectis mulieribus vagatus, et coinquinatus est, et in praedicti monasterii dormitorium mulierem cum qua deprehensus est introduxit, et suadente diabolo fratrem Iacobum de Malda, monasterii priorem, percussit, demum ad cor rediens post aliquot dies correctus, punitus et emendatus est, praesens generale Capitulum de eiusdem fratris perseverantia in Domino confidens, ipsum fratrem Andream rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, in plenaria Ordinis potestate.

50. Ad idem, ad instantiam abbatis de Longoponte supplicantis pro quodam fratre Iacobo Boquet, eiusdem monasterii professo, qui per aliquot dies, absque licentia suo egressus est monasterio, et suspectam in dormitorio introduxit mulierem, et demum ad cor rediens devotam atque humilem sibi iniunctam peregit poenitentiam, praesens generale Capitulum de eiusdem fratris emendatione et perseverantia, *etc.* etiam dignitate abbatiali inclusa.

51. Ad idem, pro fratre Ioanne de Forneyo, alias Delatre, monasterii Caroliloci expresse professo, ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., qui quidem monachus in confratrem suum sacerdotem manus iniecit, et censuris excommunicationis innodatus missam celebravit.

52. Ad idem, ad instantiam abbatis de Boheriis, s. th. pr., pro fratre Claudio Leduc, praefati monasterii professo, qui ante 24 annum missarum primitias celebravit, suspectam mulierem in dicto monasterio tam in locis regularibus quam alias continuit, diu et noctu, furtim et publice, absque licentia monasterium egressus est, confratrem et sacerdotem saecularem in conventu dicti monasterii ad sanguinem usque percussit, et ad bella mortalia militiam armatam secutus est, demum ad cor rediens devotam atque humilem, *etc.* abbatiali dignitate exclusa.

53. Ad idem, ad instantiam abbatis de Maceriis pro fratre Ioanne le Fort, qui tertio apostatavit, et derelicto Ordinis habitu, saecularem induit.

54. Ad idem, de Ioanne de Wiopan, monasterii de Aureavalle professo, propter contagium carnis, puerperio inde secuto.

55. Ad idem, ad instantiam abbatis de Caroliloco,s. th. pr., pro sorore Ludovica de Garrand, monasterii de Parco dominarum, in Silvanectensi dioecesi, professa quae, puerperio inde secuto, polluta est.

EXCUSATIONES ABBATUM

56. Attentis legitimis impedimentis allegatis et sufficienter probatis per sequentes nominatos abbates excusantur a via Capituli generalis, dominus abbas de Pontigniaco, abbates de Fonte Ioannis, de Bonavalle, de Fusniaco, de Pietate, de Sigilleriis, de Claroloco, de Pietate Dei in Cenomania, de Tribus fontibus, de Crista, de Oliveto, de Monasteriis, de Strata, de Valle regis, de

Bonofonte, de Loco Dei, de Bonoportu, de Laude, de Forda, de Veterimonte, de Bona aqua, de Monte petroso, de Gymonte, de Bonavalle Ruthenensi, de Sylva lata, de Fontanis albis, de Trizayo, de Castellariis, de Ardorello, de Grandisylva.

CONTUMACES

57. Cum anno Domini 1524, facta fuerit diffinitio qua frater Ioannes Bigot, monasterii de Oliveto professus, ad instantiam abbatis et conventus de Pratea legitime citatus et non comparens, contumax fuerit declaratus, ad preces eiusdem abbatis de Pratea, qui sibi suoque conventui plene satisfactum professus est, praesens generale Capitulum oleum misericordiae suis non denegans et de praenominati fratris Ioannis humili proposito bene sperans, eum a sententiis quibus innodatus erat, et ab omnibus, si quas illarum occasione contraxerat irregularitatibus absolvit et absolutum declarat.

58. Fratres Arnaldum de Bourgoignaco et Ioannem de Fagia, religiosos monasterii de Nisortio, in dioecesi Convennarum, qui citati ad Capitulum generale non comparuerunt, praesens generale Capitulum contumaces declarat, et abbates de Ardorello et de Sylva lata et cuilibet eorum causae, propter quam citati fuerunt, cognitionem usque ad diffinitivam sententiam inclusive committit.

SUFFRAGIA

59. Frater Guillermus, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, nobili et strenuo viro, domino Ioanni de Panaut, et dominae Ioannae eius consorti, sanctae devotionis obsequium salutare. Quamquam divinae legis ... *etc. ut in formula consueta* ... ad instantiam abbatis de Signiaco, vobis omnium bonorum spiritualium ... concedimus participationem et associationem ... Datum *etc.*

60. Ad idem, pro honesto viro Iaquemino Francequin de Maceriis et Poncetta eius uxore, ad instantiam praedicti abbatis de Signiaco.

61. Ad idem, pro nobili viro Ioanne des Bruyères et eius consorte, ad instantiam abbatis de Septem fontibus.

62. Ad idem, pro honesto viro Petro Robin, ad instantiam domini Ioannis Achemandi, decani Enysellensis.

63. Ad idem, pro nobili viro Bartholomeo Du Mex, ad instantiam domini praedicti decani Enysellensis.

64. Ad idem, pro nobili viro magistro Andrea Fournier, apud Pontisaram procuratore regio, ad instantiam abbatis de Septem fontibus.

65. Ad idem, pro venerabili viro, Petro Begat, presbytero, ad instantiam abbatis de Quinciaco.

66. Ad idem, pro honesto viro Ioanne Girardin et eius uxore, ad instantiam praedicti abbatis de Quinciaco.

67. Ad idem, pro benefactoribus monasterii monialium de Clavas, in Podiensi dioecesi, ad instantiam provisoris Tholosani

* * *

68. Quia propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1506, *n*o 30.

1527

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli 1527.

Diffinitores : de **Cistercio**, s. th. pr., de Prulliaco, de Bonoportu, de Bonavalle, de Buxeria Eduensi monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Belloprato, s. th. pr., de Maceriis, de Igniaco, de Elancio, de Belloloco, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Strata, de Bona aqua, de Faesia, de Eleemosina, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Ursicampo, de Longovado, de Monte Sanctae Mariae, de Signiaco, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Bellavalle, de Bullencuria, de Valle dulci, de Alta sylva, monasteriorum abbates.

Confessores : de Buxeria Andegavensi, de Belloloco, de Ursicampo, de Ripatorio, de Bona aqua, monasteriorum abbates.

Receptores excusationum : de Strata, de Signiaco, de Miratorio, de Bonoportu, monasteriorum abbates.

1527. *Fontes* : *A*[4] : 14 ; *L*[6] : A) B), 1-63 ; *M* : 8, 9 ; *P*[2] : 1, 8, 9, 10.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Claravalle, de Belloprato, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Bonoradio, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : Provisor collegii S. Bernardi Parisiis. s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Ripatorio abbas.

NOTARII ABBATES : de Roseriis, s. th. pr., de Bonoradio, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Miratorio, de Aceyo, monasteriorum abbates, et quos Rmus voluerit deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Ioannes de Avalone, Anthonius de Belna.

* * *

B) Nomina abbatum in dicto Capitulo existentium praesenti anno 1527 ; de Cistercio, s. th. pr., de Claravalle, de Morimundo, de Belloprato, s. th. pr., de Roseriis, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Maceriis, s. th. pr., de Karoloco, s. th. pr., de Bellavalle, de Bonoradio, de Elancio, de Igniaco, de Longovado, de Ursicampo, de Bonavalle Ruthenensi, de Signiaco, de Ripatorio, de Bullencuria, de Faesia, de Bona aqua, de Buxeria Eduensi, de Miratorio, de Monte Sanctae Mariae, de Belloloco, de Bonoportu, de Aceyo, de Eleemosina Cistercii, de Strata, de Valle dulci, de Alta sylva, de Buxeria Andegavensi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo, die vicesima mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

---

[a] *Titulus apud L^6.* [b] Sub Clemente... *etc* : P^2.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 8257 francorum, 14 solid. 9 denar. turon., pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni 1527, ... *etc.*

7. Cum propter sumptuum et agendorum in dies occurrentium multitudinem et multiplicitatem, pro quibus supportandis et explendis domus Cistercii, totius Ordinis mater et monarcha, mirum in modum praegravatur, ex eo quod ad eam tamquam ad matrem sit omnium singulare refugium. Et licet esse semper benivolam et promptissimam impenderit ad supportanda onera et agenda universa, neque etiam unquam velit ad eo desistere, sed iugiter materno et pio affectu perseverare, tamen cum ad ea non sufficiat ex eo pariter, quod ab exteris pene universis regionibus nullae solvuntur contributiones, et si ab ipsis proximioribus tamen necdum omnibus, praesertim commendatariis et saecularibus, qui ad hoc cogi non possunt nec importantiae huic aliter provideri. Hinc est quod praesens generale Capitulum sperans se verisimiliter mediis opportunioribus et promptis posse dictos commendatarios et alios compellere, si ad locum authenticum totius regni una cum patribus Ordinis convocarentur, ubi etiam monasteria singula Ordinis iuxta verum valorem ad certam contributionis taxam reducerentur, per quae duo sufficienter provideretur oneribus praedictae domus Cistercii, imo totius Ordinis et agendis, decernit et diffinit quod feria secunda post *Reminiscere* in Quadragesima proxime ventura, apud civitatem Parisiensem in collegio S. Bernardi fiat congregatio omnium abbatum Ordinis, qui ad hoc per litteras patentes a Rmo D. N. Cistercii, seu etiam ab Ordinis commissariis, auctoritate praesentis generalis Capituli emanantes, legitime convocabuntur. Quod si ob infirmitatem vel alias quis se excusare contenderit, confecto super hoc litterarum testimonio, simul mittat authenticum procuratorium, quo constabit de eius confidentia et consensu eorum omnium quae per patres ibidem congregatos determinabuntur et diffinientur ; et haec omnia praecipit in plenaria Ordinis potestate, cum intimatione quod, sive comparuerint sive non, nihilominus tamen, non obstante eorum absentia, omnia per praedictos patres illic praesentes determinabuntur et diffinientur, dando simul auctoritatem commissariis Ordinis in partibus, ut vocatis aut tribus de pro-

bioribus et vicinis investigent ad unguem de praesenti valore monasteriorum suae commissionis, super quo ad veritatem dictam congregationem informabunt, et simul eisdem commissariis, appropinquante congruo tempore dictae congregationis, non different convocare, in plenaria Ordinis potestate.

8. Ad reprimendum ingratitudinis vitium quorumdam de Ordine, qui cum eliguntur ad dignitates abbatiarum, resignare etiam saecularibus non verentur ; quapropter praesens generale Capitulum ultra poenas contra similia attentantes per diffinitiones et statuta Ordinis iam positas, omnibus et singulis electis Ordinis prohibet sub poena eliminationis perpetuae a monasterio unde fuerint electi, necnon et inhabilitatis ad quamcumque abbatialem dignitatem ipso facto contractae, ne huiusmodi electionis suae ius resignent cuicumque saeculari, aut etiam non de Ordine, sine licentia petita et obtenta Capituli generalis, vel ipso non sedente, Rmi D. Cisterciensis, in plenaria Ordinis potestate.

9. Generale Capitulum ad evitandas murmurationes et occasiones iurgiorum in monasteriis Ordinis, districte prohibet abbatibus universis, ne deinceps ullum recipiant in professionem monasticam sine consensu vel totius sui conventus, vel sanioris partis ipsius.

10. Ad hoc ut deinceps securius et solemnius procedatur in inquirendis de contractibus Ordinis et de eis referendis, praesens generale Capitulum diffinit et statuit, ut deputati ad hoc scripto redigant, quod invenerint scribendum, quod in promptu habentes cum advenerit generale Capitulum postea referre non omittant.

11. Generale Capitulum moleste praevaricationes quorumdam religiosorum in abbates et electores suum ius in favorem saecularium resignantium, ut pensiones vel beneficia saecularia consequantur, et a regularibus observantiis absoluti saeculariter et cum saecularibus conversentur, statuit et ordinat, ut huiusmodi religiosi sic ambitione seducti compellantur, per abbates quibus professi sunt, regulariter vivere, et vota quae distinxerunt labia sua reddere. Et quia tales praetextu dispensationis apostolicae praesumunt activa debita contrahere in maximum quandoque creditorum et monasteriorum dispendium, dictis abbatibus districte praecipitur ut huiusmodi debitores ad plenam et integram satisfactionem per iuris et iustitiae vias arceantur ; et quia ad dicti generalis Capituli pervenit notitiam, quod in monasterio de Buxeria Andegavensi similes resignationes factae sunt, maxi-

me per fratrem Ioannem Trousseau, qui electus in eodem monasterio pacifice per annum et amplius gavisus est; nihilominus ut saeculariter viveret, sicut praemissum est, resignavit suum monasterium in favorem alterius personae quam religionis nostrae, cum permutatione cum beneficio vel beneficiis saecularibus, de quo vel quibus tamen beneficiis pacificam non potuit consequi possessionem. Quare post quinque vel sex annos effluxos, calices, crossam, crucem auream, titulos, scedulas et obligationes a dicto monasterio rapuit et detulit, ut his mediantibus abbatem tunc abbatizantem induceret ad creandam super monasterio praemisso de Buxeria pensionem, quae mediis subreptitiis eidem tunc est creata; et quod imbecilius est, per abbatem modernum, timore minarum praedicti fratris Ioannis, de summa 60 libr. annualium est aucta. Unde praemissum generale Capitulum abbatibus de Chalocheyo in Andegavensi et de Pietate Dei in Cenomanensi dioecesibus, et cuilibet in solidum committit huiusmodi negotium, factis prius debitis inquisitionibus et informationibus, terminandum et decidendum, in plenaria Ordinis potestate.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

12. Praesens generale Capitulum debite informatum, electionem novissime in monasterio de Sancto Marcello, in Caturensi dioecesi, indebite factam fuisse contra Ordinis instituta, irritat, cassat et annullat, ius devoluti eiusdem monasterii fratri Reymondo de Podio, religioso monasterii de Candelio, in s. th. bacc. conferendo in plenaria, *etc.*

13. Generale Capitulum humilem supplicationem Michaelis Lefevre electi in abbatem monasterii de Fonte Danielis, in Cenomanensi dioecesi, recipiens, et petitioni suae rationabiliter annuens declarat, quod in confirmatione Capituli generalis praesentibus instrumentis annexa per notarios eiusdem Capituli generalis evidenter erratum est, ponendo loco abbatis de Chalocheyo abbatem de Claromonte, sicut in praemissis intrumentis liquido constat; qui quidem abbas de Chalocheyo praesidebit in eius electione.

14. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Adae Hugonis ad abbatialem dignitatem monasterii B. M. de Altasylva, Cisterciensis Ordinis, Tullensis dioecesis, per viam inspirationis vel quasi, rite et canonice per monachos eiusdem

monasterii, praesidente ibidem ex commissione Rmi D. N. Cisterciensis, necnon ex commissione abbatis de Theoloco, patris abbatis immediati eiusdem monasterii, fratre Nicolao, abbate de Belloprato inLotharingia, s. th. pr., factam, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

15. Praesens generale Capitulum committit domino abbati de Morimundo, quatinus facta diligenti inquisitione super quodam tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Insula Barrensi ex una, et Claudium Liebault, scutiferum, et dominum de Viliers super Matronam, si invenerit dictum tractatum fore ad utilitatem dicti monasterii de Insula, confirmet et corroboret, in plenaria Ordinis potestate.

16. Audita relatione domini abbatis de Morimundo super tractatu inito et passato inter abbatem et conventum de Escureyo ex una, et Albericum Paget partibus ex altera, prout patet ex eodem tractatu, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum eumdem tractatum secundum omnem sui formam et tenorem approbat, ratificat et confirmat.

17. Abbatibus de Bellavalle, de Charitate, de Lococrescenti, de Bullione, vel duobus eorum simul, praesens generale Capitulum committit, quatinus facta inquisitione super quodam tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Gratia Dei, in Bisuntinensi dioecesi, ex una, Henricum Oddo et et suos consortes partibus ex altera, de quodam manso et pertinentiis eius, sito in villagio de Bretigniaco ; si invenerint dictum tractatum cedere ad commoditatem dicti monasterii de Gratia Dei, corroborent, approbent et confirment, in plenaria, *etc.*

18. Abbatibus de Monte petroso, de Faesia, de Bonoloco et cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit ut super contractu praesentibus annexo, inter abbatem et conventum monasterii de Bona aqua, in dioecesi Lemovicensi, ex una, et discretum virum magistrum Franciscum Clidiero, notarium regium, partibus ex altera, diligentem inquisitionem faciant, et si praedicto monasterio commodum et utilem invenerint, confirment, sin alias infirment, in plenaria, *etc.*

19. Tractatum concordiae inter abbatem et conventum monasterii de Bellavalle ex una et curatum de Rigniaco, in Bisun-

tinensi dioecesi, partibus ex altera, de quibusdam iuribus ratione dictae curae de Rigniaco, praesens generale Capitulum gratum et ratum habens, ipsum eumdem tractatum approbat, ratificat et confirmat secundum omnem sui formam et tenorem, in plenaria, *etc.*

20. Committitur domino abbati Claraevallis et abbati de Ripatorio coniunctim ad confirmandum et infirmandum contractum initum inter abbatem et conventum de Bullencuria ex una, et Ludovicum Cornu, Ioannem Picault, Stephanum Poisson, Martinum Poisson ac eorum consortes partibus ex altera, de damno et incommodo cuiusdam contractus de graignagio de la Rougegranche, et si praedictum contractum, *etc.*

21. Contractum et appunctuamentum passatum et initum inter abbatem et conventum monasterii de Longovado ex una, et incolas seu habitantes de Latriceyo partibus ex altera, super materia decimali totius finagii dicti oppidi de Latriceyo, generale Capitulum ipsum tractatum tamquam utilem et pro bono pacis ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

22. Domino abbati Claraevallis et abbati de Bullencuria committitur, ut super contractu inito et passato inter abbatem et conventum de Ripatorio ex una, et honestos viros Nicolaum Thiru, Aegidium Quarré ac eorum uxores partibus ex altera, debitam inquisitionem et informationem faciant et proximo Capitulo referant.

23. Committuntur abbates de Igniaco, de Valle clara et de Bonofonte, ut duo eorum se informent super contractu inito inter abbatem et conventum monasterii de Signiaco ex una, et Ioannem Renesson, alias de Hurtault, partibus ex altera, ratione cuiusdam fabricae ferreae, quem quidem contractum, si monasterio praedicto de Signiaco commodum et utilem invenerint, ipsum ratificent et confirment, in plenaria, *etc.*

24. Committuntur abbates de Igniaco, de Valle clara et de Bonofonte, ut duo eorum se informent super contractu inito inter abbatem et conventum monasterii de Elancio ex una, et Ludovicum Gelhay ac Nicolaum Gelhay, fratres mercatores, partibus ex altera, quem quidem contractum, *etc. ut supra.*

REHABILITATIONES

25. Cum praesenti Capitulo innotuerit, narrante et supplicante

domino abbate de Claravalle, fratrem Ioannem de Argensollis, professum de Tribus fontibus, nonnulla loca et ostia in eodem monasterio effregisse, ea intentione qua raperet et exportaret, quae ibidem recludebantur, a quo tamen subita nonnullorum interventione prohibitus, inde fugiens in domum patris sui extra monasterium se recepit et regulari habitu dimisso circiter per sex mensium spatium remansit, tam in dicta domo patris, quam extra pervagando ; tandem conscientia propria remorsus rediens ad dictum monasterium veniam petiit et obtinuit, cum salutari poenitentia, quam humiliter et patienter sustinuit, modo pacifice et religiose conversans cum ceteris in eodem monasterio. Quapropter idem generale Capitulum emendationi eiusdem fratris congratulando gratiam et absolutionem annuit, eumdem fratrem Ioannem per praesentes ex gratia speciali rehabilitando ad omnes dignitates, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, *etc.*

26. Ad requestam abbatis de Strata pro fratre Ioanne le Diacre, monacho suo, qui diabolico spiritu ductus, furto, imo sacrilegio, commisso in eodem monasterio de duobus crateribus argenteis et octo scutis aureis Romam usque abiit, impetraturus facultatem redeundi ad saeculum et vivendi relicto habitu regulari, a qua quidem mala conversatione bono spiritu denique reductus et revocatus, et super eo sufficienter punitus et poenitens, nunc pacifice degit in eodem monasterio de Strata ; quapropter praesens generale Capitulum ovi perditae prius et modo repertae congratulans, ipsum fratrem Ioannem le Diacre per praesentes reponit, rehabilitat ad omnes dignitates, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, *etc.*

27. Ad requestam abbatis de Igniaco pro fratre Ioanne Lechet, monacho suo, qui deprehensus et convictus super contagio carnis per eum commisso in eodem monasterio de Igniaco, de quo tamen postea sustinuit debitam poenitentiam, et nunc tamquam ex corde poenitens humiliter et pacifice conversatur cum ceteris in eodem monasterio. Ideo praesens generale Capitulum eumdem fratrem Ioannem rehabilitat ad omnes dignitates, gradus et officia, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES

28. Domino abbati de Claravalle praesens generale Capitulum

praecipiendo committit, quatinus visitato in propria persona suae filiationis immediatae monasterio de Caroloco, Bisuntinensis dioecesis, et praesertim inspectis necessitatibus labentium aedificiorum et ceterorum omnium, ordinet certam pecuniae summam percipiendam super dicto monasterio, videlicet vel tertiam partem omnium reddituum, vel summam usque 500 libr. turon. applicandarum per deputandum ab eo ad reparationes in dicto monasterio faciendas; controversiam autem inter abbatem eiusdem monasterii et priorem suum seu monachum et alios eiusdem monasterii religiosos, coram praesenti Capitulo generali quodammodo agitatam, facta debita inquisitione, ordinabit usque ad debitae iustitiae complementum, in plenaria, etc.

29. Abbatis de Ursicampo petitioni generale Capitulum favorabiliter annuit, ut fratrem Alanum Fonet, suum et praedicti monasterii de Ursicampo religiosum, pro suorum religiosorum et sui praedicti monasterii pace et tranquillitate licentiet, eliminet et a grege suarum ovium perpetuo sive ad tempus educat, dummodo abbati dictum Alanum recepturo de vestimentis et alimentis satisfaciat, et ubi pacifice et regulariter non vixerit, puniatur in proprio vel alieno monasterio, sic quod ceteris transeat in terrorem, usque ad generalis Capituli dispositionem.

30. Audito Rmo D. super venditione et alienatione cuiusdam nemoris quantitatis 50 iornalium sive arpentorum facta nobili scutifero Francisco de Montfort per abbatem de Caroloco, qui quidem Rmus D. visitando dictum monasterium invenit fide dignorum testimonio venditionem huiusmodi eidem monasterio esse damnosam, et contra iuris et statutorum Ordinis dispositionem factam, generale Capitulum praedictam venditionem cassat et annullat, supradicto abbati de Caroloco districte praecipiendo, ut praedictam venditionem et alienationem revocet sub poenis et censuris Ordinis.

31. Audita supplicatione nobilis viri Guillemi de Fonte, scutiferi, domini de Viermes, petentis abbatem et conventum monasterii de Valle Sanctae Mariae, in Parisiensi dioecesi, ad exhibendos titulos proponendum coram nobis aut a nobis deputatis, qua ratione redditum aliquem annuum super dominium de Viermes petunt et praetendunt, compelli, praesens generale Capitulum iustae annuens petitioni, abbati de Caroliloco, s. th. pr., committit quatinus auditis partibus inquirat et proximo generali Capitulo referat, in plenaria, *etc.*

32. Supplicationi abbatis de Ursicampo requirentis, ut possit Ioannem Rasse, civem Cameracensem, in monasterio suo recipere, ipsique victum, domicilium et sepulturam in suo praefato monasterio constituere, mediante tamen summa pecuniarum per dictum civem offerenda, generale Capitulum devotioni devotarum personarum favens, favorabiliter annuit domino abbati Claraevallis, vel primo visitatori, auctoritatem conferendo contractus quoscumque per dictum abbatem de Ursicampo ratione praedicti Ioannis Rasse conficiendos confirmandi, in plenaria, *etc.*

33. Praesens generale Capitulum districte praecipit abbati de Marcilliaco, quatinus quantum in se est, exponat vices suas ad viriliter compellendum fratrem Benedictum Perrin, monachum suum extra monasterium vagantem in non parvum dedecus et scandalum, redire ad dictum monasterium, et ibidem vivere, prout Ordinis Cisterciensis lex in regula et statutis contenta declarat et exigit, in plenaria Ordinis potestate, in virtute cuius etiam ad idem prosequatur contra fratrem Christoforum de Marcy, etiam monachum suum cum adiunctione, si opus est, procuratoris Ordinis, una cum abbate de Quinciaco, cui praecipitur ad hoc intendere, quorum adiutorio revocetur dictus frater a saeculo, ad quod respiciens et manum ab aratro deponens retro reverti non puduit, et haec omnia fient expensis dicti monasterii de Marcilliaco, in plenaria, *etc.*

34. Praesens generale Capitulum committit abbatibus de Vallibus Sernay et de Igniaco, et cuilibet eorum in solidum, quatinus adhibeant diligentiam possibilem ad reducendum fratrem Bertinum ad monasterium ultimae professionis suae ; et quoniam super hoc est difficultas an videlicet sit dictum monasterium de Vallibus Sernay ubi primo fuit professus, vel monasterium de Elancio, facta super hoc diligenti inquisitione, cogant dictum fratrem redire ad monasterium, ubi fuerit inventus fecisse ultimam professionem, expensis eiusdem monasterii ultimae suae professionis, in plenaria, *etc.*

35. Cum ex parte abbatis monasterii Vallis lucis, in Candidaecasensi dioecesi, in regno Scotiae, praesenti generali Capitulo fuerit remonstratum esse aliquas terras dicto monasterio pertinentes, quarum pars esset tradenda cultoribus ad censum annuum et perpetuum, altera ad certum terminum, supplicando super hoc sibi praeberi potestatem ; hinc est quod pro ampliori solemnitate ex *Benedictina* observanda, dictum praesens generale Capitulum

committit duobus abbatibus simul de proximioribus et viciniori-bus eiusdem monasterii, quatinus facta super hoc diligenti, fideli inquisitione, si invenerint fore dicto monasterio commodum, approbent, corroborent et confirment, in plenaria, *etc.*

36. Praesens generale Capitulum dat et confert per praesentes abbati de Gratiis in Anglia auctoritatem et plenum posse visitandi et reformandi, in capite et in membris, omnia et singula Ordinis monasteria in dicto regno Angliae, excepta Wallia, et simul convocandi abbates, et eos citandi ad comparendum congregationi Parisiis, feria secunda post dominicam *Reminiscere*, in collegio S. Bernardi, proxime in Quadragesima faciendae, aut si eidem congregationi interesse non poterunt, deputandi aliquos ex eis, qui eidem congregationi interesse debebunt, cum intimatione eisdem praecipiendo id exsequi in plenaria Ordinis potestate. Qui quidem missi et comparentes, cognita eius diligentia, poterunt interim et curam suorum monasteriorum committere; hanc autem visitandi facultatem idem generale Capitulum duxit ad praedictam usque generalem congregationem limitandam, in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc.*

37. Abbati de Belloprato permittit generale Capitulum ad inquirendum de quodam monacho, videlicet fratre Nicolao Collardi, translato de Monasteriis ad monasterium de Insula Barrensi, et ubi invenerit, in quo duorum praedictorum monasteriorum ultimam fecerit professionem, cogat abbatem huius monasterii ad recipiendum eum tamquam suum monachum, in plenaria Ordinis potestate.

38. Praesens generale Capitulum graviter ferens rumores, qui de persona et regimine fratris Francisci Maurey, abbatis de Moris, feruntur, quantum cum Deo potest, de remedio providere volens, committendo iniungit domino abbati de Claravalle, patri immediato eiusdem monasterii de Moris, quatinus assumpto secum aliquo ex abbatibus Ordinis, facta diligenti indagine super huiusmodi rumoribus, et famae veritate, prout rationabiliter et iuridice invenerint faciendum, agant et prosequantur usque ad debitam satisfactionem et iustitiae complementum, etiam per amotionem ab abbatiali dignitate usque ad sententiam diffinitivam inclusive; quod si immunis fuerit inventus et inculpabilis, nihilominus tamen ob infamiae labem et pusillorum scandalum evitandum cogant eum per omnes iuris et iustitiae vias ad se canonice purgandum, in plenaria Ordinis potestate.

39. Praesens generale Capitulum abbati monasterii de Gratiis in Anglia, confert auctoritatem et plenum posse compellendi omnes et singulos abbates in toto regno Angliae, excepta Wallia, ad solvendas sibi impositas contributiones et subsidia, et commissarios ad reddenda computa de receptis ab ultimis computationibus eorum Capitulo generali, et Rmo D. N. Cistercii redditis ; et si interea defuncti sint, compellere eorum successores ad solvendum restas et arreragia eorum omnium quae per eorum praedecessores recepta sunt, et ad integre Ordini et congregationi Parisiis in Quadragesima proxima feria secunda post *Reminiscere* afferenda, in plenaria, *etc.*

IUDICES

40. Abbatibus de Pontigniaco, de Longovillari, de Prulliaco et de Regalimonte, de Barbello, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus per omnes iuris et iustitiae vias compellant abbatissam monasterii de Lilio prope Meldunum, et quascumque pernonas habentes administrationem bonorum temporalium dicti monasterii de Lilio, ad integre persolvendum abbati de Caroliloco et eius monasterio, quascumque pecunias per dictum abbatem de Caroliloco, aut eius praedecessorem pro reformatione, et pro clausuris dicti monasterii de Lilio et necessitatibus personarum eiusdem monasterii expositas, quae per instrumenta aut litteras procuratorum et receptorum fideliter declaratae fuerint, aut per ipsum generale Capitulum approbatae ; quod si aliquae lites exinde accidant, ipse aut alter ipsorum ipsas decidant et terminent, in plenaria, *etc.*

41. Domino abbati de Morimundo et abbati de Vallibus in Ornesio, et cuilibet in solidum, generale Capitulum committit, quatinus si abbatem de Escureyo seu monasterium eius in aliqua pecuniarum summa legitimis testibus aut instrumentis teneri compererint Ioanni Haymard et Petro Haymard, mercatoribus in oppido Damblam commorantibus, compellant eum vel eos per omnes iuris et iustitiae vias ad praedictam summam eisdem mercatoribus integre persolvendum, in plenaria, *etc.*

LICENTIA SEU VIATICA

42. Abbati de Monasteriis generale Capitulum praecipit ut

fratrem Folianum, conversum suum professum, in monasterio suo recipiat, vel saltem de benigno receptore eidem provideat, abbati de Tribus fontibus committendo quatinus eumdem abbatem de Monasteriis ad praesentium executionem compellat, in plenaria, etc.

43. Generale Capitulum visceribus charitatis complectens fratrem Michaelem Lefebure, religiosum et abbatem electum monasterii de Fonte Danielis, eidem permittit et facultatem confert prosequendi ius electionis suae per omnes iuris et iustitiae vias, ad locaque suum processum concernentia se transferendi, omnes et singulos maxime nostrae sacrae religionis Christi fideles hortando quatinus in viae et vitae necessariis etiam Ecclesiae sacramenta, si sit opus, ministrando misericorditer succurrant.

44. Generale Capitulum omnibus et singulis nostrae sacrae religionis regularibus personis consulere desiderans, fratri Ambrosio Lièvre, religioso monasterii de Fonte Danielis, tamquam sindico religiosorum eiusdem loci, licentiam et auctoritatem confert pro et nomine religiosorum eiusdem loci ius electionis eorum prosequendi, et in locis quibuscumque dictam prosecutionem concernentibus comparendi, omnes et singulos nostrae sacrae religionis personas hortando, ut eidem fratri charitativam hospitalitatem misericorditer impendant.

45. Abbati monasterii Montis Sanctae Mariae, praesens generale Capitulum committit ei praecipiendo, quatinus facta inquisitione super forefacto fratris Rolandi Musseti, professi monasterii de Chezeriaco, qui pro lapsu in contagio carnis petiit rehabilitationem, ex quo eiectus ex monasterio proprio, nunc extra vagatur in scandalum Ordinis. Et facta huiusmodi diligenti inquisitione, prout rationabiliter invenerit, cogat abbatem dicti fratris Rolandi ad eumdem in monasterio suo tamquam monachum suum recipiendum, in plenaria, *etc.*

EXCUSATIONES

46. Generale Capitulum excusat a via Capituli abbatem de Bonofonte, admittendo suas excusationes contentas in suis litteris, eidem abbati dando plenariam auctoritatem per se, vel commissos per eum, audiendi suos religiosos infra festum Pentecostes proxime venturum, ipsosque ab omnibus ipsi Capitulo reservatis, absolvendi.

47. Ad idem, pro abbate de Valle regis. — Ad idem, pro abbate de Longoponte.

IUDICES

48. Abbatibus de Bellavalle, de Charitate, de Roseriis, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus si per instrumenta, seu alia fide digna testimonia, invenerint abbatissam de Battanto, in Bisuntinensi dioecesi, iuxta Bisuntium, teneri et obligari domino Iacobo Bonet, presbytero curato de Merchault, per omnes iuris et iustitiae vias, cogant dictam abbatissam ad satisfaciendum ei, in plenaria, *etc.*

SUFFRAGIA

49. Frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* discreto viro magistro Leodegario Dorveau, sacerdoti rectori parochialis ecclesiae de Aiseioducis, dioecesis Lingonensis, sanctae devotionis salutare suffragium. Vestrae devotionis affectus, quem ad Ordinem nostrum intelleximus vos habere, zelusque reparationis, imo potius novae constructionis ecclesiae vestrae campanilis et campanarum ipsius quem geritis in pectore, nos inducunt, ut ea de nostrae sacrae religionis thesauro vobis favorabiliter concedamus, quae praemissis affectu, zeloque noscimus opportuna. Nos itaque, precibus domini abbatis Claraevallis exigentibus, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui praemissae reparationi, vel potius novae constructioni largitione temporalis substantiae compatienter assistent, omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc.* concedimus participationem et associationem. Datum, *etc.*

50. Frater Guillermus, abbas Cistercii ... *etc.* nobili et potenti domino Laurentio de Gorouz, equiti aurato, et domino de Marnay ac eius conthorali, sanctae devotionis obsequium salutare. Quamquam divinae legis ... *etc. ut in forma consueta*, ad instantiam abbatis de Aceyo, vobis omnium bonorum spiritualium ... *etc.* concedimus participationem et associationem. Cum autem obitus, *etc.* Datum, *etc.*

51. Ad idem, ad requestam eiusdem abbatis de Aceyo concessum est nobili viro Claudio de Fontete ac eius uxori, singulari nostrae religionis benefactori.

52. Ad idem, illustri et potenti domino, domino Roberto de la

Marche, domino de Sedan, necnon dominae Catarinae de Croy eius uxori, ac etiam liberis suis, ad instantiam abbatis de Elancio.

53. Ad idem, magistro Ioanni Doctrinelli, ecclesiae B. M. Remensis canonico, ad instantiam abbatis de Elancio.

54. Ad idem, pro nobili viro Anthonio de Loupam militi, et uxori eius, ad instantiam abbatis de Igniaco.

55. Ad idem, pro nobili domina Guillena de Largereyo, vidua dicti nobilis, ad instantiam abbatis de Igniaco.

56. Ad idem, illustrissimae dominae, dominae Philibertae de Lucenburgo, principissae Auraciae, necnon pro illustrissimo praepotenti domino, domino Philiberto eius filio, ad instantiam abbatis de Monte Sanctae Mariae.

57. Ad idem, Sebastiano Liniet, uxori eius et liberis, ad instantiam abbatis de Sancto Sebastiano in Urbe.

58. Ad idem, pro illustrissima domina, domina Maria d'Albret, comitissa Nivernensi, necnon illustrissimo potentique principe domino Francisco de Clèves, comiti Nivernensi, suo naturali filio, ad instantiam abbatis de Bonoradio.

CONTUMACES

59. Fratrem Ioannem Ardessay, monasterii B. M. de Moroliis, in Malleacensi dioecesi, primo citatum non comparentem, et ideo contumacem declaratum, ac denuo per litteras praesentibus annexas citatum et non comparentem, tamquam inobedientem, contumacemque et excommunicatum generale Capitulum declarat omnibus et singulis Ordinis sacerdotibus districte praecipiendo quatinus dictum fratrem Ioannem Ardessay inobedientem, contumacem et excommunicatum declarent, ac talem omnibus et singulis personis cum quibus conversatur, evitandum, verbaliter vel per affixionem denuntient.

60. Ad idem, de fratribus videlicet Ioanne Vielle, monasterii de Villanova professo, et Christoforo Malin, professo monasterii de Buzayo, qui legitime citati et vocati non comparuerunt, quorum excommunicationis declarationem et cognitionem totius causae abbatibus de Villanova et de Moroliis, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit in plenaria Ordinis potestate.

61. Non obstante cedula excusationis per abbatem de Sylvalata in Wasconia ad praesens generale Capitulum missa super excu-

satione non solutarum contributionum, praeteritis annis monasterio suo impositarum, idem praesens generale Capitulum ipsum declarat incurrisse censuras latas contra contributiones non solventes, in plenaria, *etc.*

PROCURATIO

62. Generale Capitulum abbatem de Igniaco fecit, constituit et ordinavit, ac per praesentes fecit, constituit et ordinat verum, certum, legitimum et indubitatum totius Ordinis procuratorem, syndicum, economum, negotiorumque gestorem, factorem et nuntium specialem et generalem ... *etc. ut in forma consueta.*

* * *

63. Quia propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1506, *n*º 30.

1529.

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli anni Domini 1529.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, s. th. pr., de Voto, s. th. pr., de Buxeria Eduensi, de Monte S. Mariae, de Oliveto, monasteriorum abbates; de **Firmitate**, de Maceriis, de Curia Dei, de Claroloco, de Eleemosina, monasteriorum abbates; de **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Quinciaco, de Bellobecco, de Belloloco, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Longovillari, s. th. pr., de Ursicampo, de Longovado, de Igniaco, monasteriorum abbates ; de Belloprato in Lotharingia, s. th. pr., loco domini **Morimundi**, de Rigniaco, de Belloprato Belvacensi, de Frigidomonte, de Bullencuria, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Miratorio, de Charmeya, de Theoloco, de Caherio, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : dominus de Claravalle, de Caroliloco,s. th. pr., de Bonoradio, de Charmeya monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

1529. *Fontes* : *A*[4] : 14, 15, 25, 27 ; *L*[6] : A, B, 1-57 ; *M* : 8 ; *P*[2] : 1, 7, 8, 9, 11, 12, 13, 24.

PROMOTOR CAUSARUM : frater Petrus Ramaille, s. th. pr., provisor collegii S. Bernardi Parisiensis.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Barbello, de Charmeya, de Aceyo, monasteriorum abbates.

NOTARII ABBATES : de Bonoradio, de Septemfontibus, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Miratorio, de Barbello, de Aceyo, de Bithania, de Lesinis, monasteriorum abbates.

NOTARII AD PEDES : fratres Ioannes de Orgeleto, Ioannes de Belna, professi Cistercii.

* * *

B) Nomina abbatum praesentis generalis Capituli : Reverendissimus dominus Cisterciensis, s. th. pr., de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle, de Belloprato in Lotharingia, s. th. pr., loco domini Morimundi, de Voto, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Maceriis, de Curia Dei, de Bonoradio, de Igniaco, de Ursicampo, de Longovado, de Septem fontibus, de Miratorio, de Monte S. Mariae, de Aceyo, de Rigniaco, de Bellobecco, de Claroloco, de Frigidomonte, de Bullencuria, de Eleemosina, de Barbello, de Quinciaco, de Belloloco, de Belloprato Belvacensi, de Buxeria Eduensi, de Charmeya, de Oliveto, de Theoloco, de Caherio, de Bithania, de Lesiniis : 35.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono, die vicesima septima mensis aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Clemente... *etc* : P^2.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... *etc.* Cum totus Ordo noster ... *etc.* ... necnon in summa ... *(deest)* ... etc.

7. Nos, frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Ut laudabilis uniformitas tam in divino servitio quam cerimoniis hactenus observata semper in Ordine persistat, generale Capitulum filialem reverentiam matri nostrae Beatae Mariae cupiens iugiter exhibere, praecipit horas ipsius Beatae Virginis semper devote persolvi iuxta cærimonias, geniculationes et inclinationes in Cistercio consuetas ; similiter cantetur *Regina coeli* secundum Cistercii ritum nullas notas addendo, diminuendo vel immutando, nec vestis nostra talaris diversis coloribus seu variis superstitionibus conspergatur.

8. Et quia generale Capitulum graviter ferens difformitates et dissolutiones vestium ante et retro fissarum more saecularium, manicas latas habentium, iaquetarum fronsatarum, stramentorum lectorum et camisiarum de canabo et non de panno, contra formam Ordinis, necnon si fas est dicere, a pedibus usque ad verticem, id est a calceis fenestratis usque ad birreta latissima, ad instar pileorum more saecularium [c], de quibus hactenus plures factae sunt diffinitiones, quas nihilominus quidam abbates, licet forma gregis dicantur, spreverunt, omnibus et singulis abbatibus et prioribus Ordinis universi districte praecipitur, quatinus in praemissis delinquentes, se, suos religiosos et fratres, indissimulanter corrigant, et ne praedictis religiosis seu fratribus in praemissis occasio praevaricationis praebeatur, vestiarium aut stramenta lectorum de lana in pecunia nullatenus fratribus seu religiosis distribui faciant aut permittant, sed modus conficiendi praedicta vestimenta penes ipsos abbates et priores remaneat.

9. Capitulum generale videns nostrum sanctum Cisterciensem Ordinem ab obedientia, castitate et paupertate primitus exordium sumpsisse, nunc autem culpa superiorum laetaliter sauciatum vitiis oppositis, perditioni, nisi celeriter succurratur, proh dolor ! perditioni subiacere, compellitur ad ipsius Ordinis superiores et abbates verba dirigere, ipsos fraternaliter hortando et nihilominus sub poena divinae offensae districte monendo, quatinus ipsi suis inferioribus exemplum praebentes non praesumant deinceps certas commissariorum Ordinis de monasteriis visitatis sub colore

[c] stultorum : L^6Q^2.

paternitatis vel superioritatis tollere, abscondere vel auferre, nec super ordinatis aut praeceptis ipsorum commissariorum dispensare, liceat tamen ipsis commissariis propter certarum vel annexarum fastidiosam multiplicitatem suas patrum abbatum vel commissariorum certas aut annexas adimpletas auferre, patribus abbatibus autem liceat tantum suas certas et annexas post ipsarum adimpletionem deponere vel immutare.

10. Et quia praetextu peregrinationis, negotiationis, aut alterius coloratae excusationis, mulieres passim in locis regularibus et cameris seu domibus abbatum reperiuntur frequentare, in religionis evidentissimam exterminationem, omnium monasteriorum Ordinis abbatibus, prioribus et sacristis sub poena depositionis a suis officiis districte prohibetur, ne deinceps talia facere vel permittere praesumant. Abusum autem de contractibus inter abbates, conventus et monachos faciendis, necnon de grangiis seu metariis ad firmam vel alias concedendis, ac etiam institutionem diversorum et inutilium officiariorum in dimunutionem divini cultus, generale Capitulum aeterna clausura damnat, defendit et prohibet sub censuris Ordinis et aliis poenis per patres abbates et commissarios infligendis, quibus patribus abbatibus et commissariis praesentis diffinitionis executionem, ipsum generale Capitulum committit, in plenaria Ordinis potestate.

11. Ad tollendam omnimodam murmuris occasionem generale Capitulum decernit, interpretatur et declarat, quod annua capitularis lectio in Capitulo nostro generali de precibus et orationibus per universum Ordinem faciendis ex generali consuetudine, ac etiam diffinitio antiqui debiti, pro quo manet universus Ordo monasterio Cistercii obligatus, ex quo dicta lectio singulis annis fit coram omnibus abbatibus in dicto generali Capitulo existentibus censetur, habetur et reputatur satis et plusquam satis confirmata ; quod debitum si et in quantum opus est de novo Capitulum ipsum approbat, ratificat et confirmat.

12. Et quia generale Capitulum alias diffinivit, diffinitiones ipsius Capituli generalis nullius esse roboris, nisi fuissent vel essent in sequenti Capitulo confirmatae, praesens generale Capitulum decernit et declarat omnes et singulas Capitulorum generalium diffinitiones a viginti annis citra factas pro confirmatis et confirmatas, ac etiam ipsas, si et in quantum opus esset, confirmat, gratas et pro confirmatis reputat, ac si singulis annis confirmatae fuissent ; nisi tamen fuerint aliquae specialiter revocatae, vel sibi invicem contradicentes.

13. Generale Capitulum futura praevaricationis pericula vitare praetendens, diffinit et praecipit, quod singulis annis priusquam ad diffinitionum confectionem procedatur, coram Diffinitoribus omnibus legatur ad longum vel superficialiter libellus seu codex diffinitionum anni praecedentis.

14. Saecularium murmur generale Capitulum graviter et moleste ferens super devolutorum collationibus, districte prohibet omnibus et singulis patribus abbatibus, ac etiam quibuscumque commissariis, ne deinceps praesumant devolutum conferre, vel electiones confirmare vel infirmare, nisi prius de iure et genere vacationis debite fuerint informati.

15. Generale Capitulum certis rationibus diffinit, quod anno sequenti patres Ordinis Capitulum celebraturi feria tertia post dominicam de *Cantate*, Divionem mane egredientes Cistercium intrabunt.

DIFFINITIONES SPECIALES

16. Super supplicatione abbatis de Caherio continente requestam domini Ioannis Lalement sacerdotis, volentis fundare et statuere missam septimanalem perpetuam in praedicto monasterio de Caherio, pro summa octo librarum annualium distribuendarum et recipiendarum per religiosos modernos et futuros dicti monasterii de Caherio, generale Capitulum annuit praedictae petitioni, dummodo praedictus redditus recipiatur et exponatur ad discretionem dicti abbatis de Caherio nostrae sacrae religionis habitum gerentis, aut alias dicti loci prioris et conventus.

17. Supplicationem magistri Francisci Marsot continentem locationem ad vitam domus existentis in collegio Parisiensi, in porta ipsius collegii, generale Capitulum committit abbati de Caroliloco, et fratri Petro Ramaille provisori, s. th. pr. terminandam, confirmandam vel infirmandam, in plenaria, *etc.*

18. Piae petitioni religiosarum abbatissae et conventus monasterii de Isles, iuxta civitatem Antissiodorensem, generale Capitulum favorabiliter annuens concedit, ut fundationem anniversarii dominae dotariae de Saignelay admittant et recipiant.

19. Super abbatis et conventus monasterii de Ursicampo supplicatione de quibusdam terris parvi valoris, ut dicebant, in episcopatu Belvacensi situatis ad censum perpetuum tradendis, generale Capitulum dominum abbatem de Claravalle, necnon abba-

tem de Caroliloco, s. th. pr., et eorum quemlibet in solidum, committit ad informandum et referendum.

20. Generale Capitulum abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Claromarisco, et cuilibet eorum in solidum, committit, quatinus super obligatione testamentaria et voluntaria fundatione per bonae memoriae Robertum Ravel et Ioannam eius consortem, monasterio de Caricampo facta inquirant et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

21. Generale Capitulum condescendens supplicationi abbatis de Ponte alto annuit, ut eius monasterium taxatum pro contributionibus ad summam viginti quatuor libr. turon. pro anno praesente 1529 sit quittum pro summa sexdecim libr. turon.

22. Generale Capitulum informatum super incarceratione quorumdam fratrum seu religiosorum monasterii de Nigrolacu, in carceribus officialis Bituricensis, abbati dicti monasterii de Nigrolacu sub poenis et censuris Ordinis districte praecipit, ut ipsorum suorum religiosorum liberationem, restitutionem seu eductionem taliter prosequatur quod extra vincula seu carceres saeculares eripiantur; huius diffinitionis executio abbatibus de Pratea, de Oliveto, et eorum cuilibet in solidum, committitur, in plenaria, *etc.*

23. Abbatissa monasterii Sancti Sigismundi accusata diversis causis coram abbate de Ponte alto, patre abbate dicti monasterii S. Sigismundi, ab eo appellans et ab eodem suo patre abbate ad praesens Capitulum citata non comparens, declaratur contumax, eidem abbati de Ponte alto districte praecipiendo ut coeptum processum contra dictam abbatissam viriliter usque ad depositionem inclusive prosequatur, necnon ipsam et religiosas dicti monasterii in sancta reformatione et observantia regulari vivere efficaciter compellat, in plenaria, *etc.*

24. Ad tollandam fastidiosam diffinitionum confusionem et ipsarum diffinitionum recollectionem, coadunationem et coaptationem iuxta materiarum exigentiam, generale Capitulum committit fratrem Ioannem Bartholomeum, religiosum de Longovado, s. th. pr., assumpto secum aliquo monasterii Cistercii religioso, ad videndum, recolligendum, et ad quemlibet libellum redigendum diffinitiones Ordinis tum generales quam speciales, quae Ordinis utilitatem et commodum vel personarum eius directionem respiciunt vel concernunt; expensarum, in praedicto negotio faciendarum taxa penes patres Ordinis remanente.

25. Abbati de Bellobecco ad instantiam promotoris causarum

citato et comparenti, iniungitur et districte praecipitur vicariatum domino episcopo Ambianensi datum coram notariis revocare, et donec Rmum D. Cistercii monuerit, super ipsius revocatione facta, extra abbatis stallum omni sexta feria permaneat.

26. Innocentia christiana simplicitati monasticae necessaria edocta a Domino ferientes non referire, et laedentibus non resistere, sanguinem exhorrescit, et eorum praesertim laesioni compatitur, quos sacrae religionis zelus laboribus absumpsit, et devotae reformationis fervor ad funesta pericula inclinavit. Quapropter praesens generale Capitulum de infamato et passim divulgato rumore informatum super homicidio et suffocatione sororis Franciscae de Viry, abbatissae monasterii monialium de Villaribus, et ad relationem abbatis de Caroliloco, Rmi D. abbatis Cistercii commissarii, visis informationibus per eum factis, confessione monialium spontanea, dictae moniales ad perpetuos carceres condemnat in pane doloris et aqua angustiae, ut ibi peccata defleant et divini iudicii misericordiam lugentes expectent, salva Rmi D. Cistercii gratia, eidem abbati de Caroliloco iniungendo, ut de ceteris monialibus praefati monasterii de Villaribus, quae nondum confessae sunt diligenter informet, corrigat, puniat et emendet ; alias autem quas ad confessionem inducere nequiverit, quia verisimile est, eas tanto crimini consensisse, ad horrendi sceleris detestationem ad praedictum monasterium de Villaribus sine Capituli generalis auctoritate nullatenus remittat et reducat, sed in praefatis et ea concernentibus secundum quod iuris invenerit esse et rationis provideat ; abbatissam modernam praedicti monasterii de Villaribus ad persolvendum quotannis abbatissis, ad quas moniales praedicti monasterii de Villaribus sunt emissae, pro singulis decem librarum turon. summam compellendo, in plenaria, *etc.*

27. Capitulum generale informatum de scandalis quae provenerunt ex contentione super officio prioratus monasterii Savigniaci, inter fratres Ambrosium Perret et Andream Pothier, et obviare volens ne similia vel deteriora de cetero propter hoc contingant, in Dei offensam et animarum salutem, praedictos fratres et eorum quemlibet et huiusmodi officio prioratus penitus absolvit eisque et eorum cuilibet districtissime sub poenis et censuris Ordinis inhibendo, ne de huiusmodi officio quoquomodo se intromittant, saltem donec et quousque per eum vel eos, ad quem seu quos spectare poterit, aliter fuerit ordinatum. Istorum autem si-

gnificationem et executionem primo abbati aut religioso Ordinis sacerdoti super hoc rogato committit.

28. Generale Capitulum ad Dei gloriam et sacrae religionis integritatem in Domino congregatum, volens sanctae reformationis puritatem servari, et vitiorum spinis Ordinis nostri agrum in simplicitatis solo a patribus excultum diligenter purgari, iuxta illustrissimae et religiosissimae principissae dominae Margaritae archiducissae Austriae, cui pro pio in Dei et religionis suae honorem affectu gratias et preces debet, zelum et intentionem, reformationem per abbatem de Claromarisco in monasterio monialium de Belloprato factam, laudat et approbat ; eidem abbati de Claromarisco et abbatibus de Boneffia et de Caricampo et duobus eorum committendo, ut bene coeptae reformationis exordia continuent, visitent et reforment, et de controversia inter abbatem de Laude, Rmi D. N. commissarium et moniales praedicti monasterii, ac etiam de earum querimonia contra abbatissam et priorissam antedicti monasterii et ceteris, quae devoto huic reformationis beneficio prodesse aut obesse possunt, inquirant et secundum quod iuris esse compererint et rationis, provideant, in plenaria, *etc.*

29. Visa excusatione abbatis de Vallibus Sernay, in Parisiensi dioecesi, super infractione privilegiorum et libertatum Ordinis, ad instantiam promotoris causarum Ordinis ad Capitulum generale citati, auditaque eius purgatione et sponsione obediendi, praesens generale Capitulum praedictum abbatem ad praesens absolvit tantum, et quousque de factis per eum vel fiendis secundum litterarum excusationis suae tenorem, quod scripto promisit, opere compleverit, et super eis Rmum D. N. Cistercii certificaverit, eidem districte iniungendo, quatinus fratrem Petrum Bigno, monasterii sui religiosum, privilegiorum Ordinis infractorem, propter iuris, quod in monasterio de Trappa praetendebat, personae quae non est de Ordine resignationem et cessionem, capitulariter inhabilem ad quaecumque Ordinis officia, poenas et censuras Ordinis incurrisse sigillatim, secundum quod in statutis Ordinis continetur, declarat, in plenaria, *etc.*

30. Stabilitati monasticae generale Capitulum volens providere, ne regularibus Ordinis personis evagandi materia praestetur, audita supplicatione fratris Petri Teffre, monachi monasterii de Longovillari, petentis iuxta diffinitionem in congregatione Parisiensi novissime factam, aut a praedicto abbate suo recipi aut sibi de decem libris turon. pro manutenentia sua in aliquo alio

Ordinis monasterio provideri, ne ei et ceteris Ordinis personis regularibus vagandi per saeculum materia praestetur, sed promissae stabilitatis integritas conservetur, abbati de Longovillari, s. th. pr., ordinat et iniungit, quatinus aut praedictum fratrem Petrum Teffre infra festum Nativitatis beati Ioannis Baptistae, salva Ordinis disciplina, recipiat, aut ei de alio monasterio in quo debito stabilitatis votum conservet, provideat, in plenaria, *etc.*

31. Iuxta diffinitionem in congregatione Parisiensi anno novissime elapso factam, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum miseriae fratrum Theobaldi du Vergier, Guillelmi Degault, Guillelmi Robino et Francisci Quenaye, more errantium ovium pastore destitutarum, contra promissae stabilitatis votum extra proprium monasterium, non sine salutis suae periculo vagantium, et non habentium, ubi se possint recipere ob commendatarii monasterii de Precibus, in quo professi sunt, resistentiam, qui monitus desolatarum animarum salutem neglexit, et eos suscipere recusavit, praesens generale Capitulum ad honorem Dei et animarum requiem congregatum, praefatis fratribus de remedio volens providere opportuno, abbatibus de Langoneyo, de Bona requie et de Veterivilla, et cuilibet eorum committit et iniungit, quatinus commendatarium de Precibus, priorem, subpriorem et alios praedicti monasterii officiarios ad praedictos fratres Theobaldum du Vergier, Guillelmum Degault, Guillelmum Robino et Franciscum Quenaye, ne evagentur amplius, sed stabiles permaneant, in societatis suae consortium suscipiendum, recipiendum et admittendum, aut eis de benivolis in Ordine abbatibus providendum, a quibus infra festum B. M. Magdalenae recipiantur, et eisdem abbatibus a quibus suscepti fuerint pro singulis praedictorum fratrum decem libr. turon. summam in terminis vel termino per praedictos abbates commissarios exprimendis persolvendum, per omnes iuris et iustitiae vias sub poenis et censuris Ordinis cogant et compellant, in plenaria, *etc.*

32. Audita supplicatione fratris Claudii de Bruel, monasterii Savigniaci expresse professi, petentis sibi ob multa animae suae et corporis pericula, quorum si permaneret in praefato monasterio sibi, ut asserit, timeret naufragium, dari licentiam in aliquo Ordinis monasterio ubi benivolum abbatem invenerit, recipiendi se, et illic si casus se obtulerit secundum Ordinis statuta profitendi, aut si hoc commode fieri non posset, in aliquo Ordinis beatorum patrum Benedicti aut Augustini monasterio regula-

rem professionem emittendi, domino abbati de Claravalle generale Capitulum committit, ut secundum quod animae praedicti fratris Claudii saluti expedire intellexerit, provideat et indulgeat.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

33. Ad relationem domini abbatis de Firmitate praesens generale Capitulum electionem, institutionem et installationem de persona fratris Iuliani de Aultreyo, praesidente in ea domino abbate de Morimundo, patre abbate, ad abbatialem dignitatem monasterii de Theoloco, Ordinis nostri Cisterciensis in dioecesi Lingonensi, rite et canonice per monachos eiusdem monasterii ... *etc.* approbat *etc.* supplendo, *etc.*

34. Provisionem, institutionem et promotionem de persona fratris Marci Cussement ad abbatialem dignitatem monasterii de Bellavalle in Bisuntinensi dioecesi, ad relationem abbatis de Voto, s. th. pr., et abbatis de Monte Sanctae Mariae, prout in instrumento, cui praesentes annectuntur, *etc.* approbat, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

35. Abbatibus de Monte Sanctae Mariae et de Aceyo, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam contractu inter potentem dominam Annam de Novocastro ex una, et abbatem et conventum de Lococrescenti ex altera partibus, ratione cuiusdam iuris iustitiae et altioris dominii, prout in litteris super hoc confectis, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, inito et passato, inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

36. Praesens generale Capitulum visa diligenti inquisitione per abbates de Bullencuria et de Ripatorio ad hoc, super quodam contractu inito et passato inter dominum abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Christoforum Lefebure ex altera partibus, specialiter deputatos facta, ad eorum relationem praedictum contractum tamquam utilem et commodum, prout in eorum inquisitione et litteris super hoc confectis, plenius continetur, ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

37. Abbatibus de Charitate, de Quinciaco et de Aceyo, et eorum cuilibet in solidum generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum de Caroloco ex

una, et Franciscum de Montfort ex altera partibus, ratione quarumdam terrarum tam cultarum quam incultarum, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, inito et passato, de commodo vel incommodo monasterii inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

38. Tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Quinciaco, Ordinis nostri Cisterciensis, in Lingonensi dioecesi, ex una, et Ioannem Sceler ex altera partibus, initum et passatum, visis informationibus factis per abbatem de Charitate prope Lezinas ad hoc specialiter deputatum, ad eius relationem, tamquam utilem et commodum, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

39. Abbatibus de Quinciaco et de Charitate prope Lezinas committitur, quatinus super contractibus inter abbatem et conventum monasterii de Fonteneto, Ordinis nostri Cisterciensis in dioecesi Eduensi, ex una, et Nicolaum Malachim, item dominum Claudium Marlet presbyterum, Theobaldum Brigaudet, Ioannem Quenyer, Petrum Quenyer, Claudium Quenyer, Petrum Quenyer iuniorem, Ioannem Monnyot, Ioannem Quenyer dictum Bontemps, Dyonisium Quenyer, Anthonium Quenyer, Petrum Monnyot, Petrum Quenyer dictum Bontemps, Henricum Labouquet, Desiderium Quenyer, Hugonem Nauldin, Claudium Nauldin, Ioannem Merlet seniorem, Ioannem Labouquet, Nicolaum Monnyot, Nicolaum Merlet, Claudium Quenier, Petrum Sernot, Ioannem Monguin Merlet, Ioannem Merlet, et Ioannem Merlet liberos et pupillos defuncti quondam Blasii et Petri Merlet parte ex altera, initis et passatis, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, de praedicti monasterii commodo vel incommodo inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

40. Tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Regalimonte, Ordinis nostri Cisterciensis in Belvacensi dioecesi, ex una, et priorissam et moniales Hospitalis seu domus Dei de Pontisara parte ex altera, ratione cuiusdam molendini, prout in litteris super hoc confectis, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, initum et passatum, ad relationem abbatis de Caroliloco, s. th. pr., specialiter ad hoc deputati, tamquam utilem et praedicto monasterio commodum, generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

41. Contractum abbatissae et conventus monasterii de Lilio, in dioecesi Senonensi, cui praesentes annectuntur, ad relationem abbatis de Barbello, generale Capitulum approbat, etc.

42. Generale Capitulum committit abbates de Ursicampo, de Caroliloco, de Frigidomonte, et quemlibet eorum in solidum, ad inquirendum et referendum de commodo vel incommodo super contractu abbatis de Belloprato Belvacensi, praesentibus annexo.

43. Generale Capitulum ad relationem abbatis de Lezinis, commissarii ad inquirendum super commodo vel incommodo contractus initi per abbatem et conventum de Quinciaco, cum Ioanne Verdelet, Ioanne Tinnerreau, Claudio Simplaire, Petro Simplaire et eorum consortibus, ratificat, approbat et confirmat.

44. Generale Capitulum committit abbates de Aceyo, de Septemfontibus, de Buxeria Eduensi, et quemlibet eorum in solidum, ad informandum, inquirendum et recognoscendum super contractu religiosarum abbatissae et conventus monasterii de Tardo, in dioecesi Lingonensi, de quibusdam grangiis dictis de Lamblain et de Treige, cum suis pertinentiis; et si praedictum contractum invenerint praedicto monasterio de Tardo damnosum, aut indebite contra *Benedictinam* et Ordinis statuta factum, ipsum cassent, annullent et revocent, ac per dicti loci abbatissam et conventum cassari, annullari et revocari, per omnes iuris et iustitiae vias, faciant et compellant, cum quibus abbatissa et religiosis de iuramento ratione dicti contractus praestito, dicti commissarii vel eorum unus dispenset, et eas Capituli generalis auctoritate absolvat.

45. Super contractu domini de Pontigniaco et eius conventus inito cum Margareta de Gribon dicta Lamye, vidua defuncti Guillelmi Fanteau, dum viveret mercatoris Antissiodorensis, generale Capitulum committit abbati de Rigniaco ad informandum et referendum.

IUDICES

46. Benignus favor iure eis impenditur, quorum diligentia communi Ordinis ministerio inservitur. Quapropter generale Capitulum ingrate eorum malitiae volens et incuriae obviare, qui debitas fratri Petro Damboise, monasterii de Fontanis albis professo, et collegii S. Bernardi Parisiis bursario, ratione bursae aut alterius rationabilis debiti occasione pecunias aut contemnunt aut nolunt persolvere, abbatibus de Carolicolo, s. th. pr. de Regalimonte et de Barbello, et eorum cuilibet in solidum, committit quatinus, auditis hinc inde partibus, si aliquas personas Ordinis eidem fratri

Petro in aliqua pecuniarum summa obligari, aut alias rationabiliter teneri compererint, ad solvendum per omnes iuris et iustitiae vias cogant et compellant, in plenaria, *etc.*

47. Audita supplicatione nobilis viri Claudii Devy, scutiferi, petentis abbatem de Caroloco, s. th. pr., ad solvendam summam 63 libr. compelli, quam ratione cuiusdam schedulae per praedecessorem suum fratrem Carolum de Baissey, ut asserit dictus Claudius, signatae, sibi ex transactione et, si licet diutius, transporto Nicolai Mounet deberi praetendentis; praesens generale Capitulum abbati de Roseriis, s. th. pr., et abbatibus de Charitate et Theoloco, et eorum cuilibet committit, quatinus auditis hinc inde partibus praedictum abbatem de Caroloco cogant aut absolvant, et per omnes iuris et iustitiae vias, usque ad diffinitivam sententiam inclusive procedant, in plenaria, *etc.*

48. Abbatibus de Longovillari, s. th. pr., de Regalimonte, de Barbello, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus si per instrumenta, seu alia fide digna testimonia, invenerint abbatissas de Lilio et Villaribus, aut earumdem abbatissarum conventus abbati de Caroloco, s. th. pr., vel eius monasterio, in aliqua pecuniarum summa vel alias teneri vel obligari, per omnes iuris et iustitiae vias cogant et compellant, in plenaria, *etc.*

EXCUSATIONES ABBATUM

49. Excusantur per abbatem Igniaci abbates de Signiaco, de Elancio, de Valle regis, de Bonofonte. — Excusatur abbas de Vallibus Sernay per litteras, quas misit ad Rmum D. N. Cisterciensem.

CONTUMACES

50. Praesens generale Capitulum visa citatione fratrum Francisci Regnart, prioris, et Ioannis de Layat, religiosorum de Rupibus, qui legitime citati coram praesenti Capitulo, ad instantiam domini abbatis de Pontigniaco, et per triduum expectati, et more solito proclamati, non comparuerunt, ipsos contumaces declaravit, et nihilominus regularibus personis Ordinis nostri, necnon aliis super hoc requirendis, mandat praedictos fratres Franciscum Regnart et Ioannem Layat citari ad futurum generale Capitulum

proxime venturum, ad ea quae contra eos obiicientur responsuros et procedi visuros, prout iuris fuerit et rationis.

51. Ad idem, de Abbatissa Sancti Sigismundi prope Orthesiam, in patria Bearnensi, appellante abbate de Ponte alto, patre abbate sui monasterii, citata et non comparente, prout amplius in octava diffinitionum specialium continetur *(cf. supra nº 23)*.

REHABILITATIONES

52. Ad instantiam abbatis de Longovillari, s. th. pr., supplicantis pro fratre Ioanne Le Clerc, monasterii de Caricampo, Ordinis nostri Cisterciensis, in Morinensi dioecesi, professo, qui suadente diabolo ultra tempus acceptae ab abbate suo licentiae novem aut decem diebus, praeter dicti abbatis assensum, intentionem et permissionem, cum quodam capitaneo belligeratore, cuius metu propter id non fuit punitus, in saeculo evagatus est et remansit, qui item tempore bellorum quemdam nomine Jampion spoliatorem firmarum et grangiarum ecclesiae, usque ad sententiam mortis inclusive prosecutus est, et ex procuratione illius irregularem se esse aut timet aut suspicatur. Qui etiam dum a Bolonia reverteretur, homicidio inter quosdam praedictos armigeros rixantes facto per apertionem fenestrae per quam vulnus mortale infligi vidit, interfuit, et paucis paulo post diebus, dum cum nonnullis sui abbatis servis quosdam sequentes militiam in grangiis monasterii hospitantes, ab eis revocare et eiicere vellet, orto inter eos dissidio et pugnae praesens fuit, ex quibus secutum subinde homicidium audivit, et his praecedentibus non obstantibus saepius sacra missarum solemnia celebravit, nec his omnibus contentus, abiecto regulari et assumpto saeculari habitu illicentiatus Romam adiit ; deinde ad cor rediens, reassumpto apud Cistercium habitu et repetito monasterio proprio punitus, correctus et emendatus est, et vitae emendatioris propositum in Domino servavit. Praesens generale Capitulum de sancta in Domino perseverantia confidens, ipsum eumdem fratrem Ioannem Le Clerc rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, abbatiali dignitate seclusa, in plenaria, *etc.*

SUFFRAGIA

53. Frater Guillermus, abbas Cistercii, *etc.* universis Christi fi-

delibus salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quia honesti viri Guillelmi Nilteaul, habitatoris de Marey, fide digno relatu, certam devotam et solemnem confratriam sanctissimi Urbani, episcopi et confessoris, in ecclesia parochiali sacrosanctae Virginis Mariae de Echeboto, fundatam esse didicimus. Idcirco nos, ad exaltationem et debitum cultum eiusdem sanctissimi Urbani totis concurrentes affectibus, cupientesque, ut dicta confratria iugiter perseveret, utque ad eam illius loci et circumvicinorum incolae devotius et avidius confluant, ad instantiam domini abbatis de Claravalle, et supplicationem eiusdem Guillermi nobis pro parte confratrum eiusdem confratriae humiliter exhibitam, omnibus et singulis, qui de bonis suis eidem confratriae et ad illius manutenentiam contulerint, et manus porrexerint adiutrices, plenariam concedimus participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc* ... in septennium .... *etc.*

54. Frater Guillermus, abbas Cistercii, *etc.* nobili viro Bartholomeo du Mas et Ioannae de Sincy eius consorti, ac Stephano et Bonae du Mas, liberis, sanctae devotionis suffragium salutare. Quamquam divinae legis ... *etc. ut in forma consueta,* exigente itaque piae devotionis affectu, quem ad ipsum Ordinem nostrum et solemne monasterium Cisterciense, matrem nostram, vos habere intelleximus, ad instantiam abbatis de Septem fontibus, vobis omnium bonorum spiritualium.... concedimus participationem, *etc.* Datum, *etc.*

55. Ad idem, ad instantiam domini abbatis de Claravalle, pro Hospitali sive Capella sancti Blasii super Pontem Desiderii.

56. Ad idem, ad instantiam praedicti domini abbatis de Claravalle, pro Capella Sanctae Mariae de Orbeyo, in dioecesi Nivernensi.

* * *

57. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*⁰ 30.

1530

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli anni Domini 1530.

Diffinitores : de **Cistercio**, s. th. pr., de Prulliaco, de Boheriis, s. th. pr., de Miratorio, de Pietate, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate** de Caroliloco, s. th. pr., de Maceriis, de Septem fontibus, de Sigilleriis, de Margana, monasteriorum abbates ; de **Pontignaco**, de Bonoradio, de Ioyaco, de Barbello, de Valle lucis, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Longovillari, s. th. pr., de Monte Sanctae Mariae, de Aceyo, de Cheminione, monasteriorum abbates ; de **Morimundo** , de Bellavalle, de Lococrescenti, de Lesinis, de Charmeya, monasteriorum abbates.

Confessores : de Lesinis, de Margana, de Charmeya, monasteriorum abbates.

Receptores excusationum : de Sigilleriis, de Cheminione, monasteriorum abbates.

Magistri caeremoniarum : de Claravalle, de Caroliloco, s. th. pr., de Bonoradio, monasteriorum abbates, et prior Cistercii.

Promotor causarum : Provisor collegii S. Bernardi Parisiis, s. th. pr.

Portarius diffinitorii : frater Ioannes Bartholomei, s. th. pr.

Notarii abbates : de Septem fontibus, de Bonoradio, monasteriorum abbates.

Auditores computationum : de Miratorio, de Aceyo, de Barbello, monasteriorum abbates, et quos Rmus voluerit deputare.

Notarii ad pedes : fratres Anthonius de Belna, Ioannes de Divione, Cistercii professi.

* * *

B) Numerus abbatum praesentis generalis Capituli. — Reverendissimus dominus Cisterciensis, s. th. pr., de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Longovillari, de Caroliloco, de Boheriis, de Maceriis, de Prulliaco, de Bonoradio, de Septem fontibus, de Pietate Cenomanensi, de Miratorio, de Valle lucis, de

---

1530. *Fontes* : A^4 : 11, 12 ; L^6 : A, B, 1-72 ; P^2 : 1, 8, 9.

Sigilleriis, de Barbello, de Aceyo, de Monte Sanctae Mariae, de Margana, de Lococrescenti, de Bellavalle,de Ioyaco,de Charmeya, de Cheminione, de Lesinis.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo trigesimo, et die decima septima mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, abbas Cisetrcii, *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 9101 libr. 16 solid. 8 denar. turon. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni Domini 1350, ... etc.

7. Nos, frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Diffinitiones anni praeteriti praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat.

8. Generale Capitulum post diffinitionum collectionem ad ipsarum adaptationem et aliquarum resecationem, propter ipsarum discordias, abbates de Caroliloco, de Longovillari, s. th. pr., et de Bonoradio, necnon fratres Ioannem Bartholomei de Longovado, et Petrum Ramaille de Cistercio religiosos, et s. th. pr., deputat et ordinat.

9. Cum anno praecedenti generale Capitulum statuerit et districte prohibuerit patribus abbatibus, atque eorum commissariis, ne deinceps electiones confirmarent super vacantibus monasteriis, nec devoluta conferre praesumerent, nisi prius de iure vel genere vacationis plenius informati fuissent, praesens generale

[a] *Titulus apud L*[6]. [b] Sub Clemente... *etc* : *P*[2].

Capitulum huiusmodi diffinitioni superaddit, quod huiusmodi praeceptum extenderetur ad quoscumque superiores.

10. Licet ipsum generale Capitulum anno praecedenti statuerit, ut hoc anno praesenti Capitulum ipsum feria tertia post dominicam de *Cantate* certis causis celebraretur, nihilominus ipsum praesens generale Capitulum statuit et ordinat ipsum Capitulum deinceps celebrari feria secunda post dominicam de *Cantate*, sicut fieri solebat.

11. Quia vacantibus monasteriis, religiosi vacantium monasteriorum ad futurorum abbatum electionem procedentes, frequenter indigent patrum abbatum seu commissariorum in electionibus praesidentium salutari directione, generale Capitulum ipsos patres abbates seu commissarios hortatur et admonet, ut ipsos religiosos, quanto sollicitius poterunt, inducant ad personas benemeritas, virtuosas, litteris et doctrina divina refertas et insignitas eligendum; et per vias Spiritus Sancti vel compromissi procedendum, ne per viam scrutinii procedentes monasteria processibus involvant, et rapacium morsibus luporum prostituant.

12. Capitulum generale nuper informatum de saecularium personarum, tam nobilium quam gentium armatorum, timoratione et introductione pro futuri abbatis creatione, per monachos Ordinis in maximam dictorum monachorum praesumptionem, statutorum nostrorum et sacrorum canonum infractionem, ipsum generale Capitulum patribus abbatibus ac ipsorum commissariis districte praecipit, quatinus praeceptum seu statutum antiquum *Libelli diffinitionum*. Dist. VIII, faciant ab omnibus inviolabiliter observari, religiosos in talibus praevaricantes graviter puniendo, privando a iure electionis, et monasterii vacantibus, in quibus sic praevaricant, iure devoluto et ordinario, si viderint expedire, providendo.

13. Cum succrescentibus in dies vitiorum tribulis, et spinis haeresum, unitas Ordinis et sanctae religionis observantia olim in charitate radicata, misera hac tempestate exaruerit, et obstante dierum malitia commode hactenus non potuerit adiuvari; praesens generale Capitulum, mutata temporum conditione, de benigno christianissimi domini nostri regis, et Rmi domini Legati in Francia, ceterorumque christianae religionis principum favore confidens, et promptum sperans auxilium, volensque paterne ac diligenter divini honoris cultui et desolatae religionis nostrae statui providere, et per eos praesertim a quibus plantationis suae

sumpsit exordium, Rmum D. N. Cisterciensem reverenter deprecatur et rogat, ut hoc anno ad provincias Franciae, Normanniae, Picardiae, Campaniae, Flandriae et adiacentium nationum accedat, et eas tam sua quam Capituli generalis, qua plenarie, maxime ipso non sedente, potestate fungitur, visitet et reformet; insuper domino abbati de Pontigniaco in provinciis Nivernensi, Antissiodorensi, Bituricensi, Turonensi, Andegavensi, Pictaviensi et Britanniae; item, domino abbati de Claravalle in provinciis Borbonii, Alverniae, Foresii, Lemovici, Ruthinii, Albigii, Linguae occitanae et Vasconiae; item, domino abbati de Morimundo in provinciis Lotharingiae, comitatus Burgundiae, Sabaudiae, Delphinatus et Provinciae, ceterisque adiacentibus, prout in litteris et commissionibus super hoc conficiendis plenius continebitur, idem visitationis et reformationis negotium viriliter exsequantur, iniungit, praecipit et committit, in plenaria, *etc.*

14. Generale Capitulum moleste ferens abbatum in Capitulis generalibus comparere negligentium inobedientiam, omnibus et singulis commissariis, tam visitatoribus quam contributionum collectoribus, districte praecipit, quatinus omnes et singulos Ordinis abbates ad proximum generale Capitulum citent, et nisi comparuerint, eos censuras Ordinis incurrisse pertimescant.

15. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*o 30.

CONTRACTUUM CONFIRMATIONES

16. Generale Capitulum contractum abbatissae de Lilio cum Nicolao Piloust, receptore Melduni, factum praesentibus annexum, Rmo D. N. Cisterciensi reverenter remittit confirmandum vel infirmandum.

17. Visis informationibus abbatis de Aceyo, commissarii in hac parte, super commodo vel incommodo tractatus initi inter potentem dominam, dominam Annam de Novocastro ex una, et abbatem et conventum monasterii de Locoscrescenti partibus ex altera, praesens generale Capitulum ipsum contractum et eius litteras approbat, ratificat et confirmat.

18. Abbatibus de Chalocheyo, de Bellabrancha, de Claritate, de Tironello, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit negotium seu informationes contra fratrem Ioannem Chopelin, religiosum monasterii de Pietate Dei Ceno-

manensi, eisdem abbatibus praecipiendo, quatinus eiusdem fratris processum usque ad diffinitivam sententiam inclusive tractent et deducant, in plenaria, *etc.*

19. Visis supplicatione abbatis et conventus de Ursicampo de terris ad censum tradendis, et informationibus domini abbatis Claraevallis commissarii in hac parte, quibus informationibus et commissioni praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum ad relationem praedicti domini Claraevallis, dicto abbati de Ursicampo et eius conventui concedit, ut iuxta supradicti domini Claraevallis informationem, antedictas terras ad censum perpetuum tradant, in plenaria, *etc.*

20. Abbatibus de Bonoradio, de Rigniaco, et cuilibet eorum in solidum, generale Capitulum committit, quatinus super quodam contractu inter Ludovicum Tricolet, procuratorem practicum in civitate Antissiodorensi ex una, et abbatissam et conventum monasterii de Insulis iuxta Antissiodorum partibus ex altera, facto et inito cui praesentes annectuntur, inquirant et proximo generali Capitulo referant.

21. Super contractu domini de Pontigniaco et eius conventus inito cum Margareta de Gribon, dicta Lamye, vidua defuncti Guillemi Tauleau, dum viveret mercatoris Antissiodorensis, generale Capitulum committit abbates de Marcilliaco, de Lezinis, et quemlibet eorum in solidum, ad informandum et referendum.

22. Domino abbati de Claravalle committitur, quatinus super contractibus inter abbatem et conventum monasterii de Fonteneto, Ordinis nostri Cisterciensis in Eduensi dioecesi, ex una, et Nicolaum Malachim, item, dominum Claudium Mariet, presbyterum, *etc. ut in anno* 1529, *n*° 39.

23. Visis accordo per dominum abbatem et conventum Claraevallis cum magistro Anthonio Moreau, priore commendatario prioratus de Colombeyo ad duas ecclesias, cui praesentes annectuntur, necnon litteris regiis designantibus rem transmutatam fuisse contentiosam ; ac etiam informationibus de commodo vel incommodo per abbatem de Longovado, commissarium in hac parte, factis, generale Capitulum accordum huiusmodi seu litteras escambii, prout dictae litterae continent, approbat, ratificat et confirmat.

24. Abbatissae de Insulis iuxta Antissiodorum petitioni generale Capitulum favorabiliter annuens concedit, ut ipsa per do-

minum episcopum Antissiodorensem, aut eius suffraganeum, ecclesiam sui monasterii dedicari faciat.

25. Abbati de Prulliaco praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam contractu inter magistrum Matheum Pierre, Nicolaum Pierre et Petrum Foriot ex una, et abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti partibus ex altera, prout in litteris super hoc confectis, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, inito et passato, inquirat et proximo generali Capitulo referat.

26. Abbati de Prulliaco praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam tractatu inter Nicolaum Pierre ex una, et abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti partibus ex altera, prout in litteris, *etc. ut supra n*° 25.

27. Abbati de Caroloco, s. th. pr. praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam contractu seu escambio facto inter nobilem virum magistrum Ioannem Hannequin, consiliarium et dominum in Parlamento ex una, et abbatem et conventum monasterii de Ioyaco, partibus ex altera, prout in litteris, *etc. ut supra.*

28. Abbati de Prulliaco praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam escambio seu permutatione facta inter magistrum Anthonium Hodouart, in iuribus licentiatum, ex una, et abbatem et conventum de Vallelucenti ex altera partibus, prout in litteris, *etc. ut supra.*

29. Abbati de Boheriis, s. th. pr., et abbatibus de Signiaco, de Bonofonte, de Valle regis, et duobus eorum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super duobus contractibus, uno eorum inter abbatem et conventum monasterii de Ellancio ex una, et Anthonium et Ioannem Cherlie super grangia Laultrepe ex altera ; item, alio inter dictos abbatem et conventum ex una, et Ioannem Ramesson super grangia dicta la petite Thiene, ex altera partibus, initis et passatis, inquirant et proximo generali Capitulo referant.

30. Tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo ex una, et Ioannem Desgardins ex altera partibus, super datione in censum seu redditum perpetuum 71 et mediae mensurarum terrae campestris, prout in litteris super hoc confectis, quibus praesentes annectuntur plenius continetur, initum et passatum, praesens generale Capitulum, quia ex relatione abbatis de Longovillari, s. th. pr., ad hoc specialiter commissi, praefato

monasterio utilem reperit et commodum, approbat, ratificat et confirmat.

31. Domino abbati de Claravalle praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractibus inter abbatem et conventum monasterii de Fonteneto, in Eduensi dioecesi, ex una, et habitatores locorum dictorum Fontaines les sèches, Planoy Tringes ; item, inter eosdem abbatem et conventum ex una, et Nicolaum Colas ex altera partibus, ratione grangiarum et terrarum dicti monasterii in censum perpetuum annuum datarum, initis et passatis, inquirat et proximo generali Capitulo referat.

32. Domino abbati de Morimundo praesens generale Capitulum committit, quatinus super tractatu inter abbatem et conventum monasterii de Bellavalle ex una, et dominum Guidonem de Vers, iurium doctorem, ex altera partibus, prout in litteris, *etc. ut n*° 25.

33. Domino abbati de Claravalle praesens generale Capitulum committit, quatinus diligenti inquisitione praevia, tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Grandisylva, in dioecesi Tholosae, ex una, et nobilem virum Ioannem Verney, dominum de Palficot ex altera partibus, super quibusdam permutationibus sive excambiis, prout in litteris super hoc confectis quibus praesentes annectuntur, plenius continetur, initum et passatum, tam sua paterna quam Capituli generalis auctoritate confirmet aut infirmet.

34. Tractatum inter abbatissam et conventum monasterii monialium de Portu regio ex una, et nobilem virum Anthonium Juge, electum regium apud Constantiam ex altera partibus, super excambio seu permutatione aliquorum censuum et reddituum annuorum, prout in litteris super hoc confectis quibus praesentes annectuntur, plenius continetur, initum et passatum, ad relationem abbatis de Caroliloco, s. th pr., praesens generale Capitulum approbat et confirmat.

35. Ad idem, de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo, et Andream Morel, de centum sex mensuris, sexaginta virgis terrae campestris, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat.

36. Ad idem, de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo et Firminum Flavien, de 46 mensuris terrae, prout in litteris, *etc. ut supra n*° 35.

37. Ad idem, de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo et Philippum Leclerc de 16 mensuris terrae vel eo circa, prout in litteris, *etc. ut supra*, nº 35.

38. Ad idem, de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo et Ioannem Lejosne, de 35 mensuris, ut supra, prout in litteris, *etc. ut supra nº* 35.

39. Ad idem, de tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo et Ioannem Damiens de 114 mensuris terrae, *etc. ut supra nº* 35.

[DIFFINITIONES] SPECIALES

40. Quoniam non est alligandum os bovi trituranti, et eorum decet precibus benigne annuere quorum laboribus observantiam monasticam comperitur adiuvari ; praesens generale Capitulum audita supplicatione abbatis de Boudelo, petentis impensas, quas pro tuitione privilegiorum et libertatum Ordinis, in provisione monasterii monialium de Oostecloo non sine magnis sudoribus, charitative expendit, refundi, pium affectum et laboriosum agonem commendat praedicti monasterii de Oostecloo abbatissae rationabilium expensarum refusionem iniungendo, abbatibusque de Dunis et de Capella Thosan, et eorum cuilibet in solidum committendo, quatinus in dictarum expensarum refusione et persolutione dicti monasterii abbatissam per omnes iuris et iustitiae vias cogant et compellant.

41. Attentis publicis et privatis Ordinis necessitatibus, non potest ad praesens generale Capitulum in subsidii subventione et totali a contributionibus supportatione supplicantibus auxiliari, diminutionem autem praedictarum contributionum Rmo D. Cisterciensi brevi partes Flandriae adituro et eius ordinationi reverenter remittit ; et hoc fuit responsum abbati et conventui de Dunis.

42. Quoniam iuxta commissionem abbati de Gratiis in Anglia novissime directam, diligentiae suae testimonium nec praeterito nec praesenti Capitulo exhibuit, tenoremque ipsius ex neglecta revocata sit et annullata, praesens generale Capitulum, in quantum opus est, eamdem denuo revocat et annullat, primo commissario in ea provincia a generali Capitulo deputando, districte iniungendo, quatinus praedictum abbatem de Gratiis, aliosque Ordinis commissarios, qui antea contributionum colligendarum commis-

sionem habuerunt, ad computum integrum et earum refusionem cogat et compellat.

43. Supplicationi abbatis de Vallelucenti, in Senonensi dioecesi, desiderantis, relicta Martha, secus pedes Domini sedere, et ut ad id expeditius facere possit, petentis iuxta privilegia generali Capitulo indulta, retenta ad vitam aliqua gratiosa pensione, licentiam resignandi sibi concedi, praesens generale Capitulum, quoniam eam rationabilem, dicti supplicantis quieti, et monasterii praefati securitati, commodam comperit, benigne annuit ut fructuose de praedicto monasterio alicui Ordinis religioso professo presbytero, et regimini animarum idoneo cedere et resignare possit, retenta si placuerit, ad vitam dumtaxat super fructibus dicti monasterii gratiosa aliqua pensione.

44. Quoniam per diffinitiones in Parisiensi congregatione et generali Capitulo novissime factas, abbati de Langoneyo commissum fuerat et iniunctum periclitantibus sine pastore fratribus Theobaldo du Vergier, Guillemo Degault, Guillelmo Robino et Francisco Quenaye professis monasterii de Precibus, in Venetensi dioecesi, de certae stabilitatis loco providere, et Capituli generalis auctoritate eosdem proprio monasterio reintegrare, nec fuerit hactenus a commendatario dicti monasterii de Precibus et officiariis obeditum, in grave animarum periculum et Ordinis totius irreverentiam, praefato abbati de Langoneyo denuo praesens generale Capitulum committit, praecipit et iniungit districtius, quatinus per se vel alium committendum, dictos religiosos ad dictum monasterium de Precibus reducat vel reduci faciat, dictum commendatarium, officiarios et monachos tam dicti monasterii ad receptionem eorum et debitam more Ordinis tractationem, sub poenis et censuris Ordinis, et aliis quibuslibet iuridicis viis, cogat et compellat.

45. Audita supplicatione fratris Guillemi de Perona, religiosi professi monasterii de Floregia, alias de Thoroneto, in Foroiuliensi dioecesi, praesens generale Capitulum attentis zelo eius, et laboribus supremaeque curiae Aquensis arresto, ipsum eumdem in prioris officio in eodem monasterio permanere diffinit et ordinat, donec et quousque per dominum abbatem de Morimundo, eiusdem Capituli generalis in illis partibus commissarium, cui visitationis negotium, quanto citius fieri poterit, exsequi iniungitur, provisum fuerit.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

46. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Ioannis de Lannoy ad abbatialem dignitatem monasterii de Alna, Cisterciensis Ordinis, in dioecesi Leodiensi, via compromissi, praesidente in ea domino abbate de Claravalle, praedicti monasterii de Alna patre abbate immediato, rite et canonice per monachos eiusdem monasterii factam et celebratam, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

47. Provisionem, institutionem et promotionem dignitatis abbatialis monasterii de Boheriis, in Laudunensi dioceesi, de persona fratris Balduini Demol, s. th. pr. per abbatem de Fusniaco, praedicti monasterii de Boheriis patrem abbatem immediatum, rite, *etc.* ut supra.

IUDICES

48. Cum exigente Ordinis disciplina, vitia impunita manere non debeant, ne defectu debitae correctionis, delinquendi malignis materia praestetur, praesens generale Capitulum informationes per abbatem de Tribus fontibus de persona fratris Amandi Daulnoy, religiosi monasterii de Cheminione, factas, eidem de Tribus fontibus tamquam praedicti monasterii patri abbati immediato, remittit, districtius iniungendo, quatinus secundum praedictarum informationum tenorem et rectae iustitiae censuram ad Dei gloriam et animarum salutem, Ordinisque nostri honorem, punienda puniat, et corrigenda ad sententiam diffinitivam usque corrigat.

49. Abbatibus de Ursicampo, de Valcellis et de Valle clara, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus si per scedulas, instrumenta, aut alia fide digna testimonia invenerint, aut alter eorum invenerit, fratrem Alexandrum Sellier, nuper competitorem abbatis moderni de Boheriis, fratribus Petro Clerlot et Ioanni Cape, in aliqua pecuniarum summa aut alias obligari, per omnes iuris et iustitiae vias cogant et compellant ad sententiam diffinitivam usque inclusive.

50. Ad idem, committitur abbatibus de Ursicampo, de Valcellis, de Valleclara, et eorum cuilibet in solidum, ad instantiam honesti viri Symonis de Guiencourt, hospitis magni griphonis in urbe Sancti Quintini, contra supradictum fratrem Alexandrum.

51. Ad idem, committitur supradictis abbatibus de Ursicampo, de Valcellis et de Valleclara, et eorum cuilibet in solidum, ad instantiam honesti viri agricolae Quintini Pelletier, dicti Lasseyeur, contra supradictum fratrem Alexandrum.

52. Ad idem, committitur abbati de Caroliloco, s. th. pr., et abbatibus de Regalimonte, de Barbello, et cuilibet eorum in solidum, pro fratre Ioanne de Lauduyno, collegii nostri S. Bernardi bursario.

EXCUSATIONES ABBATUM

53. De Recluso, de Tribus fontibus, de Altofonte, de Monasteriis, de Vallibus Sernay, de Monte petroso, de Moroliis, de Bullencuria, de Vallelucenti, de Pietate Dei, de Regalimonte, de Insulis, de Igniaco [abbates excusantur].

CONTUMACES

54. Praesens generale Capitulum visa citatione fratrum Francisci Regnard, prioris, et Ioannis de Layat, religiosorum monasterii de Rupibus, per magistrum Ioannem Sausot eorum procuratorem comparentium, contumaciam eorum usque ad proximum generale Capitulum suspendit ; interim abbatibus de Pratea, de Bonoradio, de Callovio et de Oliveto, et eorum cuilibet cum potestate substituendi committendo et districtius iniungendo, quatinus super causis citationis praedictorum fratrum et aliis contra eos obiiciendis, secundum quod iuris erit et rationis, auditis partibus terminent, iudicent et diffiniant.

REHABILITATIONES

55. Ad instantiam abbatis de Boheriis, s. th. pr., supplicantis pro sorore Ioannae de Renti, quae suadente diabolo, contagio carnis, puerperio inde secuto, polluta est, deinde ad cor rediens, poenitentia facta emendatioris vitae propositum servavit, praesens generale Capitulum de sancta eius perseverantia in Domino confidens ipsam eamdem rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa.

56. Ad instantiam abbatis de Longovillari, s. th. pr., supplicantis pro fratribus Ioanne Roussel, Adriano Damiens et Ioanne

Vary, eiusdem monasterii professis, qui suadente diabolo circa principium quadragesimae, relicto habitu regulari, apostataverunt, et in ea usque ad hebdomadam sanctam cum meretricibus impudice conversando, multa bona praedicti monasterii furtim rapuerunt, deinde ad cor veramque obedientiam redeuntes, poenitentiam iniunctam humiliter susceperunt, praesens generale Capitulum de sancta eorum perseverantia in Domino confidens, eidem abbati committit, quatinus si in reditu praestitae obedientiae et humilitatis perseverantes eos compererit, una cum pristino habitu Ecclesiae unitati et Ordinis saluti regularis disciplinae observantia restituat.

57. Ad instantiam abbatis de Longovillari, s. th. pr., et abbatis de Claromarisco, supplicantium pro fratre Roberto Pepin, qui iniuriis quorumdam militum ei muliebrem conversationem in taberna improperantium, ex causali morte eiusdem alterius militis, qui ab eo ad alios invadendos egressus occisus est, irregularitatem incurrisse pertimescit ; item, ex contagio carnis, puerperio inde secuto, apud abbatem suum diffamatus est ; deinde ad cor rediens, *etc. ut supra,* dignitate abbatiali inclusa.

58. Ad instantiam abbatis de Boheriis, s. th. pr., supplicantis pro fratre Andrea Clarembault, eiusdem monasterii professo, qui suadente diabolo et provocante temporis malitia, perpetratis pluribus excessibus tertio ad caedes et arma, quibus interfuit, debachantes milites secutus est ; item, bellorum tempore duabus subsequentibus concubinis, secuto inde puerperio, abusus est, una earum cum maximo scandalo ab armigeris de Guise, in praedicti monasterii dormitorio cum eo reperta ; item, Romam perrexit illicentiatus et per annum fugitivus in saeculo evagatus est ; item, tempore quo adhuc subdiaconus erat, in sua sede in ecclesia alium fratrem religiosum, ipsum irritantem cultello, licet sine magno vulnere, percussit ; item, sacerdos existens in cemeterio ipsius monasterii cum tuitione tamen sui corporis gravissimae caedi et effusioni sanguinis citra mortem interfuit, dein ad cor rediens poenitentiam, *etc.* rehabilitat, *etc.*

59. Ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., supplicantis pro sorore Maria Garnier, moniali monasterii de Portu regio, in Parisiensi dioecesi, quae suadente diabolo, contagio carnis, puerperio inde secuto, promissae continentiae votum violavit, deinde ad cor rediens, poenitentiam, *etc. ut supra.*

60. Ad instantiam domini abbatis Claraevallis et abbatis mo-

nasterii Vallis S. Lamberti, in Leodiensi dioecesi, fratrem Lambertum Pinni, dicti monasterii Vallis S. Lamberti religiosum, qui frequenter monasterium de nocte illicentiatus exivit, et de crimine furti convictus extitit ; qui tamen deprehensus poenitentiam egit et post carceres poenam corporalem sustinuit, ac ab illo tempore religiose conversatus est, generale Capitulum rehabilitat ad omnes Ordinis gradus et officia, dignitate abbatiali inclusa.

61. Ad instantiam praedictorum pro fratribus Gaudefrido, qui semel nocte monasterium exivit, et apostatavit, ac etiam pro Tossano de Flémalle, qui bina vice monasterium exivit et apostatavit, necnon pro fratre Ioanne de Hoio, qui bina vice monasterium exiens apostatavit.

62. Ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., supplicantis pro sorore Catharina Bouillard, religiosa monasterii de Ponte dominarum, in Meldensi dioecesi, quae defectu natalium ex soluto et soluta, irregularitatem contraxit, praesens generale Capitulum volens praedictae sorori bene coeptae conversationis excitare aculeum, et futurae spei impedimentum tollere, eam rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa.

63. Ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., supplicantis pro fratre Ioanne Gaultier qui contagio carnis pluries, puerperio inde secuto, pollutus est, et in irregularitate, quam ex enormi et notabilis saecularis personae vulneratione incurrerat, frequenter et per novem annos missarum solemnia celebravit ; item, quemdam confratrem suum sacerdotem ad sanguinem et pene mutilationem percussit ; deinde ad cor rediens, *etc.* rehabilitat, *etc.*

COMMISSIONES

64. Cum succrescentibus in dies vitiorum tribulis, unitas Ordinis et sanctae religionis observantia passim dissolvantur, generale Capitulum de benigno christianissimi domini nostri regis, et reverendissimi domini legati in Francia, ceterorumque christianae religionis principum favore confidens, et promptum ab eis sperans auxilium, dominum abbatem Pontigniaci, de cuius virtutibus confidit, ipsum generalem visitatorem et reformatorem in provinciis Nivernensi, Antissiodorensi, Bituricensi, Turonensi, Andegavensi, Pictaviensi et Britanniae, ac partibus vicinis et

adiacentibus, ac etiam aliis locis, per quae eumdem dominum abbatem Pontigniaci continget transitum facere, illuc eundo, vel inde redeundo, constituit. Eidem domino Pontigniaci in omnibus tam virorum quam monialium monasteriis, prioratibus, et aliis locis ab ipsis monasteriis dependentibus, eiusdem Ordinis Cisterciensis, in praedictis regno, comitatu, patriis, regionibus, dominiis, et locis adiacentibus situatis, auctoritatem conferendo visitandi et reformandi omnia et singula utriusque sexus monasteria, prioratus et loca ab eis dependentia, cuiuscumque generationis aut filiationis existant, ibidemque praefata Capituli generalis auctoritate corrigendi, puniendi, emendandi, instituendi et destituendi, tam in capitibus quam in membris, omnia et singula quae secundum Deum et nostrae religionis salutaria instituta iudicaverit esse visitanda, reformanda, corrigenda, punienda, emendanda, instituenda et destituenda, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Abbates quoque et abbatissas, commendatarios, priores et priorissas, ac officiarios quoscumque et officiarias quascumque, in omnibus praedictis monasteriis, si sua exigere videantur demerita, suspendendi, destituendi, deponendi, privandi, et alias secundum suorum qualitatem et exigentiam delictorum, puniendi ; necnon alios abbatas et abbatissas, priores, priorissas, administratores, officiarios et officiarias sufficientes et idoneos loco eorum et earum, iuxta patrum Ordinis salutaria decreta, substituendi et instituendi, ipsisque monasteriis qualitercumque vacantibus per electionem, confirmationem, aut aliam dispositionem seu iuris devoluti collationem providendi. Et si contingat in huiusmodi monasteriis electionem fieri, personas regulares ad effectum electionis activae vel passivae, prout viderit expedire absolvendi et rehabilitandi. Cessiones seu resignationes abbatum et abbatissarum, priorum et priorissarum admittendi et recipiendi, ipsis abbatibus et abbatissis, et aliis superioribus praedictis libere cedentibus ac benemeritis rationabiles pensiones super ipsorum monasteriorum fructibus assignandi. Abbates commendatarios ad tertiam partem fructuum monasteriorum sibi commendatorum in eorumdem reparationibus, aliam tertiam partem ad religiosorum sustentationem sufficientem, aliam autem tertiam partem in eleemosinarum et commendatariorum distributionem secundum monasteriorum facultatem exponendum compellendi. Fugitivos et fugitivas Ordinis personas capiendi et capi faciendi, incarcerandi et debite secundum Ordinis statuta et suorum exi-

gentiam delictorum puniendi, eosque suorum abbatum vel abbatissarum, commendatariorumque et aliorum praedictorum superiorum expensis ad propria vel alia monasteria Ordinis sive loca, secundum quod ipse viderit suarum saluti animarum expedire, remittendi, seu transmittendi ; processus eorumdem vel earum, et alias quascumque criminosas lites, querelas et controversias quaslibet inter personas Ordinis motas vel moveri sperandas pacifiandi, decidendi et plenarie terminandi. Abbates insuper tam regulares quam commendatarios, et abbatissas, priores et priorissas, non habentes competentem numerum personarum regularium, religiosorum videlicet et religiosarum ad ipsorum numerum ampliandum, habendum vel tenendum, iuxta valorem seu facultatem monasteriorum et locorum eorumdem compellendi. Quarum taxationem personarum penes praedictum dominum Pontigniaci reservat ; ipsos etiam abbates regulares et commendatarios praefatos ad scolarem seu scolares secundum apostolica et Ordinis statuta mittendum vel mittendos ad studia seu collegia bene famata, cum debitis provisionibus compellendi. Iura quoque et privilegia necnon quaslibet libertates et laudabiles Ordinis consuetudines per omnes iuris et iustitiae vias tuendi et defendendi ; personas regulares praefatorum monasteriorum et locorum sexus utriusque in foro conscientiae audiendi, et ab omnibus et singulis casibus, peccatis, delictis et criminibus generali Capitulo reservatis cum poenitentia salutari absolvendi ; easdemque personas etiam in foro exteriori a casibus quibuscumque eidem Capitulo reservatis absolvendi, rehabilitandi, et cum eisdem plenarie dispensandi ; et ubi non potest audiendis confessionibus eiusmodi vacare, abbatibus et religiosis Ordinis huiusmodi potestatem concedendi. Monasteriis et locis monialium de confessoribus, capellanis, procuratoribus, receptoribus et aliis officiariis idoneis et sufficientibus providendi, et insufficientes ac non idoneos deponendi et expellendi. Praefatorum quoque monialium monasteriorum abbatissas et religiosas iuxta formam capituli *Periculoso* recludendi, vivere faciendi et viriliter compellendi. Inobedientes vero et rebelles ad alia eiusdem Ordinis monasteria reformata expensis suorum monasteriorum transferendi, et alias earum loco substituendi ac introducendi. Necnon abbatissas et priorissas ad ipsas religiosas emissas recipiendum, et alias loco talium dandum et transmittendum compellendi. Computationes abbatum regularium, commendatariorum, abbatissarum et aliorum praedicto-

rum officiariorum monasteriorum, et locorum praedictorum exigendi, audiendi, approbandi vel reprobandi ; contractus seu tractatus post debitam inquisitionem per se, vel suos commissos, factam, confirmandi vel infirmandi. Et generaliter omnia alia ... *etc.* Invocato, *etc.* Omnibus igitur, *etc.*

65. Ad idem, pro domino abbate de Claravalle in provinciis Borbonii, Forestae, Alverniae, Lemovicinii, Petragorii, Ruthinii, Linguae occitanae, Vasconiae, dominiis Bigorrae et Biernae, et generaliter totius Acquitaniae ac partibus vicinis et adiacentibus, necnon in comitatu Fuxii et toto regno Navarrae, ac etiam aliis locis per quae eumdem dominum Claraevallis contingat transitum facere illuc eundo vel inde redeundo.

66. Ad idem, pro domino abbate Morimundi in provinciis Lotharingiae, Barri, comitatibus Burgundiae, Brixiae, Sabaudiae, Provinciae, Avinionis, Dephinatus, et aliarum adiacentium et intermarinarum nationum.

67. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, ... etc. Salus redemptarum pretioso Christi sanguine animarum, pastoralis curae observanda vigiliis, et ante divini tribunal iudicii de manu pastorum severo requirenda examine cum ea sincera, quae in Domino geri debet, charitate omnes admonet, ut non solum quae corporeis propinqua sunt oculis, sed terra marique distincta interioris oculi respectu curentur, et quae longius a paternae consolationis distant solatio, eo attentius habita temporum personarumque commoditate sollicitudinis debitae iuventur auxiliis. Eapropter generale Capitulum de negligentia abbatis de Melros in Scotia circa adimplendam novissime datam ei visitandi et reformandi in regno Scotiae commissionem,et totali illius tenoris omissione sufficienter certioratum timens diuturnae negligentiae silentio dilectas in Christo animas, ordinisque unitatem perditam iri, praefatam commissionem dicto abbati de Melros datam revocat et annullat, et abbatem de Valle Lucis, alias de Glenluce, de cuius virtutibus, litteris et morum probitate confidit, generalem visitaro remet reformatorem in praedicto regno Scotiae constituit, eidem abbati de Valle lucis in omnibus tam virorum quam monialium monasteriis, prioratibus et aliis locis ab ipsis monasteriis dependentibus, eiusdem Cisterciensis Ordinis, in praedicto regno Scotiae, ... *etc. ut supra in delegatione generali.*

68. Nos, frater Guillermus, etc. Cum in corpore physico singula membra mutuis deceat iuvari obsequiis, et unitatis virtus des-

tructis vitiis praevaleat, primi patres individuo charitatis glutino adunati mystico Cisterciensi corpori providere volens, annuam singulis Ordinis monasteriis contributionum taxam imposuerunt, ut emergentia in dies gravissima Ordinis onera facilius supportari possent. Hinc est quod praesens generale Capitulum neglectam plus aequo in regno Scotiae hactenus levandarum praedictarum contributionum solutionem debitam, volens unitati et obedientiae reducere, abbati de Valle lucis, alias Glenluce, de cuius discretione ac fideli diligentia plenam in Domino gerit fiduciam, tenore praesentium committit, et in virtute salutaris obedientiae districtius mandat, iniungit et praecipit, quatinus omni dissimulatione semota, ab omnibus et singulis monasteriis subscriptis summas contributionum, eisdem monasteriis impositarum, ac inferius annotatarum, necnon restas seu arreragia annorum praecedentium, si quae sint, per se vel ab eo deputandos petat, exigat, levet et recipiat, dando ac deputandis per eum auctoritatem dandi et expediendi bonas et validas quittantias de omnibus et singulis pecuniarum summis per eum seu deputandos ab eo occasione dictarum contributionum receptis. Contradictores vero ... *etc. ut in forma consueta*. Nomina monasteriorum praesentis commissionis cum taxis eorumdem quae secundum usum monetae gallicae intelliguntur haec sunt : de Melros 10 ducat. ; de Dondrenant 3 ducat ; de Newbotl, alias de Nova ocrea 3 ducat. ; de Kynlos 2 ducat. ; de Cupro 3 ducat. ; de Balmerinoch, 2 ducat. ; de Dyer filia Kynlos 1 ducat. ; de Culros, alias de Sancto Servano 2 ducat. ; de Valle lucis, alias Glenluce 2 ducat. ; de Dulcicorde, alias de Novomonasterio 1 ducat. Alia subscripta praedicto commissario habita consideratione ad valorem monasteriorum taxanda relinquuntur : de Standalo, de Hichaten vel Orcades, de Glenlucz, de Ancaria, de Loco S. Eduardi, de Hadrigton, de Northvernik, de Coldestrene, de Elis, de Mamival, de Elchok, de Botfynz, in plenaria Ordinis potestate. Datum, etc.

SUFFRAGIA

69. Frater Guillermus, abbas Cistercii, etc. consultissimo domino, et singulari Ordinis benefactori, magistro Ludovico Donjac, advocato regis in magno consilio, et eius consorti, sanctae devotionis obsequium salutare. — Quamquam deceat dispensatores multiformis gratiae Dei et unumquemque sicut accepit

gratiam in alterutrum illam administrare ; illis potissimum gratiam referre debemus, et accepti a Domino talenti offerre obsequium, quibus commendatam religionis nostrae unitatem favorabilibus et continuis sentimus esse auxiliis. Exigentibus itaque piae devotionis affectibus, quos ad ipsum Ordinem nostrum intelligimus vos habere, hinc ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., vobis omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc.* concedimus participationem et associationem, *etc.*

70. Ad idem, pro domino Evrardo Nicolai, praesidente in camera computorum Parisiis, et eius consorti Annae Baillet, ac ipsorum liberis, ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr.

71. Ad idem, pro domino Ioanne Foucaud, advocato in Parlamento Parisiensi, et eius consorti, ad instantiam domini abbatis de Claravalle.

72. Frater Guillermus, etc. generoso et nobili domino magistro Arturo Dannay, domino de Garsanville, sanctae devotionis obsequium salutare. — Quamquam divinae legis... *etc.* ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr., vobis omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc.* concedimus participationem et associationem, *etc.* Datum, *etc.*

1531

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli anni Domini 1531.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, s. th. pr., de Prulliaco, de Bonoportu, de Alna, de Boneffia, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Longovillari, s. th. pr., de Igniaco, de Monte petroso, de Ursicampo, de Bodelo, monasteriorum abbates ; de **Pontignaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Quinciaco, de Sancto Sebastiano ad Catacumbas, de Valle crescenti, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Boheriis, s. th. pr., de Moroliis, de Valcellis, de Aureavalle, monasteriorum abbates ; de **Morimundo** de Bellavalle, de Theoloco, de Belloloco, de Bethania, monasteriorum abbates.

1531. *Fontes* : A^4 : 8, 11, 38 ; L^6 : A, B, 1-67 ; *M* : 7, 9, 10, 12, 18 ; P^2 : 1, 7, 9, 10, 12, 15, 18, 56 ; *W* : 12 *(abbrev.)*

CONFESSORES : de Valle Dei, de Cheminione, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Valloliis, de Bullencuria, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Claravalle, de Caroliloco, de Longovillari, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : Provisor collegii S. Bernardi, s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Valloliis monasterii abbas.

NOTARII ABBATES : de Septem fontibus, de Iardineto, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Bullencuria, de Miratorio, de Igniaco, de Aceyo, de Barbello, monasteriorum abbates, et quos Rmus dominus voluerit deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Anthonius de Belna, Ioannes de Divione.

* * *

B) Numerus abbatum Capituli generalis huius praesentis anni —Rmus D. N. abbas Cistercii, s. th. pr., dominus de Pontigniaco, dominus de Claravalle, dominus de Morimundo, de Longovillari, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Boheriis, s. th. pr., de Prulliaco, de Igniaco, de Ursicampo, de Iardineto, de Moroliis, de Sancto Sebastiano, de Valcellis, de Alna, de Bodelo, de Monte petroso, de Septem fontibus, de Barbello, de Ioyaco, de Quinciaco, de Belloloco, de Theoloco, de Vallecrescenti, de Aureavalle, de Bonoportu, de Boneffia, de Bethania, de Aceyo, de Valle Dei, de Bullencuria, de Cheminione, de Valloliis, de Miratorio.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo tricesimo primo, et die octava mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... etc.

2. Praeterea pro serenissimo ... etc.

---

[a] *Titulus apud* L^6. [b] Sub Clemente... *etc* : P^2.

3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, abbas Cistercii, *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 9225 libr. 11 solid. turon. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni Domini 1531, etc.

7. Quoniam ex multiplici librorum et praesertim novorum lectione, non sine maximo universalis Ecclesiae dispendio, et observantiae regularis molestia, simplicium mentes frequenter laedi compertum est, et dum sibi quisque pro arbitrio doctrinam assumit, et suspectas huius periculosi temporis sequitur novitates, plurium animarum timendum est naufragium ; generale Capitulum studens suis spiritualis ruinae offensionis lapidem submovere, et solidae doctrinae praestare pabulum, omnibus et singulis regularibus Ordinis personis, sub poenis et censuris Ordinis prohibet, ne quoscumque libros apud se habeant, aut recipiant in posterum, qui a sui monasterii abbate, aut alio monasteriorum regimini praesidente discussi et permissi non fuerint ; monialibus idem iniungendo et districte inhibendo, quatinus nullos, praesertim in refectoriis et collationibus suis libros vernacula lingua conscriptos recipiant, sed latinos tantum et ab Ordine institutos legant, in plenaria Ordinis potestate.

8. Quoniam in commissionibus tractatuum in Ordine factorum ad plures abbates directis in relationibus suis opinionem eorum frequenter contingat omitti, generale Capitulum a praedictis commissariis super monasteriorum commodo vel incommodo plenissime volens informari, omnibus et singulis Ordinis abbatibus in futurum committendis iniungit, quatinus in singulis informationibus, inquisitionibus et relationibus fiendis, opinionem suam et quae in commissis viderint expedire inserant, revelent et describant, in plenaria Ordinis potestate.

9. Licet pluribus et repetitis diffinitionibus, omnibus et singulis monasteriis monialium et abbatissis prohibitum fuerit, conversos aut donatos sine Capituli generalis aut patris abbatis licentia recipere, praesens generale Capitulum neminem volens ignorantiae praetextu in talibus quidquam excusationis amplius

in futurum allegare, praecedentes diffinitiones approbando, de novo districte sub poenis et censuris Ordinis praedictis monialium monasteriis et abbatissis prohibet, ne in posterum praedictos conversos aut donatos, sine Capituli generalis aut patris abbatis permissione ad professionem aut quovismodo alias recipiant, neque aliqua alia regularia Ordinis congregatio et persona idem in aliorum monasteriorum donatis, sine Capituli generalis, et eorum ad quos spectat, provisione attentare praesumat, in plenaria Ordinis potestate.

10. Quia nonnunquam per imprudentiam confessorum Ordinis suam falcem in alienam messem mittentium gravia dispendia provenire possunt ; ideo praesens generale Capitulum eisdem incommodis occurrere volens, inhibet omnibus confessoribus Ordinis in casibus reservatis dispensare, sicut nec pro eisdem beneficium absolutionis cuiquam absque superioris auctoritate praestare possunt ; sic tamen a patribus et commissariis in omnibus monasteriis provideatur, tam religiosorum quam monialium, ut nullum ex hoc animarum dispendium oriatur.

11. Praesens generale Capitulum diffinitiones anni praecedentis invenit rationabiles et utiles, ideo easdem ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

DIFFINITIONES SPECIALES

12. Deflendus et non sine lacrimis referendus obitus illustrissimae principis et Ordinis benefactricis praecipuae, bonae memoriae, dominae, dominae Margaritae archiducissae Austriae, cuius viventis intercessione, nebulosis diebus his optatae pacis nobis lumen illuxit, et religioni nostrae singularis benevolentiae favore arrisit ; qui relatus ad nos dolenter pervenit, pias preces exigit, ut quae temporali munere superstes compensari non potuit, egressa carne, spiritualibus nostris iuvetur obsequiis. Eapropter praesens generale Capitulum tantis volens beneficiis debitae aliquid agnitionis rependere, et gratae voluntatis praestare suffragium, secunda die huius Capituli matutina hora solemnem missam pro defunctis a deputando abbate celebrari, comparentibus omnibus abbatibus, diffinit et ordinat, eamdemque reliogissimam dominam in Capitulo, prout singulis Ordinis benefactoribus optime meritis fieri consuevit, devote vult et solemniter absolvi, in plenaria, *etc.*

13. Inimicus ille pacis turbator, qui in agro dominico zizaniam

seminare non cessat, quaerens sibi ad ignem ex labore nostro damnationis allegare fasciculos et solutis obedientiae claustris filios a paternae familiae unitate insignis prodigi more separare, quorumdam abbatum regni Angliae protervam adeo licentia excitavit, ut abiecto Dei timore et neglecta superiorum reverentia, diffamatorias in nonnullorum Ordinis patrum honorem litteras et scissuram unionis nostrae spirantes transmittere, imo propriis manibus subsignare non erubuerint; eorum insolentiam praesens generale Capitulum aegre ferens et refrenare volens, atque per arma militiae spiritualis potentiam habens in promptu ulcisci omnem inobedientiam extollentem se ad destructionem munitionum adversus charitatem nostram erectarum et ruentium animarum levamen, abbati de Caroliloco, s. th. pr., de cuius singulari zelo, diligentia et meritis plenissime confidit, assumpto secum aliquo abbate, si viderit expedire, committit et plenariam dat potestatem omnia et singula regniorum Angliae et Scotiae, Hyberniae, Walliae, transmarina et citramarina viae suae occurentia monasteria, prioratus et quaecumque Ordinis loca, visitandi et reformandi, et super praedictis ceterisque Dei honorem et nostrae religionis puritatem concernentibus inquirendi, puniendi, corrigendi, emendandi, unum vel plures substituendi, et secundum quod iuris esse compererit et rationis instituendi, in plenaria, *etc.*

14. Capitulum generale plene informatum super duobus cartis ab abbate de Villari in monasterio de Grandiprato relictis, quae in multis statutis Ordinis et regulae contrariantur, nullas eas esse declarat, eidem inhibendo sub poena privationis suae iurisdictionis, vita comite, ne monasteria sibi subdita aut commissa, sine convocatione abbatis in rebus Ordinis periti, visitet aut in posterum reformet.

15. Diffinitioni olim editae de diffinitionibus in unum compilandis, generale Capitulum hoc addit, quod frater Ioannes Bartholomeus, s. th. pr. eas in unum coadunabit, superflua resecando, et contraria concordando, et mittentur copiae dicti collectorii diffinitionum ad prima Ordinis monasteria, ut videantur a primis vel a deputatis ab eisdem, qui sequenti Capitulo referant, quid eis videbitur circa hoc negotium expedire.

16. Attento gravi damno, quod impetuosi maris alluvione monasterium de Bodelo his diebus passum est, eidem abbati et monasterio de Bodelo praesens generale Capitulum remittit mediam partem arreragiorum hactenus Ordini debitorum, summa contributionum in sua priori texatione remanente.

17. Generale Capitulum piae devotioni abbatis de Fusniaco, in Laudunensi dioecesi, monasterii de Boheriis in eadem dioecesi patris abbatis immediati, condescendens, domino abbati de Claravalle committit quatinus super fundatione quam praefatus abbas de Fusniaco praedicto monasterio de Boheriis facere intendit, inquirat et secundum quod eam praedicto monasterio utilem esse compererit aut inutilem confirmet aut infirmet in plenaria, *etc.*

18. Supplicationi abbatis de Igniaco, petentis pro securitate conscientiae et auferendo scrupulo quando, cum alibi quam ad Ordinis monasteria divertere contigerit, dari licentiam confitendi, et ipsum absolvi faciendi per quoscumque sacerdotes, ubi personam Ordinis in promptu habere nequiverit, praesens generale Capitulum nulli salutis viam volens praecludere, sed quantum potest aperire, benigne annuit, in plenaria, *etc.*

19. Ad supplicationem abbatis de Caroloco, s. th. pr. petentis controversiam inter se et praedicti monasterii monachos diu agitatam, et in maximam Ordinis contumeliam apud saeculares curias profuse ventilatam terminari, eosdemque monachos pro rerum qualitate ad verae obedientiae observantiam revocari, ne praefatum monasterium diuturni processus et litium gravetur dispendiis, et absente pastore rapacium luporum lacerationi subiaceat, fratri Ioanni Bartholomei, s. th. pr., de cuius virtutibus confidit, committit quatinus tamdiu in spirituali et temporali praenominati monasterii administratione dicti abbatis vices et absentiam suppleat et gerat donec per nos, aut Rmum D. N. Cisterciensem, aliter canonice provisum fuerit.

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

20. Electionem, institutionem et installationem de persona fratris Godefridi de Presseux ad abbatialem dignitatem monasterii de Aureavalle, Ordinis nostri Cisterciensis, in dioecesi Trevirensi, per viam inspirationis a monachis eiusdem monasterii, praesidente abbate de Caherio, abbatis de Tribus fontibus commissario, rite et canonice factam, *etc.* approbat, *etc.* supplendo, *etc.*

21. Institutionem, provisionem et promotionem abbatissae de Binderen ac omnia concernentis visitationem Rmi in praedicto monasterio de Binderen, Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat, prohibendo districtissime abbati de Villari, ne pro

electionibus, visitationibus, aut aliis negotiis convocet moniales ad oppida aut urbes, contra statuta Ordinis et capitulum iuris quod incipit *Periculoso*, sub poena privationis iurisdictionis suae, vita comite.

22. Provisionem, installationem et promotionem dignitatis abbatialis monasterii de Rosendalle, in Cameracensi dioecesi, de persona sororis Margaretae Tsermentens, per abbatem de Loco S. Bernardi, commissarium Rmi, rite et canonice factam, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat; insuper et concordiam inter antiquam et iuniorem abbatissas dicti monasterii habitam in praesentia abbatum de Loco S. Bernardi, de Boneffia et Iardineto commissariorum, ratificat, approbat et confirmat, salvis in omnibus statutis et diffinitionibus Ordinis universi.

23. Quia ex bene actis nemo incommodum reportare debet, ideo praesens generale Capitulum pensionem antiquae abbatissae de Loco Dei, per Rmum assignatam, confirmat, ratificat et et approbat, et ad cogendum super illius persolutione ordinentur iudices abbates de Maceriis, de Aceyo et prior Cistercii, ac quilibet eorum, in plenaria, etc.

24. Attentis actis per Rmum in monasterio de Iardineto circa assignationem pensionis assignatae fratri Iacobo Ravescot, seniori abbati dicti monasterii, Capitulum generale eamdem ratificat, confirmat et approbat, dando iudices abbates de Molinis et de Boneffia, et quemlibet eorum in solidum, in plenaria, etc.

25. Assignationem pensionis sorori Benedictae Ledoux, seniori abbatissae monasterii de Braiella per Rmum ordinatae, praesens generale Capitulum ratificat, confirmat et approbat, assignando iudices abbates de Longovillari, s. th. pr., de Valcellis et de Laude, et quemlibet eorum in solidum, in plenaria, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

26. Ad relationem abbatis de Caroliloco, s. th. pr., specialiter commissi et deputati, et visis informationibus per eum factis, praesens generale Capitulum contractum inter abbatem et conventum monasterii de Ioyaco, in Senonensi dioecesi, ex una, et nobilem ac consultissimum dominum magistrum Ioannem Hannequin ex altera partibus, super quadam permutatione reddituum et locorum, initum et passatum, prout in litteris, *etc.* confirmat, *etc.*

27. Praesens generale Capitulum permutationem seu escambium quoddam inter abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti, in Senonensi dioecesi, ex una, et magistrum Anthonium Hodouart, in iuribus licentiatum, ex altera partibus, initum et passatum, prout in litteris ... *etc.* ad relationem abbatis de Prulliaco, praedicti monasterii patris abbatis, approbat, *etc.*

28. Contractum inter abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti, in Senonensi dioecesi, ex una, et Nicolaum Pierre, mercatorem commorantem in Villanova, appellatum Carchenesque ex altera partibus, prout in litteris, etc. ad relationem abbatis de Prulliaco, approbat, *etc.*

29. Contractum inter abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti, in Senonensi dioecesi, ex una, et magistrum Matheum Pierre, Nicolaum Pierre, et Petrum Foriot ex altera partibus, prout in litteris, *etc.* ad relationem abbatis de Prulliaco, *etc.* approbat, *etc.*

30. Contractum inter abbatem et conventum monasterii de Mortuomari, in dioecesi Rothomagensi, ex una, et nobilem virum Robertum Hayes equitem, dominum de Samotlus et de Besancourt, et habitatores dicti loci de Besancourt ex altera partibus, prout in litteris, *etc.* ad relationem abbatis de Voto, s. th. pr. *etc.* approbat, *etc.*

31. Visis informationibus per abbates de Fusniaco et Valle regis factis, ad relationem abbatis de Claravalle, praesens generale Capitulum contractum inter abbatem et conventum monasterii de Ellancio, in Remensi dioecesi, ex una, et Anthonium Charlier, Ioannem Charlier ex altera partibus, de grangia dicta de Lautreppe, initum et passatum, prout in litteris, *etc.* approbat, *etc.*

32. Domino abbati de Claravalle praesens generale Capitulum committit, quatinus super tribus contractibus inter abbatem et conventum monasterii de Ursicampo, in Noviomensi dioecesi, ex una, et venerabilem abbatem et conventum monasterii Sancti Leodgarii, Ordinis S. Augustini, ratione cuiusdam domus existentis in civitate Suessionensi et probos viros Reginaldum Tullin et Iacobum Vignon, propter quamdem permutationem grangiae de Vuarvillier, et Anthonium Berthore, de quadam domo in urbe Parisiensi existente, ex altera partibus, initis et passatis, prout in litteris, *etc.*

33. Abbati de Longovillari, s. th. pr., et abbati de Caricampo, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, qua-

tinus super alienatione cuiusdam molendini pertinentis ad monasterium de Valloliis, ac prope illud situati, et de quadam domo in oppido de Abbatisvilla sita, inquirant et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

34. Abbati de Roseriis, s. th. pr., praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam tractatu habito inter Ioannem Vorrel et Raynardum Vorrel fratres, ex una, et abbatem et conventum monasterii de Bullione ex altera partibus, prout in litteris, *etc.* et generali Capitulo referat.

35. Tractatum inter abbatem et conventum monasterii de Moroliis, in dioecesi Malleacensi, ex una, et abbatem et conventum monasterii de Iardo, Ordinis Praemonstratensis, in dioecesi Lucionensi, ex altera partibus, super nonnullis terris et possessionibus ad certum annuum proventum, per dictum monasterium de Iardo, praedicto monasterio de Moroliis, datis et per eos acceptatis, ut in litteris super hoc confectis plenius continetur, praesens generale Capitulum, quia ipsum tractatum, cui praesentes annectuntur, ad relationem Rmi D. Cisterciensis, qui super commodo vel incommodo praefati tractatus informationes debitas per abbatem Caroliloci fieri fecit, ipsum secundum suum tenorem ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

36. Quia informationes factae super contractu specificato in litteris quibus praesentes annectuntur, ex parte abbatis et conventus monasterii de Grandisylva, praesentatae sunt insufficientes, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Bellapertica, de Gimonte et de Boillanis, et cuilibet eorum in solidum ut super commodo vel incommodo ipsius monasterii inquirant, seu alter eorum inquirat, et super his quod factum sufficienter fuerit, proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

CONTUMACES

37. Contumaciam abbatissae de Lausduno Capitulum generale indigne ferens, quae compulsa a Rmo ut conversos suos aut reciperet, aut eisdem decem francos secundum antiqua statuta Ordinis tribueret, declarat eamdem male ad Capitulum generale appellasse, et rite per Rmum fuisse ordinatum, vultque Capitulum generale ordinata per Rmum firma teneri, videlicet quod eosdem aut recipiat aut eis secundum Ordinis instituta de decem libris turon. in monasteriis in quibus commorantur, provideat, in plenaria, *etc.*

38. Volens generale Capitulum vitare errores circa nostram fidem occurrentes, et levitate quorumdam religiosorum Ordinis, quemdam monachum de Laude in fide suspectum iubet arctissimis carceribus detineri; et quia iniunctum fuerat abbati de Laude, quatinus informationes circa istud negotium Capitulo transmitteret, et facere neglexit, committitur abbatibus de Longovillari, s. th. pr., de Caricampo et de Valcellis, et cuilibet eorum in solidum, ut inquirant causas propter quas non obedivit Ordini, et proximo Capitulo generali referant, ceteraque agant circa praedictum religiosum quae viderint agenda et corrigenda, in plenaria, *etc.*

IUDICES

39. Praesens generale Capitulum ad querimoniam Ioannae Fournier, viduae magistri Petri Martin, petentis fratrem Thomam Guerin, nuper monasterii de Lilio procuratorem, sibi in certis pecuniarum summis, ut asserit, ratione mutui et aliis causis obnoxium, ad debitam persolutionem compelli; abbati de Caroliloco, s. th. pr. et abbati de Barbello, et eorum cuilibet, committit quatinus si praedictum fratrem Thomam in aliqua pecuniarum summa, testibus, instrumentis, aut quovismodo alias canonice praedictae Ioannae teneri compererint, per omnes iuris et iustitiae vias ad dictam summam persolvandam cogant et compellant, in plenaria, *etc.*

40. Quum unicuique poscenti quod aequum est reddere teneamur, et subditis nostris praesertim ad debitae iustitiae forum confugientibus paternae provisionis opem denegare nec velimus nec debeamus, ad supplicationem fratris Ioannis Kabel, baccalarii formati in s. th., asserentis se de reverendo patre domino Bangorensi episcopo, monasterii de Belloloco regis abbate commendatario, et abbate de Gratiis multimode laesum et gravatum, prout pluribus testimoniis et argumentis probaturum se affirmat, volens generale Capitulum filiis suis, praesertim afflictis de congruo subventionis providere auxilio, abbatibus de Forda et de Thama, assumptis secum tribus aut quatuor abbatibus, partibus non suspectis, committit et iniungit districtius, ut vocatis et auditis loco et die competentibus hinc inde partibus, iustitiam impendant, et secundum salutaria Ordinis nostri instituta conquerenti, secundum quod canonice invenerint consulendo provideant,

et eos ad debitam satisfactionem viriliter per omnes iuris et iustitiae vias compellant, in plenaria, *etc.*

41. Benignus favor iure his impenditur, quorum diligentia communi Ordinis ministerio inservitur. Quapropter generale Capitulum eorum incuriae obviare volens, qui debitas abbati Caroliloci ratione accommodati, aut alterius rationabilis debiti occasione pecunias aut contemnunt aut nolunt persolvere, abbatibus de Longovillari, s. th. pr. de Regalimonte, de Barbello, et cuilibet eorum in solidum committit, quatinus auditis hinc inde partibus, si aliquas personas eidem abbati in aliqua pecuniarum summa obligari aut alias rationabiliter teneri compererint, ad solvendum per omnes iuris et iustitiae vias cogant et compellant, in plenaria, *etc.*

42. Accepta querimonia honorabilis viri Colini Querault et domicellae Margaretae Carbonière, super sibi debitis per abbatem de Bellobecco, generale Capitulum abbatibus de Caricampo, et de Longovillari, s. th. pr., et cuilibet in solidum committit plenam auctoritatem cogendi abbatem praedictum, si rite constiterit de debito, ut satisfaciat supplicantibus, prout iuris est et rationis, in plenaria, *etc.*

43. Cum suscitante humanae naturae inimico, zizaniarum sparsore, nuper ad cognitionem Capituli generalis pervenit abbates de Boneffia et de Grandiprato causam et processum coram iudicibus saecularibus agere contra Ordinis instituta, et in periculum utriusque aut alterius monasteriorum, si breviter non obvietur, praesens generale Capitulum prosecutionem coram talibus iudicibus Ordini et praedictis monasteriis inutilem, sub poenis et censuris ipsis prohibet, eamdem causam committendo abbatibus de Alna, de Valcellis, de Camberone et de Iardineto, et duobus eorum, cum auctoritate dandi alios iudices de Ordine, si opus foret, ad cognoscendum, convocandum et terminandum quidquid in praedicta causa agendum et terminandum fuerit, in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES

44. Quoniam ob temporum difficultatem commissiones anno praecedenti datae per Capitulum dominis primis executioni per eos hoc anno demandari non potuerunt, praesens generale Capitulum easdem secundum integras sui formas renovat, confirmat et approbat, in plenaria, *etc.*

45. Ad idem, de commissione domini de Pontigniaco. — Ad idem, de commissione domini de Claravalle, ad triennium.

46. Eadem commissio fuit expedita R. D. abbati de Morimundo, ad quadriennium anno 1531.

47. Nos, frater Guillermus, ... *etc. sequitur ad longum textus delegationis, ut habetur supra, anno* 1530, *n*° 64, *mutato nomine Morimundi, in favorem abbatis Claraevallis.*

48. Salus redemptarum animarum ... *etc. ut in anno praecedenti, n*° 67, § 1. *Deinde* :

Eapropter generale Capitulum oblatae a Domino universae pacis uti volens beneficio, et de invictissimi Ecclesiae defensoris illustrissimique principis regis Angliae benigno favore confidens, quem insignibus scriptis et virtute toti Ecclesiae ac particularibus eius suppositis semper gratiose totum se effudisse intellexit et sensit, abbatem de Caroliloco, s. th. pr. de cuius zelo, litteris, diligentia et ad procurandum animarum salutem fervore non diffidit, imo docente experientia multa Domino lucrifecisse laetatur, generalem visitatorem et reformatorem in regno Angliae, principatibus Walliae et Hyberniae, ac aliis provinciis transmarinis, etc. sicut in praecedenti commissione domini abbatis Claraevallis.

49. Cum succrescentibus, *etc. ut in anno praeced. n*° 64 § 1 ; *deinde :* Praesens generale Capitulum Deo, in cuius dextera sunt corda principum, agens gratias et obviis amplectens manibus invictissimi et illustrissimi regis Scotiae favorabiles litteras et affectum religiosum, abbatem de Caroliloco, s. th. pr., de cuius zelo, litteris, diligentia et sancto animi fervore plenissime confidit, generalem visitatorem et reformatorem in inclyto regno Scotiae constituit. Eidem, etc. ut in praecedentibus.

50. Commissionem hoc anno ad visitationem regnorum Angliae et Scotiae et principatuum Hyberniae et Walliae, necnon omnium transmarinarum provinciarum et adiacentium, abbati de Caroliloco, s. th. pr., datam, praesens generale Capitulum timens nimia locorum distantia aut temporum difficultate non posse integre, ut affectuose desiderat, impleri, et volens nihilominus, arridente temporum conditione et devoto principum affectu, utilissimo reformationis ac visitationis beneficio perfecte satisfacere, eidem abbati de Caroliloco, ubi temporum, rerum, aut locorum conditionem exigere compererit, plenam dat auctoritatem unum vel plures abbatem vel abbates committendi, substituendi

et ordinandi, qui eamdem vel limitatam potestatem habentes praedictae visitationis, reformationis, commissionis et institutionis munus exsequantur, et in omnibus divini honoris reverentiam ac sacrae religionis observantiam diligenter procurent, in plenaria Ordinis potestate.

51. Renovata est commissio domini abbatis de Morimundo, sicut commissiones dominorum abbatum de Pontigniaco et de Claravalle.

LITTERAE MISSIVAE

52. Illustrissimo et christianae religionis potentissimo defensori, Angliae regi, frater Guillermus, humilis abbas Cistercii, ceterique Ordinis Cisterciensis abbates in generali Capitulo congregati, promptae devotionis obsequium, cum humillima commendatione. — Quod nunc, illustrissime Rex, Altissimo placuit diu desideratam pacem terris reddere, id ex profunda inscrutabilis consilii sui abysso ea causa factum esse credimus, ut qui in vinea Domini temporum iniquitate vepres succreverunt, ne segetem penitus suffocent, salutaris reformationis sarculo purgentur. Nos igitur, humiles vestrae Celsitudinis oratores, attendentes id potissimum ab hiis praestari debere diligentius, qui relicto saeculo, sanctae religionis iugo colla submiserunt, anno superiore in nostro generali Capitulo visitatores et reformatores monasteriorum ad partes Franciae, Germaniae, Hispaniae et alias, quas mare ab Angliae regno vestro disterminat, transmisimus, qui extinctam pene religionem suscitarent, et eos qui laxatis regularis disciplinae frenis, saecularis vitae desideria sectabantur, claustralibus septis cohiberent. Nunc autem, Serenissime Rex, in hoc nostro generali Capitulo congregati, ne monasteriorum nostrae religionis Cisterciensis in vestro inclytissimo videremur immemores, ad Omnipotentis Dei laudem et conscientiarum nostrarum serenitatem, unum ex confratribus nostris, venerabilem abbatem s. th. pr., vita, moribus, doctrina et sanctae religionis zelo plurimum commendabilem, qui nunc monasterio Caroliloci, prope civitatem Parisiensem, laudabiliter praeest, et cuius singulari diligentia quamplurima in diversis partibus monasteria ad regularis observantiae normam sunt redacta, praefatorum monasteriorum Ordinis nostri Cisterciensis in regno et principatibus vestris consistentium generalem visitatorem et reformatorem cons-

tituimus ; ad quod quidem ab inclytissimae memoriae progenitore vestro suis ad nos litteris fuimus incitati ; sed quia id per temporis occasionem tunc impleri non potuit, nunc de vestrae Celsitudinis regali benevolentia confidentes, qui ut paterni regni haeres ita et imitator existitis, vestris pedibus advoluti, per pretiosum Iesu Christi sanguinem humillime supplicamus et obsecramus, ut eumdem abbatem in omnibus agendis, dictam reformationem concernentibus, et aliis Ordinis nostri, ac sui negotii regalis benevolentiae vestrae favorem et auxilium praestari mandare dignemini. Nos, totumque nostrum Cisterciensem Ordinem apud Deum intercessores perpetuo habebitis.

Datum in monasterio Cistercii et diffinitorio nostro, die 9 mensis maii, anno Domini 1531.

53. Illustrissimo ac gloriosissimo principi Iacobo, Scotiae regi, frater Guillermus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, omnis devotionis obsequium, cum commendatione humillima. — Celsitudinis vestrae litteras, Invictissime Rex, cum summa animae laetitia recepimus, quibus regia vestra Maiesteas nos hortari dignata est, ut ad visitandum et reformandum Cisterciensis Ordinis monasteria, in inclyto regno vestro consistentia, quorum optimae memoriae progenitores vestri fundamenta locaverunt, et regali munificentia dotaverunt, unum ex nostra congregatione abbatem mitteremus ; ea quidem causa quod monasteria ipsa in spiritualibus et temporalibus celeri reformatione indigent. Egistis, Invictissime Rex, quae vere religiosum principem decent, qui ad id nos impellere dignatus estis, ad quod volentes nolentesque astringimur, et quod libentissime praestassemus nisi temporum obstitisset iniquitas. At quoniam, per Dei gratiam, pax terris reddita est, et vestrae nos vocare dignatur Serenitatis auctoritas, venerabilem abbatem, fratrem nostrum Symonem nomine, s. th. pr., virum eruditione, vita, moribus et sanctae religionis zelo, multipliciter commendabilem mittimus, ut salutare Celsitudinis vestrae desiderium adimpleat, omni cum humilitate deprecantes, ut eumdem regalis dexterae virtute et benivolo favore adiuvare, ac eidem in suis agendis assistentiam opportunam praestari mandare dignemini. Nos autem pro Serenitatis vestrae prospero statu, et inclytissimi regni vestri augmento Deum Omnipotentem sine intermissione rogabimus. — Ex diffinitorio nostro Cistercii, die nona mensis maii, anno Domini 1531.

54. Reverendissimo in Christo patri et domino nostro, domino

Augustino Trivultiis, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia, tituli Adriani diacono cardinali, Franciae et Ordinis nostri protectori benevolo, frater Guillermus, abbas Cistercii, ceterique Diffinitores Capituli generalis apud Cistercium congregati, humiles preces et sanctae devotionis obsequium salutare. — Si nesciret Reverendissima Paternitas vestra, quot molestiis aegre afflicta est infelici hoc saeculo omnis pene christiani orbis communitas, quot auxilia foeda illa Lutheranorum colluvies unitati nostrae apud Germanos abstulit, et quantae a communi obedientia nationes, elevante unumquemque supra se bellorum inclementia, desciverunt, deficientibus utpote in Hispania, nectentibus excusationum moras triennalibus ; in Italia, quin etiam patrocinante cuique catholicae pietati male affecto misera temporis huius conditione ; verecundum esset obligatissimo Reverentiae vestrae Ordini, sero adeo a paupertatis suae pulvere exsurrexisse, ac singulari benefactori minus prompte impendisse gratias. quam dignitas vestra et liberalis animus promeruerint. At Reverendissimae Paternitati vestrae tenuitatis nostrae humilia ex auctoritatis suae alto clare suscipienti, et pro cardineae Celsitudinis fastigio communes privatasque universalis Ecclesiae non nescienti miserias, cum in excusatione brevis epistola orationis prolixae vicem suppleat, abbatem de Carolicolo, s. th. pr., in cuius aure plenam fidem intentionis et observantiae nostrae erga Reverendissimam Paternitatem vestram exposuimus eidem transmittimus, ut ex eius ore animi nostri in se devotionem R. P. V. intelligat, et quod dignitatis vestrae beneficio vile est, ex affectu nostro indignum munus accipiat. — Ex nostro diffinitorio Cisterciensi die 8 mensis maii,

55. Praecordiali et affectuosa salute praevia, Reverende Pater, et carissimi in Christo filii. — In eo conventu, quem hoc anno apud Cistercium, sedente generali Capitulo, fecimus, inter cetera Ordinis nostri negotia aerei publici rationem habentes, nihil cogendae publicae pecuniae gravius comperimus, quam annuum illumque redditum, qui a venerandis monasteriis Cistercii, Firmitatis et vestro Claraevallis quotannis accipitur ; neque enim deficientibus iam ut praefatis patet, a communi contributionum persolutione pene omnibus externis provinciis, et aegre exsolventibus regni huius domesticis, viaeque ad ordinariam Capituli generalis expensam sufficientibus collectis quidquam potest amplius sperari, quo praesentibus futurisque Ordinis negotiis pro-

videatur, nisi a praedictorum monasteriorum reverendis patribus ac eorum conventibus id impendatur sponte et gratiose, ut sublato illo redditu per remissionem ac per ... *(locus vacuus)* receptionem in toto principalis summae pristinae suae libertati Ordo restituatur, et excusso debitorum onere poterit ... viribus subsistat. Qua ratione abbati de Caroliloco s. th. pr., redeundo ad propria praesentes litteras et mentem nostram commisimus, cui vos credere et plenam charitativi responsi vestri intentionem referre, aut si nunc per temporis angustiam non licet, Rmo D. N. Cisterciensi vel eidem abbati tempus quo respondere poterit assignare desideramus.

56. Nomina eorum qui liberaliter in subsequentibus contribuerunt. — Ad satisfaciendum propinae faciendae Reverendissimo domino cardinali Trivultiis, tituli Sancti Adriani, protectori Ordinis in Curia romana nunc in partibus istis agenti, necnon stipendiis procuratoris Ordinis in dicta Curia patres Ordinis inferius nominati congregati in Capitulo generali anno Domini 1531, apud Cistercium celebrato, dono gratuito ac liberali obtulerunt, ac manualiter tradiderunt inferius descriptas pecuniarum summas, ordinavitque idem generale Capitulum abbates, qui hoc anno Ordinis generali Capitulo non interfuerunt nec se legitime excusaverunt, et huic charitativae propinae noluerunt liberaliter contribuere, poenas in *Benedictina* contentas incurrisse, vultque per commissarios Ordinis ad id districte et indissimulanter compelli.

Rmus.D.N.Cisterciensis .		100 francos.	dominus	de Aureavalle....	1 aureum.
Dominus	de Pontigniaco.	10 aureos.	»	de Iardineto ..	1 aureum.
»	de Claravalle ..	25 aureos.	»	de Septem fontibus	1 aureum
»	de Morimundo...	10 aureos.	»	de Moroliis ...	10 francos.
»	de Caroliloco ..	50 francos.	»	de Monte petroso	2 aureos.
»	de Ursicampo .	25 aureos.	»	de Bonoportu ..	10 francos.
»	de Longovillari	10 francos.	»	de Bellavalle ..	2 aureos.
»	de Prulliaco ...	20 francos.	»	de Valloliis ...	10 francos.
»	de Boheriis ...	3 aureos.	»	de Miratorio ..	2 aureos.
»	de Igniaco	100 solidos.	»	de Aceyo	2 aureos.
»	de Quinciaco ..	1 aureum	»	de Barbello ...	3 aureos.
»	de Valcellis ...	4 aureos.	»	de Charmeya ..	1 aureum.
»	de Alna	4 aureos.	»	de Ioyaco	2 aureos.
»	de Bodelo	2 aureos.	»	de Bullencuria..	2 aureos.
»	de Valle Dei ..	1 aureum	»	de Theoloco ..	2 aureos.
»	de Boneffia ...	1 aureum	»	de Cheminione .	1 aureum.[c]

[c] *Horum nominum quatuor prima tantum transcripsit* P^2, *et addit* : Sic signatum: Sommeryse, abbas Septem fontium, Ioannes abbas Iardineti.

EXCUSATIONES ABBATUM

57. Excusantur per litteras, procuratoria, etc., subscripti abbates : de Voto, s. th. pr., de Recluso, s. th. pr., de Chalocheyo, s. th. pr., de Maceriis, iuris utriusque doctor, de Tribus fontibus, de Longoponte, de Regalimonte, de Frigidomonte, de Signiaco, de Ellancio, de Vallibus Sernay, de Valle regis, de Strata, de Brolio Benedicti, de Pietate, de Buxeria Eduensi, de Bellabrancha.

REHABILITATIONES

58. Ad instantiam abbatis de Aureavalle supplicantis pro fratre Mathia de Malimundario, praefati monasterii expresse professi, qui suadente diabolo, relicto regulari et saeculari assumpto habitu, monasterium illicentiatus egressus est, demum elapsis quindecim diebus ad cor et monasterium rediens, iniunctam sibi poenitentiam humiliter suscepit, et emendatioris vitae propositum servavit ; praesens generale Capitulum de sancta eius perseverentia, in Domino confidens, ipsum eumdem fratrem Mathiam rehabilitat ad omnes gradus, officia et dignitates, etiam abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, etc.

59. Ad idem, ad instantiam abbatis de Charmeya supplicantis pro fratre Martino Bertault, qui suadente diabolo, crimine furti, apostasia et contagio carnis, pluries infectus, demum ad cor rediens, correctus et emendatus, humilem egit poenitentiam.

60. Ad idem, ad instantiam domini abbatis de Pontigniaco supplicantis pro sorore Agnete de Lubines, monialis monasterii de Consolatione, in Eduensi dioecesi, quae suadente diabolo, contagio carnis, puerperio inde secuto, promissae continentiae votum violavit, deinde ad cor rediens, *etc. ut supra.*

SUFFRAGIA

61. Frater Guillermus, abbas Cistercii, *etc.* principi illustrissimo, regi Angliae, *etc.* Quum deceat dispensatores multiformis gratiae Dei, unumquemque sicut accepit in alterutrum illam administrare, illis potissimum gratiam referre debemus, et accepti a Domino talenti praesentare obsequium, quibus praesertim commendatam christianae religionis integritatem et nostrae Cisterciensis regularem observantiam expectamus. Excitant nos incli-

ta bonae memoriae praedecessorum monumenta et celebres tituli in propriis sacrariorum nostrorum archiviis reconditi, extructae et coelo ipsi aspirantes basilicae, ubique sumptuoso apparatu sublimes venerari, omnem et totum effundere spiritum ... *(locus vacuus)* parte a prioribus gloriae nomen, se innatae et variae ... virtutes admirationem pepererunt. Exigente itaque devotionis affectu, quem ad omnes christianae religionis ministros Maiestatem vestram habere intelleximus, et ad nos inutiles Domini servos habituram confidimus, sublimitati vestrae omnium bonorum spiritualium, videlicet ... *etc.* concedimus participationem et associationem, *etc.*

62. Frater Guillermus, etc. Quamquam divinae legis ... etc. sicut prius. Et hoc regi Scotiae.

63. Ad idem, pro domino Bergensi. Frater Guillermus, etc. generoso et potenti domino, domino M. de Bergues, insigni equiti, velleris aurei torque praefulgenti, humiles preces, et promptum sanctae devotionis obsequium. Cum debeat dispensatores ... etc.

64. Ad idem, pro domino Panormitano archiepiscopo. Frater Guillermus, etc. Reverendissimo in Christo patri et summe observando domino Panormitano archiepiscopo, sacrae Maiestatis imperatoriae cancellario, singulari Ordinis benefactori, etc.

65. Ad idem, pro domino de Chamiaut, fratre praedicti archiepiscopi, etc.

66. Ad idem, pro domino Ioanne Chamly, Ebroicensis ecclesiae officiali et canonico, et reverendi patris domini episcopi Ebroicensis generali vicario dignissimo.

* * *

67. Quoniam propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

1533

A) Ordinatio praesentis generalis Capituli anni Domini 1533.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, s. th. pr., de Roseriis, s. th. pr., de Curia Dei, de Barbello, de Bonoportu, monasteriorum abbates ;

1533. *Fontes* : *A*[4] : 7, 10, 15, 39, 43, 48 ; *L*[7] : A, B, 1-48 ; *M* : 10 ; *P*[2] : 1, 8, 10, 15.

loco domini de **Firmitate**, de Prulliaco, de Caroloco, s. th. pr., de Bellobecco, de Belloloco, de Cheminione, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Caroliloco, s. th. pr., de Bonoradio, de Strata, de Lococrescenti monasteriorum abbates ; loco domini de **Claravalle**, de Voto, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Frigidomonte, de Bullencuria, de Bullione, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Bellavalle, de Crista, de Vallibus, de Aceyo, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Crista, de Belloloco, de Bullencuria, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Lococrescenti, de Cheminione, de Theoloco, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Caroliloco, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Bonoradio, monasteriorum abbates, et prior Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : provisor collegii S. Bernardi, s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : de Longovado, s. th. pr. abbas.

NOTARII ABBATES : de Iardineto, de Septem fontibus, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Barbello, de Aceyo, de Bullencuria, monasteriorum abbates, et quos Rmus voluerit deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Philibertus de Divione, Ioannes de Divione, Cistercii professi.

* * *

B) Numerus abbatum Capituli generalis huius praesentis anni. — Rmus D. N. abbas Cistercii, s. th. pr., D. de Pontigniacco, D. de Morimundo, D. de Prulliaco, de Roseriis, s. th. pr., de Voto, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Caroloco, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Bonoradio, de Bonoportu, de Curia Dei, de Iardineto, de Septem fontibus, de Bellobecco, de Barbello, de Strata, de Frigidomonte, de Bullencuria, de Bellavalle, de Aceyo, de Bullione, de Crista, de Vallibus in Ornesio, de Theoloco, de Lococrescenti, de Cheminione.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo tricesimo tertio, duo-

[a] *Titulus apud* L^7.

decima die mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo ... *etc.*
2. Praeterea pro serenissimo ... *etc.*
3. Insuper pro burgensibus ... *etc.*
4. Ceterum pro pace ... *etc.*
5. Demum pro felicis ... *etc.*

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 7515 libr. 13 solid. turon. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni Domini 1533, *etc.*

7. Diffinitiones novissimo generali Capitulo anno Domini 1531, octava mensis maii, factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

8. Tribulatio et angustia, quae diebus nostris christianae religioni supervenerunt, et nostrum Cisterciensem Ordinem inundaverunt in aquis multis, ex quo plures recesserunt a Domino, et in desideriis animae suae ambulaverunt, humiliari in conspectu Domini nos admonet, ut aperiat oculos suos, neque nos afflictos deserat in tempore malo, sed reconcilietur nobis faciens pacem, quam plantavit dextera eius, et quietem reddens, quam patres nostri reliquerunt nobis. Hanc ob rem praesens generale Capitulum sciens melius esse benefacientes, si voluntas Dei sit, pati quam malefacientes prosperari, ac volens ab eo incipere, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, in omnibus et singulis Ordinis monasteriis ordinat fieri processionem semel in septimana, qualibet prima die vacante, ac missam solemnem cum diacono et subdiacono, ac cum *Gloria in excelsis*, cuius Introitus erit *Salus populi*, cum reliquo officio, quod pro tribulatione Ecclesiae decantari solet, quousque Omnipotens Deus nostram respiciens humilitatem nostri misertus fuerit, in qua quidem processione responsorium decantabitur quod incipit

[b] Incipit 13 registrum. Sub Clemente... *etc* : *P*².

Nos alium Deum nescimus, etc., et ex historia Iudicum sumitur; et post dictum responsorium decantatum dicetur illa devota antiphona Beatissimae Virgini Mariae dicata *Sub tuum praesidium*, cum versiculo *Ora pro nobis*, et collectis *Famulorum tuorum* et *Omnipotens sempiterne Deus, aedificator et custos*. Quae quidem antiphonae, versiculus et collectae etiam singulis diebus, antequam missa conventualis incipiatur decatanbuntur. Et quoniam sacer Ordo noster Cisterciensis in honorem intemeratae Virginis et Genitricis Dei Mariae praecipue fundatus et institutus esse dignoscitur, nec est aliquis, qui in afflictis Ecclesiae rebus eam, dum devote fuerit invocata, non senserit fuisse adiutricem, idem generale Capitulum, quaerens aliquo speciali suffragio specialis tribulationis apud ipsam misericordiae Reginam invenire remedia, ordinat et praecipit omnibus et singulis annis in universis monasteriis Ordinis octavas suae sacratissimae Visitationis cum tanta solemnitate celebrari, sicut de octavis Assumptionis eiusdem fieri consuetum est, decantando missam et antiphonas super *Magnificat* et *Benedictus*, et in horis diurnis cum capitulis et collectis de servitio Visitationis, ac sumendo pro vigiliis antiphonas, responsorium, lectionem, capitulum et collectam sicut in octavis praedicti festi Assumptionis.

9. De citatione abbatum ad proximum generale Capitulum. — Cum praesens generale Capitulum ordinaverit quod omnes et singuli abbates, pro certis rationabilibus causis in proximo generali Capitulo habeant comparere, alias ex nunc prout ex tunc declarat ipsos poenis in *Benedictina* contentis esse mulctandos et puniendos. Idcirco ne cuiquam praetextu ignorantiae excusationis materia praestatur, sed omnis tollatur occasio, omnibus et singulis Ordinis commissariis districtius iniungitur, quatinus omnes et singulos Ordinis abbates, qui praesenti generali Capitulo defuerunt, ad proximum generale Capitulum citent aut citari faciant, in plenaria, *etc.*

10. Alia diffinitio, quod abbates et religiosi non utantur camisiis lineis[c]. Ne ex neglectu fervoris religionis Dominum his malis temporibus infensum ulterius provocemus, Capitulum generale vult, ordinat et indissimulanter praecipit omnibus abbatibus et religiosis Ordinis universi, ut in camisiis ex lana non lino utantur in posterum, sintque in hoc abbates exemplo suis, ut facilius filii

[c] *Titulus apud L*[7].

iussis paternis pareant, ipsique ministrent camisias laneas, ne sub praetextu indigentiae incurrant inobedientiae malum.

11. Refriguit adeo multorum charitas, ut publica Ordinis utilitas pene ab omnibus negligatur, et iam paucissimi inveniantur, qui communis aerarii et persolvendarum contributionum curam habeant, unde mirandum non est, si malis his diebus depereat neglecta Ordinis libertas, et privatis negotiis impie postposita ab omnibus passim dissipetur ; quapropter generale Capitulum volens in posterum damnabili talium negligentiae obviare, omnes et singulos abbates, qui contributiones monasteriis impositas integre non persolverint, debitorum et arreragiorum rationem reddituros ad proximum sequens generale Capitulum vult et ordinat citari, in plenaria, *etc.*

12. Cum exigente communi Ordinis necessitate, pereuntibus sacrae religionis nostrae libertatibus et privilegiis debite provideri non possit, nisi tantae et tales personae ad christianissimi domini regis nostri Maiestatem mittantur, quarum reverentia et potenti sermone serenitas eius et ceterorum christiani orbis procerum affectus ad miserandum desolatis rebus nostris inclinentur ; nec quisquam valeat Rmo D. N. Cisterciensi inveniri aptior, qui auctoritate, singulari doctrina, maturitateve tantas mentes emollire possit, praesens generale Capitulum eumdem Rmum D. N. reverenter supplicat et orat humiliter, quatinus imminenti filiorum suorum calamitati paternae charitatis viscera aperiens, assumptis secum quos voluerit abbatibus, apud christianissimum regem nostrum, et eas sublimes personas, apud quas opportunum esse iudicaverit, publica Ordinis legatione et commendatione fungatur. Quoniam autem praedicta legatio sine plurimis expensis commode fieri tractarique non poterit et multorum abbatum, qui praesenti generali Capitulo comparere neglexerunt incuria praesertim factum est, ut nunc minus de promptae subventionis remedio succursi poterit, idem generale Capitulum abbates praesentes et hoc anno comparentes tamquam diligentes, ac eos qui extra regnum imperiali aut alteri subiiciuntur dominio, hortatur tantum et monet charitative communi omnium calamitati medendae aliquid gratiosae contributionis impendere, ceteros abbates nunc absentes ad ultimi subsidii anno Domini 1520 impositi taxam vult imponi et cogi, necnon per Ordinis commissarios vel ab eis commissos ad proxime sequens generale Capitulum citari, secus si non comparuerint, ex nunc prout ex tunc

poenas in *Benedictina* contentas se noverint incurrisse. Monasteria vero monialium, quia parem communium Ordinis privilegiorum, libertatumque cum ceteris Ordinis monasteriis gratiam sortiuntur, taxari secundum ultimi subsidii quottam, a taxatis taxas percipi et levari, sicut et praefatis abbatibus absentibus, iniungit, diffinit et ordinat, in plenaria, *etc.*

DIFFINITIONES SPECIALES

13. Domini abbatis de Claravalle laudabilis diligentia, quam illustrissimi principis Ioannis Portugalliae regis, et Rmi D. Alphonsi tituli S. Blasii cardinalis litterae praesenti Capitulo generali commendabilem fecerunt promeretur, ut coeptum Dei et Ordinis opus, quod nondum toto suae commissionis triennio perficere potuit commissionis renovatione et prolongatione temporis adiuvetur. Quamobrem idem generale Capitulum commissionem praedictam a data praesentis Capituli usque ad sequens quadriennium eidem domino abbati de Claravalle renovat et prorogat, in plenaria, *etc.*

14. Ipsa nobis insinuante experientia, praesens generale Capitulum considerans labores, impensas et religionis zelum abbatis de Caroliloco, s. th pr., in Anglia et Scotia ex commissione generalis Capituli anno Domini 1531 visitantis, acta per eum in praedicta visitatione, tam in reformationibus quam visitationibus, ac aliis in quodam libello, Capitulo generali praesentato, contenta laudat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

15. Fuit ordinatum ut celebraretur missa de adversitate Ecclesiae, et processio fieret die secunda Capituli generalis, assistentibus omnibus abbatibus pro impetranda Dei gratia, ut consolaretur nos in tribulationibus praesentis temporis, et potissimum in revocatione electionum huius regni [d].

16. Plene informatum Capitulum generale per relationem abbatis de Longovillari, s. th. pr., de satisfactione et humiliatione fratris Ioannis Berar, monasterii de Laude religiosi, omnes poenas ac temporales poenitentias ei remittit, excepto quod quia in Virginis gloriam maculam posuit, decurtatis vestibus vestietur, usque ad aliam Capituli generalis dispositionem.

---

[d] A^4 *add.*: Sic signatum. Ioannes abbas Iardineti, I. de Sommery abbas Septem fontium; *item apud* P^2 *qui scribit* Sommeryse.

17. Quia abbates maioris et minoris Poloniae, pro contributionibus miserunt Rmo D. N. Cisterciensi 125 francos, supplicantes ut propter bellorum incursiones ac varia incommoda quae pertulerunt, ab arreragiis excusentur, et eadem ipsis quittarentur, promittentes se in futurum contributiones Ordinis plene exsolvaturos, praesens generale Capitulum ab arreragiis eos excusat, et quittantiam Rmi super eisdem gratissimam habet, in plenaria, *etc.*

ELECTIONUM CONFIRMATIONES

18. Visis provisionibus SS. patris domini Clementis VII Dei providentia Papae, super expeditione bullarum in forma coadiutoriae concessarum fratri Ioanni Maulion in monasterio de Bullione, praesens generale Capitulum eas cum reverentia recipit, gratasque et acceptas habet, in plenaria, *etc.*

IUDICES

19. Ad relationem abbatis de Roseriis, s. th. pr., generale Capitulum cartam visitationis abbatis de Bellavalle, in monasterio de Charitate, cui immediate praeest, relictam confirmat et approbat in omnibus suis articulis, excepto articulo illo de excommunicatione lata, in plenaria, *etc.*

20. Processum factum contra fratrem Ioannem Verdier, religiosum monasterii de Noa, accusatum super quibusdam gravibus criminibus, et convictum, cum sententia abbatis de Voto, s. th. pr., commissarii, ipsum Capitulum generale approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

21. Quoniam periculosum est ovibus sine pastore diu evagari, innotueritque praesenti generali Capitulo fratrem Ioannem Cloquette electum pensionarium de Loco Dei in Pontino esse sine abbate et obedientia, Capitulum generale ordinat abbati de Voto commissario, ut per omnes iuris et iustitiae vias hunc compellat profiteri proprio abbati, cum potestate substituendi, si opus fuerit, in plenaria, etc.

22. Visis informationibus factis contra abbatissam de Insulis generali Capitulo praesentatis, ac etiam contra abbatissam de Consolatione, praesens generale Capitulum negotium ipsum totum committit domino Pontigniaci ad procedendum usque ad

sententiam diffinitivam depositionis inclusive, prout iuris erit et rationis, in plenaria Ordinis potestate, etiam cum potestate subdelegandi abbatem vel abbates qui habeat vel habeant similem potestatem.

23. Abbati de Aceyo praecipitur ut omnibus viis et mediis rationabilibus et honestis cogat abbatem de Monte Sanctae Mariae solvere contributiones suas, quas a pluribus annis distulit solvere, et eas quas ut commissarius Ordinis a multis monasteriis Sabaudiae recepit, de quibus eidem rationem reddet, in plenaria, *etc.*

24. Volens generale Capitulum effrenatam quorumdam religiosorum Cariloci rebellionem et inobedientiam refrenare, fratres Thomam Lanecot, Franciscum Byllery et Guydonem Morchot, religiosos Cariloci expresse professos, iubet in monasteriis per ipsorum abbatem assignandis commorari, usque ad Rmi aut generalis Capituli revocationem, in plenaria, *etc.*

25. Ne superbiae fastus impunitatem peccantibus promittat, Capitulum generale informatum de excessu fratris Ioannis Laucet, conversi monasterii de Bullencuria, qui habitu conversorum relicto, monachorum inconsulto abbate proprio recepit, prohibet praedicto abbati, ne illum in tali habitu recipiat.

26. Abbati de Voto generale Capitulum committit, ut si compererit fratrem Andream Potier, religiosum Savigniaci per saeculum evagari in perniciem nostrae religionis, eum in carcerem detrahat et puniat, in plenaria, *etc.*

27. Audita querimonia abbatis de Bullione super centum francis sibi ex mutuo debitis per abbatem Montis Sanctae Mariae, Capitulum generale committit abbati de Roseriis, s. th. pr., ut si in monasterio de Monte S. Mariae cognoverit esse dicto abbati de Bullione obligatum, hunc per Ordinis censuras ad satisfaciendum compellat, in plenaria, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

28. Ne quidquam bonorum Ordinis depereat, quinimo transactiones ecclesiae in ipsius utilitatem vergant, generale Capitulum transactionem et contractum inter abbatem de Barbello, et honorabilem virum magistrum Claudium Pinot, committit abbati de Prulliaco, patri abbati dicti monasterii de Barbello, ad informandum super utilitate dicti contractus, et ad referendum proximo generali Capitulo, in plenaria, *etc.*

29. Contractum initum et passatum inter abbatem et conventum de Frigidomonte ex una, et nobilem virum Ioannem du Monceau scutiferum ex altera partibus, super quadam domo et suis appenditiis ad praedictam domum de Frigidomonte spectante, generale Capitulum committit abbati de Caroliloco, s. th. pr., ut informationibus per eum legitime factis de commodo vel incommodo, eumdem contractus approbet aut reprobet, in plenaria, *etc.*

30. Contractum initum et passatum inter abbatissam et conventum monasterii de Paraclito ex una, et domicellam Mariam de May, viduam et relictam domini Anthonii de Sainct Delys ex altera, super quadam domo data et assignata monasterio de Paraclito, in Ambianensi dioecesi, ad relationem abbatum de Longovillari et de Caroliloco, s. th. pr., praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

31. Contractus factus, initus et passatus inter venerabilem abbatem et conventum de Valcellis ex una, et Ioannem Caperon ex altera, Capitulum generale committit abbatibus de Caricampo et de Longovillari, et cuilibet eorum in solidum, ut informent super utilitate talis contractus, et si utilis repertus fuerit, confirment in plenaria, *etc.*

32. Visis litteris provisoris collegii S. Bernardi Parisiensis super concessione cuiusdem camerae collegii, existentis in parvo dormitorio baccalariorum, inter cameram de Villari et de Precibus, et confirmatione Rmi D. Ioannis abbatis Cistercii facta monasterio de Maceriis in Burgundia, praesens generale Capitulum easdem litteras cum confirmatione inde secuta, confirmat et approbat, volens baccalarios de Maceriis, qui in collegio erunt, gaudere tali camera cum honoribus et oneribus solitis, in plenaria, *etc.*

CONTUMACES

33. Abbatissam de Planis, in provincia Provinciae, rebellem, protervam, debitae correctionis sanctaeque reformationis viam intrare et amplecti nolentem, extra Ordinem et contra privilegia a Sancta Sede indulta, statutaque Ordinis appellantem, iuxta eorum tenorem, generale Capitulum sententiam excommunicationis incurrisse declarat, omnibus et singulis regularibus Ordinis personis districtius iniungendo, quatinus praedictam abbatissam,

et praefati monasterii de Planis moniales, eidem faventes et adhaerentes quas simili censura diffinit et ordinat innodari, excommunicatas esse denuntient.

34. Hoc anno revocata est declaratio et diffinitio contumaciae abbatissae Sancti Sigismundi in patria Bearnensi, datae anno Domini 1529.

REHABILITATIONES

35. Ad instantiam abbatis de Bellobecco supplicantis pro fratre Remigio Dandyn, qui suadente diabolo pluries in contagium carnis lapsus est, deinde punitus et correctus emendatioris vitae propositum in Domino servavit, praesens generale Capitulum de sancta eius conversatione et devota in Domino perseverantia confidens, ipsum eumdem fratrem Ioannem Dandyn rehabilitat ad omnes gradus, officia, et dignitates, abbatiali dignitate inclusa, in plenaria, *etc.*

36. Ad idem, de fratre Matheo Regis, monasterii de Longovillari expresse professo, qui suffuratis aliquot pecuniis, per tabernas monasterio vicinas discurrens, illicentiatus monasterium egressus est, et cum meretricibus et aliis dissolutis personis per saeculum evagatus est, ad abbatis sui, s. th. pr. instantiam rehabilitatur.

37. Ad idem, ad instantiam praedicti abbatis de Longovillari, s. th. pr., pro fratre Ludovico Lebrun, qui a sex vel septem annis vagabundus in saeculo, relicto regulari et saeculari sumpto habitu, pluries apostatavit, et in plurimis furtis fuit deprehensus.

LITTERAE MISSIVAE

38. Reverendissimo in Christo patri ac domino singulari, domino Alphonso, tituli Sancti Blasii cardinali, et Portugalliae Infanti nobilissimo. Benedictus Deus, qui non amovit misericordiam suam a nobis, sed dedit humilitati nostrae gratiam in conspectu vestro, ut dignaremini excitare in nobis ignem sanctae reformationis, quem cum velit Dominus vehementer accendi, gratiosis Dominationis vestrae litteris scintillantem, iam ita inflammatis, ut nihil prorsus amplioris possit succedere laetitiae, quam sentire Celsitudinem vestram intueri nos de excelso sancto suo, et religionem nostram de longe prospicere. Fecit Reveren-

dissima Paternitas vestra quod veros Ecclesiae proceres decet et cardinales, ultroque obtulit gratiam, qua nec maiorem apud Rmam D. V. quibus possemus obsequiis et precibus vellemusque demereri. Eam propterea venerabili coabbati nostro de Claravalle, cuius commissionem pro sancto vestro desiderio renovavimus, maiore fiducia non defuturam arbitramur, quo in opere Dei nobilitatem summam dignitati maxime compactam tam sancti propositi non adiutricem modo sed motricem intelleximus. Et ea quidem nostra obligatione totiusque Cisterciensis religionis devotione adeo singulari, ut nihil pium sanctumve Domino offerre velimus in posterum, in quo Sublimitatem vestram participem commendatamque non precemur.

SUFFRAGIA

39. Frater Guillermus, abbas Cistercii, *etc.* nobilibus et egregiis viris, magistris, Petro Waldin et Guillelmo Hault, et eorum consortibus Anglis, sanctae devotionis suffragium salutare. Quamquam divinae legis ... *etc.* ... ad instantiam abbatis de Caroliloco, vobis omnium bonorum spiritualium ... concedimus participationem et associationem, *etc.* Datum, *etc.*

40. Ad idem, pro domino de Molembays.

41. Ad idem, pro devoto monasterio de Vinea in urbe Lovaniensi situ, ad instantiam abbatis de Iardineto.

42. Ad idem, pro domino Ioanne Auchemaud, Cuiselli decano, ad instantiam abbatis de Caroliloco, s. th. pr.

43. Ad idem, ad instantiam abbatis de Bonoradio et supplicationem nobilis viri Blasii de Roddon, omnibus et singulis, qui cepellam per eumdem nobilem in parochia de Menetreau, in honorem sanctae Reginae fundatam, visitaverint, et de bonis suis dederint, et manus porrexerint adiutrices.

COMMISSIONES

44. Renovata est commissio data domino Claraevallis in ultimo Capitulo generali anno Domini 1531, pro visitationibus monasteriorum Hispaniae, Portugalliae, etc., usque ad quadriennium, comprehendendo annum praesentem pro quo durat adhuc eius commissio.

45. Item, data est commissio abbatibus de Woburnia et de

Gratiis in Anglia, secundum tenorem qui sequitur. Nos, frater Guillermus, *etc.* et est talis : Salus redemptarum ... *etc. ut in anno* 1530, nº 67.

Eapropter generale Capitulum debite informatum et certificatum de discretione, idoneitate et sufficientia dominorum abbatum de Woburnia et de Gratiis, Ordinis Cisterciensis, in illustrissimo regno Angliae, ipsis et eorum cuilibet in solidum ... *etc. ut in forma generalis commissionis.*

Sequuntur nomina monasteriorum per dictos commissarios visitandorum, videlicet de Strafordia, de Boxleya, de Coggeshal, de Ponte Roberti, de Tilteya, de Wardona, de Saltreia, de Sibtona, de Pippewella, de Garendona, de Miravalle, de Bordesleya, de Stanleya, de Hayles, de Bytlesdona, de Flexleya, de Bruernia, de Stonleya, de Thama, de Regaliloco, de Mendham, de Waverleya, de Belloloco regis, de Laetoloco, de Quarrera, de Byndona, de Newham, de Donkeswella, de Lynterna, de Clyva, de Bucklandia, de Gratiis, de Bucfrastria, de Kyngeswolde, et de Pyulleya *(sic)*. Item monasteria monialium de Cokehill, de Tarrant, et de Marham. Ut autem de praedictae commissionis executione et diligentia debite constare possit, praefatis abbatibus et eorum cuilibet districtius iniungitur, ubi iniquitate temporum et nimia locorum distantia Cistercium singulis annis adire non poterunt, saltem Rmi D. abbatis Cisterciensis in Francia vicario, aut collegii S. Bernardi apud Parisios provisori, de actis et factis referre teneantur ; et nisi hoc fecerint, et de triennio in triennium in generali Capitulo per se aut expressum nuntium comparuerint, praesentem commissionem idem generale Capitulum nullius esse vigoris decernit et ordinat in plenaria Ordinis potestate. Datum, *etc.*

46. Item, similis facta est commissio pro abbatibus de Fontibus et de Bellalanda ad quinquennium et secundum tenorem praemissae pro monasteriis Angliae, Ordinis Cisterciensis, quorum nomina sequuntur, videlicet de Furnesio, de Rievalle, de Caldra, de Forda, de Novomonasterio, de Salleya, de Whalleya, de Kirkested, de Valle Dei, de Parcolude, de Combermere, de Valle regali, de Byldewas, de Swineshede, de Hylton, de Crokkesden, de Woburnia et de Cumba. Item, monasteria monialium, videlicet de Appelton, de Sinningthwaite, de Esholt, de Hampolle, de Wallyngierett, de Ardynthone, de Ellerton, de Swine, de Greenfielf, de Stixwold, de Kirkless, de Goykwell, de Nuncoton, et de Newcastell. Datum, *etc.*

47. Ad idem pro dominis abbatibus de Cupro et de Vallelucis, pro monasteriis utriusque sexus dicti Ordinis Cisterciensis, in inclytissimo regno Scotiae situatis, similiter ad quinquennium.

* * *

48. Quia propter agendorum multiplicitatem ... *etc. ut in anno* 1506, *n*º 30.

1534

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1534.

Diffinitores de **Cistercio**, s. th. pr., de Bonoportu, de Pietate, de Buxeria, de Barberio, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Roseriis, s. th. pr., de Bullencuria, de Bullione, de Ellancio, de Leziniis, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Bonoradio, de Quinciaco, de Palatio, de Valleclara, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Ursicampo, de Frigidomonte, de Aureavalle, de Bonofonte, monasteriorum abbates ; loco domini de **Morimundo**, de Caroloco, s. th. pr., de Bellavalle, de Belloloco, de Cheminione, de Charmeya, monasteriorum abbates.

Notarii abbates : de Septem fontibus, de Iardineto, monasteriorum abbates.

Confessores : de Bullencuria, de Pietate, de Charmeya, monasteriorum abbates.

Receptores excusationum : de Bonoportu, de Ellancio, de Insula Barrensi, monasteriorum abbates.

Magistri caeremoniarum : de Claravalle, de Bonoradio, de Frigidomonte, monasteriorum abbates; et prior ac subprior Cistercii.

Promotor causarum : provisor collegii S. Bernardi, s. th. pr.

Portarius diffinitorii : magister Ioannes Bartholomeus, s. th. pr.

Auditores computationum : de Aceyo, de Ioyaco, monasteriorum abbates, et quos voluerit Rmus deputare.

Notarii ad pedes : fratres Philibertus de Divione, Ioannes de Divione, Cistercii professi.

1534. *Fontes* : A^4 : 8, 35 ; L^7 : A, B, 1-36 ; P^2 : 1, 10.

* * *

B) Numerus abbatum Capituli generalis huius praesentis anni 1534.— Rmus D.N. abbas Cistercii, s. th. pr., D. de Pontigniaco, D. de Claravalle, de Roseriis, s. th. pr., de Caroloco, s.th.pr., de Bonoradio, de Ursicampo, de Pietate, de Bonoportu, de Iardineto, de Septem fontibus, de Frigidomonte, de Belloloco, de Aceyo, de Bullione, de Bullencuria, de Ioyaco, de Bellavalle, de Quinciaco, de Bonofonte, de Aureavalle, de Valleclara, de Ellancio, de Barbereyo, de Buxeria, de Palatio, de Charmeya, de Cheminione, de Leziniis, de Insula Barrensi.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo tricesimo quarto, quarta mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Pro [b] sanctissimo, ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 7026 libr. 2 solid. 2 denar. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni Domini 1534, etc.

7. Diffinitiones in novissimo generali Capitulo factas, anno Domini 1533, duodecima mensis maii, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

8. Quoniam sine perseverantia, virtutum omnium custode, placere Deo non possumus, qui in die tribulationis remittit peccata, et protector est omnibus requirentibus se in veritate, praesens generale Capitulum paternae charitatis affectu desolati

[a] *Titulus apud* A^4L^7. [b] Sub Clemente... *etc* . P^2.

Ordinis afflictioni, quantum potest providae consolationis remedia praestare desiderans, et in solius Dei protectione confidens, qui consolatur omnes in tribulatione sua, et non despicit preces pupilli, neque viduam, si loquelam gemitus effundat, diffinitionem de particularibus precibus per universum Ordinem in singulis dicti Ordinis monasteriis ad Deum fundendis, in novissimo generali Capitulo factam usque ad aliam sui dispositionem, perseverent et praecipit observari, utque Deus, in cuius manu cor regis est, moveat pietatem eius, et innotescant apud Deum in omni oratione et obsecratione petitiones nostrae, collectam *Quaesumus, Domine, ut famulus tuus Rex noster*, etc. missis quae singulis hebdomadis pro tribulatione Ecclesiae celebrari ordinatae sunt, adiici et pro christianissimi domini nostri regis, suique sanguinis generosissimi prosperitate dici et decantari diffinit et ordinat, in plenaria, *etc.*

9. Cum praesens generale Capitulum ordinaverit quod omnes et singuli abbates, pro certis et rationabilibus causis, in proximo generali Capitulo habeant comparere, alias ex nunc prout ex tunc, declarat ipsos poenis in *Benedictina* contentis esse mulctandos et puniendos, et quia praedicto anno idem fuerat ordinatum, et ad praesens generale Capitulum abbates citati non comparuerunt, omnes tales non excusatos easdem poenas incurrisse declarat taxandos ad arbitrium commissariorum generalis Capituli, in diversis mundi partibus existentium, iniungendo ipsis et omnibus absentibus, ut sub talibus poenis indissimulanter infligendis in futuro Capitulo generali compareant, in plenaria, *etc.*

10. Ad resecandum abusum commendatariorum qui exigunt a monachis professionem, Capitulum generale prohibet omnibus monachis, ne talibus commendatariis professionem emittant, nisi prius constiterit Capitulo generali, aut patribus immediatis id expresse esse in praedictis bullis explicatum, ipsosque patres immediatos vult esse intentos circa divisionem bonorum temporalium in monasteriis commendatis, conformiter ad constitutionem generalis Concilii, et quod impediant commendatarios ne destruant aut vendant sylvas non caeduas, secundum quod in *Benedictina* expressius continetur, in plenaria, *etc.*

[DIFFINITIONES] SPECIALES

11. Praesens generale Capitulum serenissimi et religiosissimi regis Portugalliae, et Rmi domini cardinalis Lusitaniae Infantis

litteris, ipsaque experientia et relatione plurium de laboriosa et in Domino utili visitatione domini abbatis de Claravalle certioratum, quam toto suae commissionis triennio in remotissimis et quasi confiniis Hyspaniarum et Portugalliae regnis, necnon in Aquitaniae et Linguae occitanae provinciis multis sudoribus et impensis exsequi fructuose curavit, pro laboribus assumptis refert gratias, facta per eum et in praedicta visitatione sua statuta et ordinata, rata et grata habet, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

12. Illustrissimae reginae Hungariae, archiducis Austriae et regentis Serenitas promeretur, ut nostri Ordinis monasteria, quibus favorabilibus inclinatur affectibus, nostris iuvetur auxiliis, et eorum precibus facilius annuatur ; hinc est quod praesens generale Capitulum, visa supplicatione abbatis et conventus monasterii de Dunis, in Morinensi dioecesi, qua suam desolationem pluribus deplorarunt argumentis, volens in eis solitae et iam praestitae gratiae uti beneficio eisdem debita hactenus contributionum arreragia remittit et relaxat, in plenaria, *etc.*

PROVISIONUM RECEPTIONES

13. Visis litteris ac expeditione bullarum SS. in Christo patris D. Clementis divina providentia Papae VII, super provisione monasterii de Insulis in ducatu Barrensi, facta in favorem fratris Ioannis Munier, religiosi ipsius monasterii, Capitulum generale easdem sanas et integras cum omni reverentia et honore recepit, et gratas habet, in plenaria, *etc.*

14. Provisionem, promotionem ad coadiutoriam abbatis de Belloprato in Lotharingia, expeditam nomine fratris Petri Ramaille, s. th. pr., ac provisoris collegii S. Bernardi Parisiensis, praesens generale Capitulum eamdem sinceram et utilem Ordini laudat et gratissimam habet, in plenaria, *etc.*

CONTUMACES

15. Abbates de Sancto Sulpitio et de Chassenia propter certas rationabiles causas, ad requestam promotoris Ordinis, ad secundum huius praesentis Capituli diem citati, non comparentes declarantur contumaces, et de novo citandi ad diem et locum quem Rmus elegerit, responsuri super his quae per promotorem contra ipsos allegata fuerunt, secundum constitutiones Ordinis universi.

16. Petrus Ferrery declaratur contumax, et auctoritate Capituli remittitur priori de Bolbona puniendus.

IUDICES

17. Abbatibus de Villari, de Boneffia, de Sancto Remigio et de Molinis, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super quodam processu iam ex parte moto, et ut speratur amplius movendo, inter abbatem et conventum monasterii de Alna, in Leodiensi dioecesi, et nobilem Oliverium Vyron scutiferum, ratione cuiusdam firmae, dictae Roymont, gratiosae compositionis viam rationabilibus, quibus poterunt mediis amicabiliter procurent, et prout expedire viderint, inter eos iudicent et sententient, in plenaria, *etc.*

18. Attentis et consideratis excusationibus per abbatem de Miratorio ad Capitulum citatum missis, iuramento per suum procuratorem praestito, et depositionibus testium super hoc examinatorum, generale Capitulum nullam contra praedictum abbatem dat contumaciam, sed eum misericorditer habet pro excusato ; et nihilominus ne causa inter promotorem causarum maneat frustratorie sopita, generale Capitulum committit abbatibus de Roseriis et de Caroloco, s. th. pr., eiusdem causae cognitionem et decisionem, sic tamen quod quilibet eorum poterit instruere huiusmodi causam, sed in decisione duo simul procedant ; quantum autem ad extinctionem causae novitatis in balliviatu Divionensi petitam per praedictum abbatem, nihil ad Capitulum generale.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

19. Super tractatu inito inter dominum abbatem et conventum monasterii de Morimundo ex una, et Carolum Jamet ac eius uxorem ex altera partibus, super medietate grangiae vulgo nuncupatae Dosive, committitur abbatibus de Caroliloco, de Belloloco et de Valle dulci, et cuilibet in solidum, ad inquirendum et informandum super utilitate dicti contractus, et si visus fuerit utilis praedicto monasterio, confirmandum, in plenaria, *etc.*

20. Attentis informationibus auctoritate Rmi D. N. Cisterciensis diligenter et fideliter factis per abbatem de Signiaco, super commodo vel incommodo cuiusdam tractatus initi inter abbatem et conventum de Ellancio ex una, et Poncellet Guillon eiusque

uxorem ac liberos partibus ex altera, quibus constitit huiusmodi tractatum esse utilem praedicto monasterio, praesens generale Capitulum eumdem approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

21. Idem, inter eumdem abbatem de Ellancio et dictum conventum ex una, et Ioannem Guillemin eiusque uxorem ac liberos partibus ex altera.

22. Examinata diligenter transactione seu concordia facta inter abbatem et conventum de Frigidomonte ex una, et venerabilem virum magistrum Ioannem Hourdel, in medicina doctorem ac rectorem ecclesiae parochialis de Ruolio, super decimis eiusdem loci partibus ex altera, praesens generale Capitulum eamdem concordiam approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

23. Arrendamentum factum per abbatem de Gratia Dei, s. th. pr., cui praesentes annectuntur, tamquam utilem dicto monasterio, ut ex sufficienti relatione innotuit, praesens generale Capitulum ratificat et approbat, in plenaria, *etc.*

24. Inter abbatem et conventum monasterii de Iardineto ex una, et Ioannem de Baisello ex altera partibus, super arrendamento census Dellesei *(sic)*, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Molinis et de Boneffia, et cuilibet eorum in solidum, ut super commodo vel incommodo informent, et generali Capitulo referant.

25. Audita gravi querimonia de persona fratris Reginaldi de La Garde, monasterii de Escureyo, ad Capitulum generale per abbatem de Caroloco citati et non comparentis, generale Capitulum deputat abbates de Crista, de Belloloco et de Valle dulci, et quemlibet in solidum, ut praedictum fratrem pro excessibus, delictis et contumacia puniant, in plenaria, *etc.*

26. Contractus initus, factus et passatus inter venerabiles abbatem et conventum monasterii de Valcellis ex una, et Ioannem Casseron ex altera, Capitulum generale committit abbatibus de Claravalle, de Ursicampo et de Boheriis, et cuilibet in solidum, ut informent super utilitate talis contractus, et si utilis repertus fuerit, confirment, in plenaria, etc.

27. Informatum Capitulum generale super poenitentia ac bono proposito fratris Ioannis Bacar, religiosi de Laude, qui fuerat iussus manere in scapulari decurtato, ob gravia verba in Virginem Mariam prolata, praesens generale Capitulum ob eius diuturnam humiliationem praedictam poenitentiam ei misericorditer remittit

eam commuttando in disciplinam sabbatis diebus suscipiendam, si praesidenti placuerit, hisque diebus ad gradum presbyterii veniam petere debebit, in plenaria, *etc.*

28. Praecipit generale Capitulum fratribus Theobaldo du Vergier, Guillelmo Robinot, Guillelmo Dagault et Francisco Canaye, redire ad monasterium de Precibus, et omnem reverentiam et obedientiam abbati dicti monasterii ante festum divi Ioannis praestare, susciperequé ab eodem correctionem excessuum per eos commissorum, a tempore promotionis abbatis moderni, in plenaria, *etc.*

29. Visa per nos supplicatione dilectorum nobis in Christo fratrum religiosorum abbatis et conventus monasterii nostri Caroliloci, quibus supplicant confirmari quamdam desavoationem per eos in matura deliberatione factam, ac per abbatem Pontigniaci dicti monasterii nostri Caroliloci superiorem immediatum, praemissis informationibus confirmatam, quantum ad certas saisias super quibusdam bonis immobilibus per dominum comitem dominii Nitini *(sic)* factas, de quibus amplior mentio in dictorum religiosorum procuratione, cui praesentes sunt annexae continetur ; nos debite et sufficienter informati dictum monasterium Caroliloci ab illustrissimo Francorum rege Ludovico grosso esse fundatum, ac omnia praedicta per dictum dominum comitem dominii Nitini saisiata et arrestata sufficienter et debite esse admortizata, tam per illustrissimos Franciae reges, quam per praedecessores dicti dominii Nitini comites ; audita super praefato negotio praedicti abbatis Pontigniaci relatione, dictam desavoationem per dictos abbatem et conventum Caroliloci, sicut praemittitur, factam, gratam habuimus et laudamus, ac quantum in nobis est confirmavimus, in plenaria, *etc.*

30. Locationem et conductionem factas inter commendatarium et conventum de Moris ex una, ad annos decem et novem, et Petrum Malo presbyterum ex altera partibus, praesens generale Capitulum super tali conductione informari committit domino abbati de Claravalle et abbatibus de Quinciaco et de Bullencuria, et cuilibet in solidum, ut super utilitate talis locationis se informent, et Capitulo generali referant, in plenaria, *etc.*

31. Abbatibus de Voto, s. th. pr., de Bonoportu, de Barbereyo et de Sancto Andrea, et eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus super quibusdam terris in folio papireo, cui praesentes annectuntur, plenius in scriptis et mentio-

natis, quas petunt quidam nobilis et alii sibi, cum certis qualitatibus, modificationibus et redditibus infeodari, inquirant et proximo generali Capitulo referant, ut visis eorum informationibus, tutius ad eorum confirmationem aut infirmationem procedi possit, in plenaria, *etc.*

32. Domino abbati de Claravalle et abbatibus de Caroliloco, s. th. pr., et de Regalimonte, ac eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractibus et transactionibus inter abbatem et conventum monasterii de Ursicampo in Noviomensi dioecesi, ex una, et decanum et capitulum Noviomensis ecclesiae, ratione decimarum grossarum et minutarum firmarum sive censarum, vulgo dictarum de la Charmoye et Malemaison, Nicolaum Clenet et Ioannam Clenet filiam eius, ratione praedictae firmae dictae de la Charmoye, Eligium de la Vacquerye ratione praedictae domus de Malemaison, Reginaldum Tulin et Catherinam Paucet eius uxorem, Theobaldum de Cernoy, Reginaldum Casset et eius uxorem pro quadam firma vulgo vocata Warsaville, Jacobum Vignon et Margaretam Tulin eius uxorem pro quarta parte praedictae censae Warsaville, Petrum de Millam et Catarinam eius uxorem, Petrum Farle et Michellam eius uxorem, Ioannem Berthoulx et Franciscam Tulin eius uxorem pro quadam censa eis tradita ad firmam, Anthonium Berthoulx pro quadam domo Parisiis sita, Ioannem de la Vacquerye et Sebastianam eius uxorem pro quadam similiter domo Parisiis sita, Ioannem Decaullemon pro quadam censa vulgo vocata Puyseux, Ioannem Fierchonnier pro quadam censa dicta Perviller, Ioannem le Maugnier pro 14 falcatis prati et 3 modiatis terrae, magistrum Godefridum de Parthenay pro quadam domo Noviomii sita, Adrianum de Marle pro quadam domo Noviomii pariter situata, Petrum Brimel, Matheum Brimel, Guillelmum de Beaugran pro 3 partibus censae Darchonval, Iacobum Potier pro censa de Cassis, Ioannem Legrou pro quadam domo et quibusdam terris et pratis, vulgo vocatis Laloge Mignot, ex altera partibus initis et passatis, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, inquirant et proximo generali Capitulo referant in plenaria, *etc.*

33. Abbati de Longovillari, s. th. pr., et abbati de Claromarisco, ac eorum cuilibet, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum monasterii de Caricampo ex una, et honestum virum Ioannem Le Vasser ex

altera partibus, ratione cuiusdam terrae et mansurae sitae in villa de Dorlans, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur, inito et passato, inquirant et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

EXCUSATI A CAPITULO GENERALI

34. De Prulliaco, s. th. pr., de Voto, s. th. pr., de Caroliloco, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Recluso, de Brolio Benedicti, de Valcellis, de Regalimonte, de Signiaco, de Belloprato, de Barbello, de Tribus fontibus, de Caricampo, de Dunis, de Valle Richery, de Strata. — Isti non excusantur nisi sequenti anno comparuerint : de Vallibus Sernay, de Lanneyo, de Valle regis.

* * *

35. Abbati et conventui de Bonoportu iniungitur rescindere contractum initum a praedecessoribus suis ratione cuiusdam firmae dictae Ardonval, ipsique a iuramento quoad hoc praestito absolvuntur.

* * *

36. Quoniam propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*º 30 [c]

1535

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anno Domini 1535.

DIFFINITORES : de **Cisterciò**, s. th. pr., de Septem fontibus, de Buxeria, de Miratorio, monasteriorum abbates; loco domini de **Firmitate**, de Caroliloco, s. th. pr. de Charitate, de Bullione, de Lococrescenti, monasteriorum abbates; de **Pontigniaco**, de Bonoradio, de Strata, de Charmeya, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de... *(locus vacuus)* monasteriorum abbates ; de **Mori-**

---

[c] *A*[4] *add.* : Sic signatum : I. de Sommery, abbas de Septem fontibus, Ioannes abbas de Iardineto.

1535. *Fontes* : *A*[4] : 7, 8, 10 *(prima verba tant.)*, 11 ; *L*[7] : A, B, 1-43 ; *M* : 9, 10 ; *P*[2] : 1, 9, 10, 14, 33.

mundo de Aceyo, de Belloloco, de Vallibus Sernay, monasterioabbates.

CONFESSORES : de Belloloco, de Charmeya, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Igniaco, de Ursicampo, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Claravalle, de Bonoradio, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Septem fontibus, de Strata, monasteriorum abbates.

PROMOTOR CAUSARUM : provisor collegii S. Bernardi Parisiensis s. th. pr.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Aceyo, de Frigidomonte, et quod voluerit Rmus deputare.

NOTARII AD PEDES : fratres Philibertus de Divione, Ioannes de Divione.

* * *

B) Nomina abbatum Capituli generalis huius praesentis anni 1535. — Reverendissimus abbas Cistercii, s. th. pr., D. de Pontigniaco, D. de Claravalle, D. de Morimundo, de Caroliloco, s. th. pr., de Charoloco, s. th. pr., de Bonoradio, de Ursicampo, de Septem fontibus, de Frigidomonte, de Belloloco, de Charmeya, de Strata, de Aceyo, de Bullione, de Charitate, de Lococrescenti, de Vallibus Sernay, de Igniaco, de Buxera, de Miratorio... [a]

* * *

Anno [b] Domini millesimo quingentesimo tricesimo quinto, vicesima septima mensis aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Primo [c], pro sanctissimo ac beatissimo Paulo III, ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.

---

[a] *Non omnia videtur transcripsisse L⁷.* [b] *Titulus apud L⁷.* [c] Sub Paulo 3... *etc.* : *P²*.

4. Ceterum pro pace ... etc.

5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Guillermus, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa 7026 libr. 2 solid. 2 denar. pro resta computationum generalis Capituli praesentis anni 1535, etc.

7. Diffinitiones in novissimo generali Capitulo, quarta mensis maii anno Domini 1534 factas, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

8. Cum iuxta doctrinam evangelicam sine intermissione orationibus instantibus invigilandum sit ab omnibus, ut minoris forte devotionis fervor precationum assiduitate pensetur, maxime tamen tribulationis tempore, summo studio ad Omnipotentem et Misericordissimum Deum lacrimosis supplicationibus et obsecrationibus recurrendum est. Hinc est quod praesens generale Capitulum paternae charitatis affectu desolati Ordinis afflictioni, ... *etc. ut in anno praeced. n*^o^ 8.

9. Cum totius sacrae religionis christianae sacrosancta Virgo Dei Genitrix Maria, post Deum sit auctrix perpetua et tutrix indefessa, praecipue tamen nostri sacrosancti Ordinis Cisterciensis assidua [d] et devotissima patrona ; hinc est quod praesens generale Capitulum de ipsius sanctissimae ac dulcissimae Iesu Christi parentis auxilio favoreque benigno plurimum praesumens, utpote quae desolatos consolatur, et neminem devotius implorata relinquit, diffinit, statuit et ordinat, ut eiusdem Genitricis Annuntiationis dies quotannis celebrabitur eo ipso die, quod dioecesani celebrabunt, ne forte si a dioecesanorum ritibus in festis et praecipuis solemnitatibus discrepemus, inde plebs infirmior scandali occasionem sumat, et dicant gentes ubi est Deus eorum, in plenaria, *etc.*

10. Laudabili patrum nostrorum instituto hactenus fuit observatum, ut qui fuere ex Ordine ad sacrarum litterarum magisterium promoti, confestim adepto gradu, et finita regentia, ad propria monasteria reverterentur, ne accepti a Domino talenti immemores aut otio abusi torpescerent, aut quam accepissent a suis monasteriis gratiam in alienum transferrent obsequium ;

---

[d] assidue et devotissime : *M.*

quapropter praesens generale Capitulum studens, quantum potest per patrum vestigia omnibus et singulis Ordinis monasteriis et personis debite providere, moventibus certis et rationabilibus causis, statuit, ordinat et diffinit, ac omnibus, tam in famosa Parisiensi civitate quam aliis, ad doctoratus gradum promotis, et deinceps promovendis, iniungit ut, adepto praedicto gradu et completa regentia, infra trimestre ad propria monasteria reverti compellantur, provisori collegii B. Bernardi Parisiis, ceterisque Ordinis provisoribus inhibendo, ne eosdem ad praedictum gradum promotos in praefatis collegiis ampliori tempore absque Rmi D. N. Cisterciensis, aut Capituli generalis licentia, morari permittant, sed ad ea monasteria in quibus professi sunt, redire compellant, in plenaria, *etc.*

11. Quoniam sub simplicium litterarum missivarum praetextu contingit hactenus nonnullos Ordinis abbates a Capituli generalis comparitione frivolae excusationis causam praetendere ; ne in posterum facilitas veniae incentivum praestet delinquendi, praesens generale Capitulum, secundum domini Benedicti Papae XII statutum volens suos de negligentiae somno ad debitae obedientiæ diligentiam excitare, declarat deinceps nullos Ordinis abbates a Capitulo generali excusandos, nisi iuxta *Benedictinae* tenorem per procuratores suos aut alios probos et idoneos viros habentes speciale mandatum iurandi in animam causas et impedimentum absentiae suae exponi fecerint, in plenaria, *etc* [e].

12. Quoniam multi abbates Ordinis non minus in gravem communis unitatis nostrae scissuram, quam deplorandum conscientiarum ac monasteriorum suorum dispendium, benigna Ordinis indulgentia facile abutuntur, et saepius moniti atque citati negligunt iuxta sancta Summorum Pontificum Ordinisque statuta Capituli generalis congregationi comparere ; praesens generale Capitulum veteris protervae eorum contumaciae correctionis debitae remedia praestare, abbates qui hoc anno ad dictum generale Capitulum non fuerunt legitime excusati, ceterosque nec comparentes nec rationabiliter excusatos, declarat poenas in *Benedictina* et praecedentium Capitulorum generalium diffinitionibus contentas incurrisse, vultque ab omnibus Ordinis commissariis, aut ad duplicis contributionis solutionem, aut secundum *Benedictinae* tenorem cogi ad persolvendum duplum expensae

---

[e] *A*[4] *add.* : de Sommery abbas Septem fontium, Richard abbé de l'Estrée.

quam eundo et redeundo ad Capitulum generale expensuri essent, in plenaria, *etc.*

13. Reverendissimus dominus noster Cisterciensis et dominus abbas de Claravalle charitative obtulerunt se defensuros Ordinem contra commendatarios quotquot poterunt expensis propriorum monasteriorum et reddituum, quos percipiunt quotannis super Ordinem ; et ubi res felicius successerit, habebitur merito respectus ad refusiosem impensarum, quibus se conformare rogat Ordo dominum abbatem de Firmitate, ac de pari reditu parem Ordini subventionem praestare.

14. Cum devotus nostri Cisterciensis Ordinis ortus, iactis in charitate, quae otiosa non est, fundamentis, assiduae visitationis labore, patrumque sollicitudine adeo creverit, ut per universum orbem christianum late fuerit ubique dispersus, necesse est, eisdem conservetur quibus coepit et auctus est adiumentis. Quapropter praesens generale Capitulum per sanctorum praedecessorum vestigia volens corruentis regularis observantiae desolationi subvenire, et natam sub religiosa summorum rerum piorumque principum devotione religionem benigna eorum protectione ad pristinae virtutis specimen reducere, domino abbati de Claravalle, de cuius zelo, experientia et probitate in Domino perfecte confidit, committit Ordinis et totius Capituli generalis nomine christianissimo domino nostro regi imminentem dictae religionis nostrae ruinam humiliter commendare, utque maiestatem eius de his, quorum occasione ruituram periclitari videtur, plene informare possit et quantum poterit charitative providere ; eidem plenariam dat auctoritatem ac potestatem omnia et singula Ordinis monasteria per quae eundo et redeundo, et iniunctum dictum negotium prosequendo eum declinare contingerit, visitandi, corrigendi, emendandi et reformandi secundum quod compererit iuris esse et rationis ; utque semper plenius et perfectius imminenti totius nostrae religionis ruinae succurratur, praesens generale Capitulum reverenter supplicat Rmo D. N. Cisterciensi, quatinus dignetur per aliquot, quot voluerit et viderit expedire, monasteria declinare, illicque visitare, reformare et ordinare, quae invenerint visitanda, reformanda et ordinanda. Et quia nonnulli inobedientiae filii tam abbates quam regimini monasteriorum praesidentes ac officiarii et maxime commendatarii et saeculares plenariam dicti Rmi potestatem non agnoscunt, atque eo praetextu negant suae visitationi obedientiam, et illi propterve reluctantur, praesens

generale Capitulum iuxta antiquas suas diffinitiones plenariam totius Ordinis potestatem in ipso Rmo, maxime dicto Capitulo non sedente, residere declarat, eamdemque, in quantum opus est, dicto Rmo reverenter committit, in plenaria, *etc.*

[DIFFINITIONES] SPECIALES

15. Attentis diligentia, sollicitudine et labore per R. P. dominum abbatem de Voto, s. th. pr., et commissarium specialem Capituli generalis in provincia Normanniae, sumptibus et impensis per eum factis et fiendis specialiter in prosecutione cuiusdam processus Ordinis initi et habiti contra fratrem Ioannem Cloquette, electum de Loco Dei in Pontino, nolentem abbati dicti loci unde primo professus est, profiteri, nec in hoc facto praefato commissario obaudire volentem, praesens generale Capitulum statuit, diffinit et ordinat quod praefatus commissarius de Voto, in compensatione expensarum per eum pro Ordine in dicto processu factarum habeat, possit et debeat recipere arreragia et restas omnium contributionum et subsidiorum in provincia Normanniae Ordini debitorum ; et ubi dicta arreragia non sufficerent vel facile recuperari non possent, dictum generale Capitulum de pecuniis Ordinis se satisfacturum pollicetur, in plenaria, *etc.*

16. Cum patribus Ordinis intersit, quantum commode fieri potest, ut errores de vinea Domini tollantur, et amputentur, iugiter intendere, ut virtutum incrementa inde validius valeant pullulare, utque in nostri sacri Cisterciensis Ordinis monasteriis pro dictorum monasteriorum substantia debitus et competens monachorum ibidem numerus sustentetur, et indefesse ac devote Domino Deo universorum famuletur ; hinc est quod praesens generale Capitulum attenta calamitate et ruinosa desolatione monasterii de Valle sancta, in Provinciae provincia, in Aptensi dioecesi situati, diffinit, statuit et ordinat, ut iuxta religiosam ac piam supremae Acquensis curiae arrestum et sententiam, frater Ioannes Paris, prior dicti monasterii de Valle sancta, posset et valeat fratris Baptistae Streponti et aliorum quorumcumque usque ad competentem numerum, inibi profiteri volentium, professionem capitularem recipere, quodque sic recepti et capitulariter professi possint ab abbate proximo vel alio benedici, facta secundum ordinationem domini Cisterciensis per praedictum fratrem Ioannem Paris in monasterio de Valle sancta, tam in spirituali quam tem-

porali restauratione, laudando, ratificando, approbando et confirmando, in plenaria, *etc.*

17. Quoniam ex tenore litterarum, quas Rmus D. N. Cisterciensis ab abbate de Vallecrescenti, in provincia Provinciae, recepit, praesenti Capitulo generali innotuit, abbatissam et moniales monasterii de Planis a rebelli contumacia sua ad humilem obedientiae viam velle reverti ; praesens generale Capitulum nemini volens salutis viam praecludere, sed quantum potest in Domino aperire, praedicto abbati de Vallecrescenti committit et dat potestatem praefatas abbatissam et moniales poenitentes et ad obedientiam humiliter conversas relaxandi, et ab omnibus et singulis Ordinis censuris absolvendi, prout earum saluti expedire et rationi consonum esse compererint.

18. Audita supplicatione fratrum Adriani, Iacobi et Petri Ioannis, monasterii monialium de Lausduno, in Traiectensi dioecesi, conversorum petentium ut iuxta Ordinis statuta, et Rmi D. Cisterciensis, et sequentem Capituli generalis ordinationem 10 florenorum summam abbatibus monasteriorum a quibus charitative fuerunt suscepti tanto tempore quanto illic habitarent, reddi et persolvi, praesens generale Capitulum non minus desolatis conversis quam poenitentibus monialibus volens paterne providere, abbati de Loco S. Bernardi committit, quatinus auditis hinc inde partibus nimis diuturnam litem componere et in his, quae pacem, animarum quietem, debitamque Ordinis obedientiam concernunt providere et terminare, in plenaria, *etc.*

19. Cum humili supplicatione abbatis de Ponte alto petentis antiquam contributionum monasterio suo impositam taxam gratiose moderari, et ad mitiorem aliquam quottam taxari, fuerit expositum graves praedicti monasterii ruinas non posse sine benigna aliqua dictae taxae remissione ad pristinae integritatis statum reduci ; praesens generale Capitulum, illustrissimae principis reginae Navarrae commendatione et favore, a qua praedictus abbas fuit commendatus, atque charitatis intuitu praedicto monasterio de Ponte alto ad 24 libr. turon. summam imposito tertiam antiquae taxae partem benigne remittit, et ad 16 libr. turon. quottam reducit, in plenaria, *etc.*

20. Abbatem de Sancto Leonardo, contra decreta apostolica, Ordinisque statuta, non modo contributionis monasterio suo ab antiquo impositae taxam solvere renuentem, sed praeter debitae hospitalitatis honestatem Ordinis commissario iniuriosum ac cru-

delem et irreverenter patrum Ordinis honori detrahentem, praesens generale Capitulum promotori Ordinis responsurum ad proxime futurum generale Capitulum citari ordinat et diffinit, interim nihilominus iniungendo primo Ordinis commissario super hoc requirendo, quatinus praedicto abbati habeat sub poenis et censuris in *Benedictina* contentis tempus certum praefigere, infra quod debitorum arreragiorum et anni praesentis contributiones integre solvere teneatur, et solvat ; non solventem praedictas poenas in *Benedictina* contentas incurrisse declaret et denuntiet, in plenaria, *etc.*

21. Committitur magistro Petro Ramaille, s. th. pr., collegii S. Bernardi Parisiis provisori, procuratorium ad causas Ordinis procurandas, et datur potestas alium procuratorem, ubi personaliter vacare non poterit, subdelegandi, qui simili vel limitata potestate fungi possit, in plenaria, *etc.*

Nos, frater Guillermus, *etc.* Nos confidentes et experti diligentiam, discretionem, solertiam, et in rebus agendis prudentiam venerabilis et religiosi viri, magistri Petri Ramaille, s. th. pr. eximii, et collegii nostri S. Bernardi Parisiis provisoris, ex nostris certis scientiis et deliberationibus, melioribusque via, iure, modo et forma, quibus melius potuimus et debuimus, possumusque et debemus, fecimus, constituimus, creavimus, nominavimus, elegimus et ordinavimus, tenoreque praesentium facimus, constituimus, creamus, nominamus, eligimus et ordinamus procuratorem nostrum generalem actorem, factorem et negotiorum nostrorum infra scriptorum gestorem, certumque nuntium specialem, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, aut econtra dictum magistrum Petrum Ramaille... *etc. ut in forma creandi procuratorem.*

22. Ad supplicationem prioris de Masuris reverenter exponentis suum prioratum sic esse ruinosum, quod ad eius restaurationem vix sufficerent redditus trium aut quatuor annorum, atque adeo humiliter supplicantis arreragia contributionum annorum praeteritorum, non per se sed per suos antecessores facta sibi remitti, praesens generale Capitulum miseratione tantae ruinae ac intuitu culpae antecessorum eius, quam portare non potest, supplicationi dicti prioris benigne annuens, omnia annorum praeteritorum arreragia contributionum usque ad praesentem annum remittit, ea tamen conditione quod contributiones huiusce praesentis anni persolvat, in plenaria, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

23. Abbatibus de Igniaco, et de Signiaco, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum de Elancio ex una, et honestum virum magistrum Benedictum Favereau ac Catharinam eius consortem ex altera partibus, de quadam firma et censa dicta la petite Thienne, et pluribus aliis terris, domibus et pratis, in litteris quibus praesentes annectuntur plenius specificatis, inito et passato, diligenter inquirant, et proximo generali Capitulo referant, in plenaria, *etc.*

24. Abbatibus de Roseriis, s. th. pr., et de Aceyo, ac eorum cuilibet in solidum, generale Capitulum committit, quatinus super contractu inter abbatem et conventum monasterii de Charitate, in Bisuntiensi dioecesi, ex una, et potentem ac nobilem virum dominum Ioannem de Rupt ex altera partibus, ratione cuiusdam litis inter eos componendae, prout in litteris super hoc confectis, quibus praesentes annectuntur,plenius continetur, inito et passato committit diligenter de praedicti contractus utilitate inquirere, et proximo futuro generali Capitulo referre, in plenaria, *etc.*

25. Visis informationibus factis per abbatem de Charitate prope Lezinas, a Capitulo generali deputatum, et ad eius relationem praesens generale Capitulum contractum inter abbatem et conventum monasterii de Quinciaco ex una, et honestum virum Ioannem Rasfard iuniorem, de certis terris et uno prato, in litteris quibus praesentes annectuntur plenius declaratis et specificatis, initum et passatum, ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

26. Visis informationibus in vim commissionis ultimi praecedentis Capituli nostri generalis factis, super contractu inter dominum abbatem de Pontigniaco et eius conventum, cum Margareta de Gribon dicta Lamye, vidua defuncti Guillelmi Fauleau, dum viveret mercatoris Antissiodorensis, eodemque contractu diligenter examinato, et cui contractui hae praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat praedictum contractum, in plenaria, *etc.*

27. Super contractu inter abbatem et conventum de Prulliaco ex una, et Catharinam Riolet, viduam defuncti Nicolai Brule ex altera partibus, inito et passsato, generale Capitulum committit abbates de Caroliloco, s. th. pr., et de Septem fontibus, et quem-

libet in solidum ad diligenter informandum et referendum, in plenaria, *etc.*

28. Ad idem, pro eadem de alio contractu.

29. Visis informationibus per deputatos a novissimo generali Capitulo factis, et ad eorum relationem, praesens generale Capitulum subsequentes contractus ab abbate et conventu monasterii de Ursicampo, in Noviomensi dioecesi, factos et initos, ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.* — Et primo, contractum initum cum decano et capitulo Noviomensis ecclesiae, ratione decimarum grossarum firmae sive censae dictae de Malemaison in parochia de Lachegny. — Item, contractum initum cum praedictis decano et capitulo, ratione decimarum minutarum et grossarum domus et firmae dictae de la Charmoye. — Item, contractum initum cum Nicolao Clenet et Ioanna Clenet eius filia, ratione praedictae domus dictae de la Charmoye. — Item, contractum initum cum Eligio de la Vacquerye, ratione censsae dictae de Malemaison. — Item, contractum factum et passatum cum Reginaldo Tullin et Catharina Pauquet eius uxore, ratione quartae partis censae de Warviller, in Belvacensi dioecesi. — Item, contractum initum cum Theobaldo de Servoys et eius uxore, ratione alterius quartae partis dictae censae de Warviller. — Item, contractum initum cum Nicolao Cernoys, pro media parte quartae partis dictae causae de Warviller. — Item, alium contractum initum cum Reginaldo Casset et eius uxore, pro alia medietate quartae partis dictae domus et firmae de Warviller. — Item, alium contractum initum cum Iacobo Vignon et Margareta Tullin eius uxore, ratione alterius quartae partis praedictae domus et censae de Warviller. — Item, alium contratum initum cum Petro de Milam et Catharina eius uxore, ratione quartae partis domus et censae Derreuzes, in Belvacensi dioecesi. — Item, alium contractum initum cum Petro Farle et Michaela Camet eius uxore, ratione quartae partis cum medietate alterius quartae partis dictae domus Derreuzes. — Item, alium contractum initum cum Ioanne Bertoux et Francisca Tullin eius uxore, ratione quartae partis et alterius quartae partis medietate dictae domus Derreuzes. Item, alium contractum initum cum Anthonio Bertoux mercatore Parisiensi, et Francisca Clenet eius uxore, ratione cuiusdam domus apud Parisios in vico qui dicitur vicus Godfridi Laignier. — Item, alium contractum initum cum Ioanne de la Vacquerye, et Sebastiana eius uxore, ratione cuiusdam domus sitae apud Pari-

sios in praedicto vico Godfridi Laignier. — Item, alium contractum initum cum Ioanne Decaullemont, ratione medietatis censae de Puyseux, in Suessionensi dioecesi. Item, alium contractum initum cum Nicolao Le Tellier, ratione alterius medietatis dictae censae de Puyseux. — Item, alium contractum initum cum Ioanne Fierchonnier, ratione censae dictae de Perviller. — Item, alium contractum initum cum Ioanne le Maugnier, pro duodecim falcatis prati et tribus modiatis terrae sitis in finibus et limitibus villae de Sempigny, in dioecesi Noviomensi. — Item, alium contractum initum cum magistro Godfrido de Parthenay, ratione cuiusdam domus sitae apud Noviomum. — Item, alium contractum initum cum Adriano de Marle, Noviomensi mercatore, ratione cuiusdam domus apud Noviomum sitae. — Item, alium contractum initum cum Petro Brimel, ratione quartae partis censae Darchonval, in Belvacensi dioecesi. — Item, alium contractum initum cum Matheo Brimel, ratione alterius quartae partis dictae censae Darchonval. — Item, alium contractum initum cum Guillelmo de Baugran, ratione alterius quartae partis dictae censae Darchonval. — Item, alium contractum initum cum Iacobo Potier de terris des Cassis dependentibus a firma de la Charmoye. — Item, alium contractum initum cum Ioanne Legrou, ratione domus, terrarum et pratorum vulgo appellatorum La Loge Mignot. — Hos omnes contractus praenominatos et amplius in litteris super his confectis quibus praesentes annectuntur specificatos, generale Capitulum, ut praedictum est, ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

30. Contractum inter abbatem et conventum monasterii de Quinciaco ex una, et honorabilem virum Ioannem de Chaumes mercatorem ex altera partibus, initum et passatum, prout in litteris... *etc.* ad relationem abbatis de Charitate prope Lezinas specialiter deputati, praesens generale Capitulum ratificat, *etc.*

31. Visis informationibus factis per abbatem de Callovio, a domino abbate de Pontigniaco deputatum, praesens generale Capitulum contractum inter abbatem et conventum monasterii de Bonoradio ex una, Petrum Boule et Edmundum Boule eius filium, ac Laurentium Boule praedicti Petri fratrem ex altera partibus initum et passatum, tamquam praefato monasterio commodum et utilem ratificat, *etc.*

IUDICES

32. Praesens generale Capitulum debite informatum de citatione facta abbati monasterii de Melros in Scotia, ad diem secundam ipsius Capituli generalis, per abbates de Cupro et de Valle lucis, eiusdem Capituli generalis commissarios, in qua quidem die dictus abbas de Melros non comparuit, benigne et mature cupiens contra ipsum abbatem citatum procedere, pro multis causis praefatam citationem ad secundam diem futuri proximi Capituli generalis continuat, praecipiendo dictis abbatibus de Cupro et de Valle lucis commissariis generalibus ipsius Ordinis Cisterciensis in Scotia, ut dictam citationis continuationem ei significent, et ipsum iterato citent, aut citari faciant, ac ipsum abbatem de Melros, ac ceteros abbates et religiosos dicti Ordinis Cisterciensis, ad observandum vitam monasticam et sanctas ordinationes, ipsis ab abbate monasterii Caroliloci generali Ordinis commissario anno Domini 1531 datas, indissimulanter compellant, permittendo tamen dictis commissariis abbatibus de Cupro et de Valle lucis et eorum discretionibus, ut usque ad proximum generale Capitulum, si ipsis expediens videatur, aliquas moderationes rationabiles decretis Ecclesiae ac patrum statutis, et votis religionis non repugnantes, facere possint super his, quae indispensabile paupertatis votum concernunt ; de quibus moderationibus et praedicta citatione Rmum D. N. Cisterciensem et Diffinitores in proximo generali Capitulo informare tenebuntur, in plenaria, *etc.*

33. Laudabiles patrum diffinitiones et sancta praedecessorum instituta praesens generale Capitulum inviolabiliter observare desiderans, illisque vigilanter inhaerere cupiens, et cunctis iuxta earum tenorem Ordinis suppositis providere anhelans, humili iustae et rationabili supplicationi fratris Petri Teffre, monasterii de Longovillari expresse professi, nunc vero in monasterio Savigniaci commorantis, devote annuens statuit, diffinit et ordinat, quod abbas dicti monasterii de Longovillari tenebitur praedicto fratri Petro de vestiario honesto et decenti providere, vel iuxta antiquas diffinitiones et alias ad hunc finem specialiter novissimis annis expeditas, summam decem librarum per singulos annos ministrare vel ministrari facere, et ut praesens diffinitio executioni mandetur, praesens generale Capitulum committit abbati Caroliloci, s. th. pr., ut praefatum abbatem de Longovillari ad id

faciendum et exsequendum viriliter compellat, in plenaria, *etc.*

34. Praesens generale Capitulum de rebelli abbatissae et conventus monasterii de Pratis, in Trecensi dioecesi, extra Ordinem appellatione sufficienter informatum, domino abbati de Claravalle committit et iniungit praedictum monasterium de Pratis visitare et inobedientes secundum papalia et Ordinis statuta, aut punire aut ad promissae obedientiae humilitatem et puritatem misericorditer revocare, ac ea facere, quae dictam appellationem concernunt, prout iuris compererit esse et rationis, in plenaria, *etc.*

35. Ad querimoniam nobilis viri Ioannis domini de Nicoy et de Romilly multa christiano et religioso viro indigna contra abbatem de Sigilleriis proponentis, praesens generale Capitulum domino abbati de Claravalle, vel alteri ab eo deputando committit et iniungit quatinus de criminibus dicto abbati impositis, quam citius et diligentius fieri poterit, inquirat, et inquisitione facta corrigat, emendet et puniat, et per omnes iuris et iustitiae vias procedat, secundum quod aequitatis viderit esse et rationis, in plenaria, *etc.*

36. Audita querimonia fratris Francisci Groult, religiosi de Savigniaco, in Abrincensi dioecesi, adversus fratrem Richardum Jouault, priorem dicti loci, et fratrem Andream Potier, eiusdem monasterii professum, dictum generale Capitulum committit abbates de Voto et de Igniaco, et quemlibet eorum in solidum, ad inquirendum et informandum, et quidquid iuris cognoverit esse faciendum, ordinandum, et litigium, quoad poterunt, sedandum et pacificandum, et ubi personnaliter commode huic negotio terminando vacare non possent, alios Ordinis abbates ad idipsum exsequendum valeant subdelegare, in plenaria, *etc.*

37. Ad supplicationem fratris Ioannis Audry, monasterii de Sigilleriis professi, petentis absolvi ab irregularitate, quam monasterium sine licentia exeundo incurrit, sibique de alio monasterio ad morandum provideri, in quo salutem suam in Domino operari possit, praesens generale Capitulum dictum fratrem Ioannem compunctum et poenitentem absolvit, atque ad dominum abbatem de Pontigniaco, patrem abbatem monasterii de Ioyaco, a quo dictum monasterium de Sigilleriis immediate dependet, remittit, eidem de mansione et stabilitatis suae habitaculo provisurum, et cetera facturum quae iuris esse compererit et rationis, in plenaria, *etc.*

EXCUSATIONES [ABBATUM]

38. Sequuntur abbates qui fuerunt hoc anno a Capitulo generali excusati : abbas de Belloprato in Lotharingia, s. th. pr., de Voto, s. th. pr., de Brolio Benedicti, s. th. pr., de Pratea, iuris canon. doctor, de Regalimonte, de Noa, de Bonoportu, de Rigniaco, de Fonte Ioannis, de Pietate, de Quinciaco, de Signiaco, de Belloprato Belvacensi, de Bonofonte, de Valle Richerii, de Valleclara, de Valle regis.

SUFFRAGIA

39. Frater Guillermus, abbas Cistercii, *etc.* venerabili et probissimo domino Petro Michon, computorum regiorum apud Parisios audituro, et Stephanae Augenot eius consorti, sanctae devotionis suffragium salutare. — Quamquam divinae legis... *etc. ut in forma consueta,* ad instantiam abbatis de Caroliloco, vobis omnium bonorum spiritualium ... *etc.* concedimus participationem et associationem, *etc.* Datum, *etc.*

40. Ad idem, pro nobili et consultissimo viro ac domino, domino N. Nicolay, regiorum computorum apud Parisios praeside dignissimo, et domicella N. Baillet eius consorte.

CONTUMACES

41. Acta et facta per Rmum D. N. Cisterciensem contra abbatem de Chassania contumacem et excommunicatum, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria Ordinis potestate.

LITTERAE

42. Humillima salute et supplici commendatione praemissa, Rme domine et antistes clementissime, religiosa illa et plusquam benigna facilitas, qua non auditus modo, sed humanissime a Celsitudine vestra exceptus est carissimus coabbas noster Claraevallis, congregatos in Domino invitavit ut precibus apud Deum, apud Excellentiam vestram litteris gratitudinis debitae officium praestaremus, eumdem propterea et accepti ab humanitate vestra beneficii, et grati animi nostri testem humiliter

remittimus, et ut Rmae dominationis vestrae dignatio ex ipsius ore quales possumus gratias et orationes nostras gratanter excipiat, et desolatae religionis nostrae misereatur. Ex nostro Cisterciensi diffinitorio ac monasterio, etc.

* * *

43. Quoniam propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*o 30.

1540

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anni Domini 1540.

DIFFINITORES : de **Cistercio**, sedes vacat, de Sancta Fide, de Buxeria, de Molinis, de Sancto Remigio, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Maceriis, de Lococrescenti, de Signiaco, de Cheminione, monasteriorum abbates ; loco domini de **Pontigniaco**, de Charoloco, s. th. pr., de Rota, de Altofonte, de Bullencuria, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Alna, de Albaripa, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates ; de **Morimundo** de Oliva, de Clarofonte, de Valle dulci, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Sancta Fide, de Valle dulci, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : magistri Ioannes Bartholomeus et Iacobus de Divione, s. th. pr.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Aceyo, de Signiaco, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Bellavalle, de Aceyo, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Buxeria, et in absentia eius de Signiaco, de Aceyo, monasteriorum abbates, procurator Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : magister Iacobus de Divione, s. th. pr., Cistercii professus.

1540. *Fontes* : A^4 : 7, 8, 32-37, 40, 41, 46, 58 ; L^7 : A, B, 1-58 ; *M* : 7, 36 ; P^2 : 1, 6, 7, 9, 10, 13, 28, 36-39 ; *Va* : A, B, 1-5, 7, 9, 10-14, 36.

PORTARIUS DIFFINITORII : magister Ioannes Bartholomeus, s. th. pr.

NOTARII AD PEDES : fratres Ioannes de Divione, Ioannes de Divione, Cistercii professi.

* * *

Ex parte dominorum Diffinitorum praesentis Capituli generalis inhibetur sub poena excommunicationis omnibus personis Ordinis, quae pecunias aliquas pro solvendis contributionibus aut redditibus ad praesens generale Capitulum detulerint, ne transacto hodierno die vinum bibant, donec easdem tradiderint auditoribus computationum ab eodem Capitulo deputatis. Datum Cistercii sub affixione contrasigilli dicti Capituli die vicesima sexta mensis aprilis, anno Domini 1540.

* * *

B) Nomina abbatum Capituli generalis huius anni 1540. — de Claravalle, de Morimundo, de Charoloco, s. th. pr., de Maceriis utriusque iuris doctor, de Alna, de Albaripa, de Monte Sanctae Mariae, de Buxeria Eduensi, de Bellavalle, de Lococrescenti, de Bullencuria, de Cheminione, de Clarofonte, de Aceyo, de Signiaco, de Molinis, de Oliva Pampilonensi, de Rota Caesaraugustensi, de Sancto Remigio, de Altofonte, de Sancta Fide, de Valle dulci. — Praedicti abbates sunt numero 22.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, die vicesima sexta mensis aprilis, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta et diffinita sunt quae sequuntur.

ORATIONES

1. Primo [b], pro sanctissimo, ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

---

[a] *Titulus apud* A^4, L^7, *Va.* [b] Sub Paulo 3, ... sede Cistercii vacante : P^2.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, Diffinitores Capituli generalis, ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa novi debiti, quae fuerit inventa ex computationibus, quae reddentur in proximo generali Capitulo, quam quidem summam ex nunc prout ex tunc praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat ; et oporteat Ordinem ipsum ... *etc.*

7. Quoniam his malignis temporibus, pro dolor ! vigent in diversis christianitatis partibus varii errores contra fidem et maxime circa venerabile Eucharistiae sacramentum, ideo ut maior fidelium devotio erga ipsum sacramentum excitetur et habeatur, praesens generale Capitulum permittit omnibus abbatibus et abbatissis ac ceteris regularibus personis Ordinis, ac eosdem hortatur, ut aliqua feria cuiuslibet septimanae, si vacaverit, et potissimum feria quinta possit celebrari missa conventualis de ipso sacrosancto Eucharistiae sacramento, cum versiculis et collectis pertinentibus, in plenaria Ordinis potestate.

8. Praesens generale Capitulum ordinat et diffinit, quod die vicesima septima huius mensis, secunda praesentis Capituli, celebrabuntur missae et supplicationes sequentes : primo ante missam fiet processio pro pace et unitate sanctae matris Ecclesiae, ac pro christianissimo Francorum rege, ac pro omnibus christianis principibus, in qua intererunt omnes abbates, et incipiet *Exurge, Domine,* etc. cum responsorio *Tua est potentia,* etc., et si opus sit *Tu, Domine universorum,* etc. — Deinde subsequatur missa de defunctis per abbatem celebranda pro felicis et piae recordationis Rmo domino nostro nuper defuncto, in qua intererunt omnes abbates ; qua finita a cantore inchoabitur *Libera,* eundo processionaliter super tumulum praedicti domini defuncti. Et ultima missa celebrabitur pro pace et unitate sanctae matris Ecclesiae, cuius initium *Salus populi,* in qua etiam dicetur collecta pro christianissimo rege Francisco, in plenaria, *etc.*

9. Cum praesens generale Capitulum sit debite informatum nunc nullum esse in Curia romana Ordinis procuratorem, cuius absentia privilegia et libertates Ordinis non modicam patiuntur iacturam, ordinat quod scribentur litterae ad abbatem Sancti Sebastiani, qui a multis annis fuit ab Ordine institutus procurator in dicta Curia, an velit ad dictam Curiam redire et illic residere pro dicto suo officio exercendo, alias in sequenti proximo generali

Capitulo, aut per Rmum futurum providebitur prout iuris fuerit et rationis.

10. Quia piae memoriae Rmus D. N. ultimo defunctus in diversis orbis partibus constituerat idoneos et sufficientes commissarios, tam pro visitationibus faciendis quam pro contributionibus recipiendis, praesens generale Capitulum illos continuat et ducit continuandos usque ad sequens generale Capitulum, vel quod aliter per Rmum futurum sit provisum, in plenaria, *etc.*

11. Etsi per privilegia nostra, constitutiones Summorum Pontificum et Ordinis diffinitiones fuerit districte et sufficienter statutum, omnes Ordinis abbates interesse debere generalibus Capitulis, per defectum tamen abbatum multoties non possunt haberi, ideo de novo praesens generale Capitulum habens pro excusatis, qui se litteratorie et sufficienter excusarunt, quorum nomina in fine huiusce registri inscribantur, decernit et diffinit quod ii citabuntur ad proximum sequens generale Capitulum, quod ex nunc indicitur celebrandum anno proximo loco et tempore consuetis ; et ceteri absentes, qui non se excusarunt, citabuntur cum intimatione quod sive venerint sive non, et non obstante eorum absentia, providebit generale Capitulum super his quae videbuntur Ordini necessaria ; et nihilominus contra eos qui non interfuerint, procedetur secundum poenas apostolicis privilegiis et Ordinis statutis indictas. Onus autem citandi ex nunc committitur commissariis supra nominatis, vel per eos deputandis, in plenaria, *etc.*

12. Et quia, pro dolor ! multa Ordinis monasteria nunc commendantur in maximum Ordinis detrimentum et perditionem, ut credendum est, animarum religiosorum et ceterorum in commendatis monasteriis degentium, ut a paucis diebus quibusdam visitatoribus relatum fuit, tum propter alimenta illic residentibus non administrata, ut moris erat, eleemosinis etiam non habitis et charitate hospitibus denegata, tum etiam propter ruinas illis monasteriis imminentes, et futuras si non aliter provideatur. Hinc est quod praesens generale Capitulum permittit conventibus monasteriorum nunc commendatorum convenire cum commendatariis, habito tamen prius consilio visitatorum in illis partibus commissorum, seu patrum abbatum, pro habenda parte redditus monasteriorum sufficienti pro suis alimentis, reparationibus monasteriorum, charitate hospitibus administranda et eleemosinis, quibus maior pars bonorum Ecclesiae debetur, erogandis,

hac tamen conditione quod referantur proximo sequenti Capitulo, cuius auctoritate declarabuntur tractatus confirmandi vel infirmandi, non obstantibus aliquibus statutis et ordinationibus antea in contrarium factis, in plenaria, *etc.*

13. Omnibus utriusque sexus monasteriis Ordinis permittitur celebrare festum Praesentationis divae Mariae, usque ad aliam Rmi futuri vel Capituli generalis diffinitionem, in plenaria, *etc.*

14. Ad idem, pro festo divi Claudii.

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

15. Nos, Diffinitores, etc. domino de Morimundo praesens generale Capitulum committit cum potestate substituendi quatinus tractatum initum et passatum inter abbatem et conventum Bellaevallis ex una, et magistrum Desiderium Hasbot de Firmitate super Albam et Georgium Guyart eiusdem loci ex altera partibus, visitet et super utilitate illius inquirat, quodque ei visum fuerit, generali Capitulo referat, et si ita expediens iudicaverit, confirmet vel infirmet.

16. Ad idem, super tractatu inito et passato inter praedictum abbatem et conventum ex una, et habitatores loci de Syreyo ex altera partibus.

17. Contractum initum et passatum inter abbatem et conventum de Moris ex una, et honorabilem virum Ioannem de Champeaux, civem Trecensem, ex altera partibus, de quantitate quinquaginta sex arpentis terrae, praesens generale Capitulum visis informationibus desuper factis per abbatem de Quinciaco, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

18. Ad idem, super tractatu inito et passato inter quondam Rmum cardinalem Odonem de Chastillon, abbatem commendatarium Vallis lucentis, Rmum episcopum de Sydon quondam abbatem et adhuc pensionarium et gubernatorem eiusdem monasterii Vallis lucentis, ac conventum eiusdem ex una, et nobilem virum Ludovicum de Lannoy, dominum de Molinons, etc. ex altera partibus, *etc.* sicut in superiori.

19. Visis informationibus domini abbatis de Claravalle super transactionis habitae portionis domus de Moris sitae in civitate Trecensi tractatu inter abbatem et conventum de Moris, et nobilem virum Nicolaum Dorigny, civem Trecensem, ex altera partibus, praesens generale Capitulum tractatum ipsum approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

20. Contractum inter abbatem et conventum de Moris ex una, et Nicolaum Le Tartier, civem Trecensem, ex altera partibus, super quadam domo sitae Trecis, vulgo nuncupata Hospitium des trois Mores, praesens generale Capitulum, visis informationibus domini abbatis de Claravalle super eodem, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

21. Praesens generale Capitulum committit abbates de Signiaco et de Bullencuria, et quemlibet eorum in solidum, ad inquirendum et informandum super commodo vel incommodo cuiusdam contractus initi et passati inter dominum abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Agnetem Largentier, civem Trecensem, ex altera partibus, de quadam domo cum suis pertinentiis sita in civitate Trecensi, et ad fideliter referendum in proximo generali Capitulo, in plenaria, *etc.*

22. Contractum inter dominum abbatem et conventum Claraevallis ex una, et Claudium Le Tartier, Savinam eius uxorem, eorumdemque liberos ac alios in ipso descriptos ex altera partibus, super locatione suae magnae domus de Castro, aedificiorum aisantiam et pertinentiarum eiusdem, iam confirmatum, prout constat, per abbates de Savigniaco et Elancio, a Capitulo ad hoc commissos praesens generale Capitulum denuo, in quantum opus est, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

23. Praesens generale Capitulum committit abbatem de Alna ad inquirendum et diligenter informandum super tractatu inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Sancto Remigio ex una, et Henricum Elana ex altera partibus, de domo vulgo nuncupata de Sarteau prope Gribiermontem, cum illius pertinentiis et aliis in contractu declaratis, et ad fideliter referendum in proximo generali Capitulo, in plenaria, *etc.*

24. Contractum initum et passatum inter dominum abbatem et conventum de Claravalle ex una, et dominam Savinam, relictam Claudii Le Tartier et suos liberos, ac alios in dicto tractatu nominatos ex altera partibus, super quadam domo Trecis sita, vulgariter dicta domus Castri, iam confirmatum, prout constat, per abbates de Signiaco et de Elancio, *etc. ut supra n*º 22.

25. Ad idem, inter dominum eumdem, *etc.* ex una, et Claudium Le Tartier, Savinam eius uxorem, eorum liberos ac alios in dicto contractu descriptos, super locatione suae magnae domus de Castro aedificiorum aisantia et pertinentiarum eiusdem ac terrarum, pratorum, lothorum, ventarum, emendarum, censuum et

rerum aliarum, prout in dicto contractu habetur, etc. ut in praecedenti.

26. Praesens generale Capitulum contractum initum inter abbatem et conventum de Clarofonte ex una, et Iacobum Paquotte, dominum loci qui dicitur de Villa Dei ex altera partibus, de quadam domo et eius pertinentiis sita in oppido dicto Conflans visitandum, deque commodo vel incommodo monasterii diligenter inquirendum et informandum, ipsumque contractum secundum quod iuris esse et rationis iudicaverit confirmandum vel infirmandum, domino abbati de Morimundo committit, cum potestate substituendi unum, qui potestatem habeat, dumtaxat inquirendi et informandi, ac eidem domino referendi, etc.

27. Ad idem, de tractatu inito inter eumdem abbatem et conventum ex una, et Nicolaum Paquotte et Philippum Paquotte, incolas eiusdem loci, ex altera partibus, super grangia dicta de Verini, et molendino iuxta eam sito, etc.

28. Visa supplicatione abbatis de Caroloco, continente conventum suum nolle suum sigillum apponere contractibus, quod inivit ad utilitatem et commodum sui monasterii, praesens generale Capitulum committit domino abbati de Morimundo, cum potestate substituendi, ut inquirat super praemissis et diligenter informet ac referat in proximo generali Capitulo, in plenaria, *etc.*

CONFIRMATIO PROVISIONIS

29. Visis provisionibus SS. Patris domini Pauli, Dei providentia Papae III, super expeditione bullarum in forma coadiutoriae concessarum fratri Ioanni Lequin in monasterio de Clarofonte, praesens generale Capitulum eas cum reverentia recipit, gratasque et acceptas habet, in plenaria, *etc.*

* * *

30. Visa supplicatione nobis facta per fratrem Petrum Serenum, religiosum de Fonteneto, in sacra pagina licentiatum, olim bursarium collegii S. Bernardi Parisiis, qua supplicabat obtinere mandatum a nobis quo posset nostra auctoritate abbates et commendatarios omni via iuris et iustitiae compellere et per Ordinis censuras cogere ad solutionem debitorum suorum religiosorum in dicto collegio nunc vel olim degentium, dummodo constet. Nos

considerantes dictam supplicationem iustam et rectam : iustum nempe est et iure naturae institutum ut parentes suos proprios filios nutriant et educant, praedictum mandatum dicto fratri Petro in nostro diffinitorio contulimus, et per praesentes conferimus, mandantes omnibus patribus abbatibus, vicariis nostris, aliisque patribus visitatoribus ac patribus mediate vel immediate superioribus aliisque vicinioribus super hoc requisitis, quatinus dicto fratri Petro olim bursario habeant iustitiam ministrare, nostra auctoritate omni via iuris et iustitiae compellendo, omnes abbates et commendatarios aliosque officiarios et religiosos ad solutionem et persolutionem omnium et singulorum debitorum dictorum scolasticorum, in plenaria, *etc.*

31. Ad supplicationem sororis Ioannae Darcey, se dicentis abbatissam monasterii de Consolatione et conquaerentis se vi expulsam cum aliquot suis monialibus a monasterio suo, praesens generale Capitulum abbatibus de Rigniaco et de Quinciaco, et cuilibet eorum in solidum, ut eam quae nunc praeest dicto monasterio de Consolatione per iuris et iustitiae vias ac Ordinis censuras cogant et compellant, seu alter eorum cogat et compellat, ad recipiendum dictam sororem Ioannam Darcey cum aliis monialibus cum ea eiectis, vel eisdem providendum de alio monasterio, iuxta Ordinis statuta, committit et ordinat, in plenaria, *etc.*

SUFFRAGIA

32. Gementes et flentes dilectae nobis in Christo filiae abbatissa et conventus monasterii nostri monialium de Vivario nobis exposuerunt ecclesiam, claustrum et alia aedificia eiusdem monasterii summa aquarum inundatione corruisse, aut ruinam irreparabilem de proximo minari, seque habere animum tantis incommodis obviandi quantum possibile fuerit, fieri autem non posse nisi suffragio et auxilio fidelium tam regularium quam saecularium, obnoxie rogantes quatinus universitatem vestram pro succursu earum interpellare vellemus ; et quia pro Summi Dei, eiusque intemeratae Genitricis reverentia universis locis ecclesiasticis subvenire consuevimus, universitatem vestram in generali et particulari pie in Domino hortamur, quatinus de bonis vobis a Deo collatis praefatis sanctimonialibus subvenire velitis ; sumus enim in vinea Domini unum corpus, et quodlibet membrum alteri aegrotanti et languenti munere divino subvenire con-

suevit ; ut autem liberabilius ad tam opus pium manus promptius porrigatis adiutrices, damus auctoritatem nuntio earumdem in Ordine nostro professo et in sacerdotali ordine constituto absolvendi eos, qui sunt Ordinis nostri et quemlibet eorum ad opus praedictum aliquod iuxta devotionem vestram conferentes, in foro conscientiae cum poenitentia salutari ab omnibus casibus dicto generali Capitulo reservatis, et tam vobis qui nostri Ordinis estis, quam ceteris omnibus ad hoc opus aliquid conferentibus impertimur participationem omnium indulgentiarum Ordinis, etc.

33. Idem pro monasterio de Colongiis monialium, quod incendio fuit devastatum.

34. Idem pro monasterio monialium de Valle S. Bernardi prope Distich, quod similiter incendio fuit devastatum.

35. Suffragium, sive litterae commendatitiae pro licentiato de Fonteneto. — Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, sede vacante, venerabilibus et in Christo nobis praecarissimis coabbatibus nostris, venerabilibus etiam commendatariis et abbatissis sacri Ordinis Cisterciensis, necnon dilectis in Christo prioribus, priorissis, ceterisque locorum rectoribus, personis quoque Ordinis nostri regularibus universis, praesentes litteras inspecturis, salutem et operibus charitatis operire multitudinem peccatorum. Etsi, teste apostolo, bonum operari ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei teneamur, illos tamen dignum est amplissimis prosequi favoribus, qui de fontibus Salvatoris totis viribus studiose ac diligenter diu haurientes fidelibus ubique populis aquas sapientiae salutaris parati sunt copiosissime propinare. Cum itaque nobis certitudinaliter constiterit quod dilectus in Christo nobis filius frater Petrus Serenus, in sacra pagina licentiatus in Universitate Parisiensi, religiosus monasterii de Fonteneto in bibliae et sententiarum lectionibus, responsionibus ac sermocinationibus assidue sudando, religioseque vivendo ad decorem et honorem nostri Ordinis et multorum aedificationem ; actus quoque scolasticos diligenter simul et studiose in dicta Universitate peregerit et ad gradum licentiae pervenerit, ac divina sibi favente gratia magistralis seu doctoralis gradus apicem in alma theologiae facultate, ut ea quae diu in aure audivit, iuxta Salvatoris edictum, praedicet super tecta, in proximo sit ascensus ; si tamen ut spe firma vos liberali animo facturos speramus manus vestrarum largitatum liberaliter ei porrigere decreveritis adiutrices, absque quarum haud dubium speciali iuvamine et

charitativo subsidio tam solemne et honorificum opus ad honorem Ordinis et utilitatem fidelium minime perficere posset. Hinc est quod eiusdem licentiati multiplicia charismata attendentes, quibus exigentibus dignum eum iudicavimus, ne tamquam lucerna ardens et fulgens abscondatur sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt, honorifice collocetur, ac quamplurimos inde fructus honoris et honestatis Altissimi largiente gratia nedum toti Ordini nostro, sed et universis sanctae matris Ecclesiae filiis, ad ipsius Ordinis decus et honorem profuturos germinari sperantes omnes vos et singulos vestrum in visceribus Iesu Christi, quantum possumus, hortamur et rogamus, quatinus praemissorum omnium occasione, ac divinae remunerationis intuitu, quam nihilominus ex hoc consequimini, eidem licentiato de vobis a Deo collatis sic liberaliter viscera vestrae charitatis aperire et cum effectu exhibere velitis, ut ad memoratum doctoratus apicem provehi, eiusque onera et expensas gravissimas, in talibus fieri solitas supportare valeat, nostrasque huiusmodi preces gaudeat sibi profuisse. Ad quod ut vehementius, cum id summopere desideremus de totius Ordinis nostri thesauro spiritalium charismatum dona vobis conferre et distribuere volentes, eidem licentiato concedimus praesentium tenore facultatem et plenum posse vos et quemlibet vestrum in foro conscientiae audiendi atque iniuncta poenitentia salutari ab omnibus et singulis casibus, peccatis, censuris et sententiis nostro generali Capitulo reservatis, nostra auctoritate absolvendi, sententiis tamen in non mittentes scolares cum debitis provisionibus ad generalia Ordinis studia, ac in non solventes annuas contributiones, latis et promulgatis dumtaxat exceptis. Datum in diffinitorio, *etc.*

36. Conceditur licentia domino abbati Claraevallis, aut in eius absentia eiusdem vicario vel priori, introducendi mulieres in suum monasterium cum honesta comitiva, et secundum eius discretionem et conscientiam, etiam, si bonum sibi visum fuerit, illas ibidem pernoctare permittendi, usque ad aliam Rmi futuri vel Capituli generalis dispositionem.

37. Et quoniam in dies emergunt seu emergere possunt varia Ordinis negotia, quae longam non patiuntur dilationem, ne hoc tempore quo sedes matris nostrae Cistercii vacat, aliqua maneant indecisa in grave monasteriorum et personarum Ordinis praeiudicium, praesens generale Capitulum pro huiusmodi negotiis in

Ordine regentibus, sede vacante, auctoritatem ipsius Capituli generalis priori Cistercii pro tempore existenti, ea tamen conditione, quod si aliqua difficillima emerserint, praesertim concernentia commune bonum Ordinis, consulere non omittat dominos quatuor primos, committit in plenaria Ordinis potestate.

38. Auditis, visis et mature consideratis petitionibus et allegationibus abbatum monasteriorum Ordinis in inclytis regnis et dominiis Arragoniae, Navarrae, Valentiae et Cataloniae, praesens generale Capitulum paci, concordiae et unioni, ac animarum saluti consulere volens, et ne pro diversitate commissariorum quaedam subortae contentiones in deterius dispendium progrediantur, statuit, diffinit et ordinat, quod commissiones expeditae per piae memoriae Rmum D. N. nuper defunctum, et priorem Cistercii eius vicarium, abbatibus de Verola et de Benifasano, respective manebunt in suspenso, nec ipsis utantur praedicti abbates, donec per generale Capitulum proxime celebrandum, vel per Rmum D. N. futurum aliter fuerit dispositum, et ne maneant praedictorum regnorum monasteria sine commissario seu visitatore, praedictum generale Capitulum iniungit, iubet et praecipit abbati regalis monasterii de Populeto praetactum vicarii commissarii et visitatoris officium exercere ; et ne propter suam provectam aetatem aut alias causas excusationem praetendat, permittitur et conceditur, quod in iis, in quibus personaliter vacare et intendere non poterit, substituere possit unum vel plures idoneum vel idoneos, qui ad praelibatum officium sic sibi commissum ipsum velint et valeant adiuvare, in plenaria, *etc.*

39. Permittitur abbatibus regnorum Arragoniae, Navarrae, Valentiae et Cataloniae, ut statutis per se factis in suo ultimo provinciali Capitulo permissione piae memoriae Rmi D. N. novissime defuncti celebrato, usque ad proximum generale Capitulum, vel aliam futuri domini Rmi dispositionem. Interim tamen eis districtissime inhibetur ne ipsum provinciale Capitulum quoquomodo congregare vel celebrare attentent ; possint tamen auctoritate abbatis de Populeto a Capitulo generali deputati convenire inter se super mittendis abbatibus ad proximum generale Capitulum.

40. Permittit praesens generale Capitulum, quod abbates regnorum Arragoniae, Navarrae, Valentiae et Cataloniae, peracto suo triennio, non obstantibus suis consuetudinibus aut statutis, possint, si mereantur, et eligentibus visum fuerit expediens, ad

aliud triennium vel aliud tempus continuari et reeligi, ne possint durante suae administrationis tempore deponi, nisi pro casibus pro quibus abbates perpetui possunt et debent deponi, secundum papalia et Ordinis instituta, in plenaria, *etc.*

41. Abbati de Populeto committit praesens generale Capitulum per se vel alium fideliter et diligenter informare super utiliori et convenientiori loco deputando pro collegio ad instruendum religiosos praesertim iuvenes praedictorum monasteriorum, et referre et renuntiare praedicto proximo generali Capitulo. Interim autem praesens generale Capitulum hortatur et monet abbates Hispaniae mittere aliquos scolares ad generale collegium S. Bernardi Parisiis, in plenaria, *etc.*

42. Permittit praesens generale Capitulum monasteriis 4 regnorum et dominiorum Arragoniae, Navarrae, Valentiae et Cataloniae, praesertim monasterio de Rota, celebrare festa sanctarum Quiteriae et Eugratiae, et innumerabilium martyrum, etc.

43. Abbati de Rota permittitur acceptare bona suo monasterio concessa vel concedenda pro fundationibus missarum et aliorum suffragiorum, dummodo tamen propter haec de novo supervenientia ordinaria Ordinis et antiquarum fundationum officia non diminuantur vel omittantur, aut personae sui monasterii graventur, quarum personarum numerus secundum exigentiam onerum augeatur, in plenaria etc.

44. Abbati de Rota permittitur, imo etiam suadetur, ut pensionem super suo monasterio, ut asseritur, constitutam, omnibus iustis et rationabilibus viis et mediis extingui et aboleri procuret et faciat, alienatione tamen bonorum sui monasterii immobilium et pretiosorum mobilium sibi penitus interdicta, etc.

45. Universis praesentes litteras inspecturis Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis apud Cistercium anno Domini 1540 celebrati, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod ad supplicationem abbatum monasteriorum eiusdem Ordinis in inclytis regnis et dominiis Arragoniae, Valentiae, Navarrae et Cataloniae situatorum transumpta seu transcripta privilegiorum nostri praedicti Ordinis in codice, cui nostrae praesentes litterae annectuntur contenta, fuerunt rite et debite collationata, et eis decernimus fidem debere adhiberi indubiam, tamquam veris originalibus, in cuius rei testimonium eisdem praesentibus litteris sigillum diffinitorii praedicti Capituli nostri generalis duximus et iussimus appendendum. Datum in dicto diffinitorio nostro Cistercii, die 27 mensis aprilis anni supradicti 1540.

46. Piae devotioni abbatis de Sancto Remigio erga gloriosum sanctum Hubertum, cooperari cupiens praesens generale Capitulum dicto abbati, quod singulis annis possit celebrare in suo monasterio ipsius sancti Huberti festum, tam in templo quam extra, permittit, in plenaria, *etc.*

47. Supplicationi abbatis de S. Remigio supplicantis intuitu paupertatis et desolationis sui monasterii excusari per immediatum sequens triennium a Capitulo generali, praesens generale Capitulum annuit, ipsoque triennio, ea tamen conditione quod quolibet anno, si secundum conscientiae suae dictamen venire non possit, mittat, qui se litterarie aut alias legitime excuset, ipsum ex nunc declarat excusatum.

48. Abbati de Alna, ut fratrem Nicolaum Bechet, religiosum in monasterio de Villari expresse professum, curet ad proprium de Villari abbatem et monasterium reducendum, ipsumque abbatem de Villari compellat per Ordinis poenas et censuras ac alias iuris et iustitiae vias recipere dictum fratrem Nicolaum in suo monasterio, aut eidem iuxta Ordinis statuta et diffinitiones de alio monasterio providere, praesens generale Capitulum ordinat et committit.

49. Quoniam periculosum est omnibus sine pastore diu evagare, innotueritque praesenti generali Capitulo fratrem Adam, monasterii de Molinis religiosum, diu a monasterio suo sine licentia abfuisse, atque evagasse in animae suae detrimentum, eidem fratri Adae, ut infra mensem se suo monasterio repraesentet sub poena fugitivorum, proprioque abbati obediendo, poenitentiam sibi ab eo iniunctam peragat ; abbati vero ut illum recipiat et illi de omnibus necessariis tamquam filio bono et obedienti provideat, praesens generale Capitulum praecipit et ordinat.

50. Negotium remittendarum contributionum debitarum pro quatuor annis ab abbate de Monte Sanctae Mariae, praesens generale Capitulum remittit et differt ad Rmum futurum, aut ad proximum generale Capitulum, etc.

51. Ad idem, pro priore de Masuris.

52. Ad supplicationem sententiarii collegii nostri Parisiensis, praesens generale Capitulum ordinat, quod ipse sententiarius recipiat stipendia ordinaria super recepta contributionum domini de Claravalle, data recepturi quittantia super a se receptis, et defalcabuntur in proximis futuris computationibus, in plenaria Ordinis potestate.

LITTERAE MISSIVAE AD IMPERATOREM

53. Serenissime Caesar semper Auguste, praemissis supplici commendatione cum orationibus et aliis quibuscumque obsequiis. — Placuit dudum Maiestati vestrae quasdam commissiones destinari per Rmum D. N. abbatem Cistercii nuper defunctum, abbatibus monasteriorum de Benifazano et de Verola ad visitandum monasteria nostri Ordinis in inclytis vestris Arragoniae, Navarrae, Valentiae et Cataloniae situata ; verum quia occasione dictarum commissionum subortae sunt quaedam discordiae, quae possent in non modicum dispendium honoris Dei et animarum salutis cedere, quamhumillime possumus Maiestatem vestram supplicamus, quatinus mutationem praedictarum commissionum per nos, non sine urgenti et necessaria causa factam, dignetur habere gratam, favorem et auxilium vestrum solitum ministrando. Omnipotens Divinitas serenissimam et invictam Maiestatem vestram felicitet et longaeve conservet incolumem. — Ex diffinitorio Capituli generalis Cistercii celebrati 27 mensis aprilis, anno Domini 1540. — Vestrae Maiestatis humillimi supplicesque oratores, Diffinitores generalis Capituli Cisterciensis Ordinis. Serenissimae et Invictae Maiestati Caesareae.

* * *

54. Messieurs, nous nous recommandons à vos bonnes grâces. — Messieurs, par l'humble supplication de notre confrère l'abbé de Clairefontaine, en votre comté de Bourgogne, sommes estez mehus de vous écrire comme il nous a remontré que grandement il étoit molesté et inquiété du seigneur de Saint-Remy, voisin dudit monastère de Clairefontaine, et de sorte qu'il n'étoit assuré étant en sondit monastère, dont sommes été mehus vous écrire et prier, comme scavons avez toujours été bons amateurs et protecteurs de notre ordre, que y vous plaise de votre accoutumée vertu donner assurance à notredit abbé, de sorte que assurement il puisse vacquer en sondit monastère au service de Dieu pour lequel singulièrement sont tous religieux appellez, aussi de votre grace luy impartir justice de ce en quoy lesdits seigneurs de Saint-Remy et l'abbé de Clairefontaine sont en procez devant vos seigneuries ; ce faisant meritans grandement nous obligerez prier Dieu pour vos bonnes santez et prosperitez, esquelles nous le

supplions vous maintenir. De Cisteaux le XXVII en apvril XV^{c} XL. — Vos humbles orateurs et chapellains les définiteurs du chapitre général de l'ordre de Cisteaux.

A Mesieurs, Messieurs tenans la cour du Parlement à Dole.

55. Ad provisorem collegii S. Bernardi, Parisiis. — Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, sede vacante, venerabili provisori collegii nostri S. Bernardi Parisiis, in sacra pagina professori, salutem. Vobis mandamus quatinus faciatis persolvere per bidellum receptorem dicti collegii nostri stipendia ordinaria biblico. Conqueruntur autem patres, quod ad Capitulum dictus biblicus non venerit, causamque suae absentiae poteritis declarare in proximo Capitulo, quod anno futuro proximiore indicitur fieri loco et tempore consuetis, Deo auxiliante, qui fraternitatem vestram conservet. Ex Cistercio, etc.

56. Ad abbatem Sancti Sebastiani. — Diffinitores Capituli generalis Ordinis Cisterciensis, sede vacante. Venerabili coabbati suo de Sancto Sebastiano ipsius Ordinis procuratori in Curia romana, salutem in Domino dicunt sempiternam. Mittimus ad vos diffinitionem hoc anno a patribus Ordinis in diffinitorio nostro factam, ut eam videatis, et contentis in ea respondeatis intra proximum generale Capitulum. Interim Dominus vos conservet. Ex diffinitorio nostro Cisterciensi, hac 27 aprilis 1540. Vester frater et amicus abbas de Aceyo, notarius generalis Capituli praesentis anni.

EXCUSATI A PRAESENTI CAPITULO GENRALI

57. Abbates de Roseriis, s. th. pr., de Bullione, de Iardineto, de Theoloco, de Valle Dei, de Villari, de Elancio, Vallis Sancti Lamberti, de Nisella, de Pietate, de Miratorio, de Aureavalle, de Boneffia, de Lesiniis, de Quinciaco.

* * *

58. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30 [c].

---

[c] *A*[4] *add.* : Signatum : fr. Laurentius abbas de Aceyo, Marcus abbas Bellaevallis.

1541

A) Ordinatio Capituli generalis praesentis, anni Domini 1541.

DIFFINITORES : de **Cistercio** de Rota, de Miratorio, de Buxeria, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Maceriis, de Igniaco, de Caladia, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Quinciaco, de Theoloco, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Frigidomonte, de Monte Sanctae Mariae, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Bithania, de Insula, monasteriorum abbates.

CONFESSORES : de Bithania, de Theoloco, monasteriorum abbates.

RECEPTORES EXCUSATIONUM : de Quinciaco, de Bellavalle, monasteriorum abbates.

MAGISTRI CAEREMONIARUM : de Morimundo monasterii abbas ; prior, subprior et cantor Cistercii.

NOTARII ABBATES : de Loco Dei, s. th. pr., de Bellavalle, monasteriorum abbates.

AUDITORES COMPUTATIONUM : de Cheminione monasterii abbas ; cellerarius et bursarius Cistercii.

PROMOTOR CAUSARUM : provisor collegii S. Bernardi Parisiis, s. th. pr.

PORTARIUS DIFFINITORII : magister Nicolaus Guérin, s. th. pr., prior et professus Pontigniaci.

NOTARII AD PEDES : fratres Ioannes de Divione, Ioannes de Divione, Cistercii professi.

* * *

Ex parte dominorum Diffinitorum praesentis Capituli generalis praecipitur sub poena excommunicationis ac Ordinis censuris omnibus dicti Ordinis personis, quae pecunias aliquas pro solvendis contributionibus aut redditibus ad praesens generale Capitulum detulerint, easdem ante crastinum prandium tradant auditoribus computationum ab eodem Capitulo deputatis. Datum

---

1541. *Fontes* : *L*[7]. A, B, 1-89 ; *M* : 69 ; *P*[2] : 1, 8, 65, 69, 86.

Cistercii sub affixione contrasigilli dicti Capituli die 16 mensis maii, anno Domini 1541.

* * *

B) Nomina abbatum Capituli generalis huius anni 1541. — de Pontigniaco, de Claravalle, de Morimundo, de Maceriis, utr. iuris doct., de Loco Dei, s. th. pr., de Igniaco, de Miratorio, de Buxeria Eduensi, de Rota, de Bellavalle, de Frigidomonte, de Monte Sanctae Mariae, de Quinciaco, de Cheminione, de Theoloco, de Insula, de Caladia, de Bithania. Praedicti abbates sunt numero octodecim.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo, die sexta decima mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Primo [b], pro sanctissimo ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, Diffinitores Capituli generalis ... *etc.* et est talis: Cum totus Ordo noster ... *etc.* necnon in summa novi debiti, quae fuerit inventa ex computationibus ultimis per Rmum nostrum defunctum in proximo generali Capitulo auditis, defalcato prius sibi aut commissariis ab illo aut Capitulo generali deputatis ex contributionibus annuis soluto, in plenaria Ordinis potestate. Datum in diffinitorio nostro Cisterciensi, anno, mense et die praedictis.

---

[a] *Titulus apud L*[7]. [b] Sub Paulo 3... *etc. P*[2].

7. Cum ex debitae visitationis et reformationis officio totius religionis vigor et forma conservetur, ne in his temporum discriminibus nostrae religionis decor pessumeat, sed semper in suo regulari tenore conservetur felicius, praesens generale Capitulum dominis tribus, qui praesenti Capitulo interfuerunt, praedicti Ordinis nostri monasteria, quae sunt in sequentibus patriis et provinciis dispersa auctoritate ipsius Capituli visitanda et reformanda committit secundum apostolica privilegia et statuta nostri Ordinis, nempe domino de Pontigniaco monasteria in patria Nivernensi ac provinciis Bituricensi, Turonensi, Burdegalensi, Tolosana, Lugdunensi et Narbonensi ; domino de Claravalle monasteria sita in provinciis Remensi, Rothomagensi, Turonensi et patria Leodiensi ; domino vero de Morimundo monasteria sita in provinciis Coloniensi et Trevirensi ac Lugdunensi, Delphinatu et provincia Provinciae, necnon in ducatu Lotharingiae, Barri et Sabaudiae, una cum his quae sunt in comitatu Burgundiae, auctoritatem particularium commissariorum, quamdiu in dictis ipsi domini primi visitabunt, suspendens, in plenaria Ordinis potestate.

8. Ne quibus opus erit in posterum diffinitionibus nostris graventur in perquirendis notariis abbatibus, praesens generale Capitulum dat notariis ad pedes, in absentia notariorum abbatum, auctoritatem et potestatem transcribendi ipsas diffinitiones sub signis suis manualibus, ac transumpta huiusmodi faciendi, quibus eam vult adhiberi fidem, quae transumptis manu notariorum abbatum subsignatis adhibetur, in plenaria, *etc.*

9. Commissiones ad visitandum et recipiendum contributiones, praesens generale Capitulum perinde ac in ultimo Capitulo decernit continuandas, usque ad aliam dispositionem, in plenaria, *etc.*

10. Iuxta tenorem articuli in ultimo generali Capitulo habiti super excusatione eorum qui se litteratorie excusarunt, et non comparuerunt, tam in praesenti quam in novissime lapso Capitulo, praesens decernit ac diffinit illos denuo et de novo citari per commissarios Ordinis ubilibet existentes ad sequens generale Capitulum, quod nunc indicitur fieri anno proximo, loco et tempore consuetis, cum intimatione quod sive venerint sive non, et non obstante eorum absentia, providebit generale Capitulum super his, quae videbuntur Ordini necessaria ; et nihilominus contra eos, qui non interfuerint, procedetur secundum poenas apostolicis privilegiis et Ordinis statutis indictas, in plenaria, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES

11. Contractum initum et transactum inter Rmum D. cardinalem de Castellione, abbatem commendatarium monasterii Vallislucentis, ac eius conventum ex una, et Franciscum Lanoix et Ioannem Corsier, ex altera partibus, praesentibus annexum, visis informationibus super commodo vel incommodo illius per abbatem de Quinciaco ad hoc commissum factis, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

12. Idem, inter dictos cardinalem et conventum Vallislucentis, et Nicolaum Pierre.

13. Idem, contra Ioannem Cobyas, et Dionysiam eius uxorem, Ioannem et Constantinum Les Courtois, et eorum consortes.

14. Idem, inter praedictos et Anthonium Gaulteron.

15. Idem, de contractu inter praedictos et Sebastianum Dautegny, Ioannem Hubert, et eorum consortes.

16. Idem, de contractu inter praedictos et Nicolaum Quanart, Petrum Quanart, Colinetum Merat, Ioannem et Stephanum Le Marcheratz.

17. Idem, de contractu inter praedictos et Cristandum Merle, Franciscam defuncti Mathei Merle relictam.

18. Idem, de contractu inter praedictos et Claudium Leveau et Vincentium Clement.

19. Idem, de contractu inter praedictos et Stephanum Jenbert et Petrum Merrier.

20. Idem, de contractu inter praedictos et Claudium Clonam, Michaelem Alaix, et nobilem virum Ioannem de Treilles et eorum consortes.

21. Idem, de contractu inter praedictos et Guillelmum Bernard, Thenein (?) Poytreau, et eorum consortes.

22. Idem, de contractu inter praedictos et Robertum Thoraillet, Mersandum Pasteraeu et Symonem de la Fontaine, et eorum consortes.

23. Idem, de contractu inter praedictos et Stephanum Rossat et Catharinam relictam defuncti Perinot Sevestre.

24. Idem, de contractu inter praedictos et Oliverium Adam, Petrum Joy, et eorum consortes.

25. Idem, de contractu inito inter praedictos et Petrum Macherat eiusque consortes.

26. Idem, de contractu inito inter praedictos et Claudium

Leveau, Nicolaum Girard, Lupum Casteau, Bernardum Defrigolle, et eorum consortes.

27. Idem, de contractu inito inter praedictos et Natalem Gaucher, eiusque consortes.

28. Idem, inter praedictos et Ioannem Bragelongue et Charleta eius uxore.

29. Contractum initum et transactum inter dominum abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Agnetem Le Tartier, burgensem Trecensem, relictam Petri Largentier, civis dum viveret Trecensis, ex altera partibus, praesenti confirmationi annexum, visis diligenter informationibus super eo, per abbatem de Bullencuria, ad hoc commissum et deputatum, factis, praesens generale Capitulum laudat, approbat, ratificat et confirmat, in plenaria, *etc.*

30. Contractum initum et transactum inter provisorem et eos qui sunt de consilio collegii S. Bernardi, ac procuratorem et receptorem eiusdem ex una, et magistrum Nicolaum Champaigne ex altera partibus, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum approbat, *etc. ut supra.*

31. Contractus initos et confectos inter venerabiles abbatem et conventum monasterii B. M. de Quinciaco dicti Ordinis nostri ex una, et Petrum Berthier, mercatorem de Cocheyo et uxorem eius ex altera partibus, annexos, visis informationibus super commodo vel incommodo illorum, per abbatem de Marcilliaco ad hoc commissum, factis ... approbat, *etc. ut supra.*

32. Contractum initum et transactum inter abbatem et conventum de Caricampo ex una, et Ioannem Le Vasser civem de Dorlans ex altera partibus, super quodam loco seu masura, vulgo nuncupata locus de Haulces, in dicto oppido de Dorlans, quam praedictus Le Vasser accepit ad perpetuum censum seu redditum a dictis abbate et conventu, prout plenius continetur in litteris quibus praesentes annectuntur, visis prius informationibus et relatione abbatis de Longovillari ad hoc commissi et deputati, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

[ELECTIONUM] CONFIRMATIONES

33. Viso electionis post mortem sororis Barbarae Van den Heeden, quondam ultimae abbatissae et pacificae monasterii de Zwiveke, nostri Ordinis Cisterciensis in Cameracensi dioecesi, anno 1540, die tertia aprilis, abbate de Loco S. Bernardi praeside,

factae decreto, quo constat sororem Claram Enereas, religiosam professam ipsius monasterii de Zwiveke, in abbatissam eiusdem monasterii canonice esse electam, ipsam electionem et omnia inde secuta tamquam canonicam et nostrae religioni ac laudabilibus consuetudinibus in talibus servari solitis consona, praesens generale Capitulum laudat, approbat, ratificat et confirmat, suae auctoritatis decretum adiiciens, ac supplens omnes et singulos defectus, quos de iure potest, si qui forsan in dicta electione intervenerint, sine tamen praeiudicio iuris et auctoritatis matris Cistercii eius superioris immediati, in plenaria, *etc.*

34. Institutionem, provisionem seu collationem officii bidellatus collegii S. Bernardi Parisiis, cum iuribus, emolumentis, fructibus et pertinentiis per felicis recordationis Rmum novissime defunctum factam magistro Nicolao Champaigne, cui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

35. Professionem dudum cum consensu maioris partis conventus monasterii de Bolbona in eodem monasterio emissam per fratrem Anthonium Morin, quondam monasterii de Villalonga religiosum, iuxta declarationem a Rmo dudum defuncto quondam super ea professione factam, cui praesentes annectuntur, una cum attestatione consensus bonae partis conventus de Bolbona, praesens generale Capitulum approbat, *etc.*

36. In locum magistri Ioannis Legrant, quondam ultimi et immediati receptoris et procuratoris collegii S. Bernardi Parisiis, praesens generale Capitulum subrogat magistrum Franciscum Barberot, ac procuratorem et receptorem dicti collegii instituit cum onere et honore et stipendiis solitis usque ad aliam Rmi aut Capituli generalis Ordinis nostri dispositionem, in plenaria, *etc.*

37. Contractum initum inter provisorem et eos qui sunt de consilio collegii S. Bernardi Parisiis una cum procuratore et receptore eiusdem ex una, et abbatem de Frigidomonte ex altera partibus, super locatione domus antiquae, quae est in prima porta dicti collegii una cum eius pertinentiis facta ad vitam dicti abbatis de Frigidomonte, prout plenius continetur in litteris, quibus praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum approbat, ratificat et confirmat. Quantum vero ad conventionem inter dictas partes factam super nova domo, quae est illi antiquae vicina, ordinat, quod dicta domus expensis abbatis ipsius de Frigidomonte perficietur, quam citius fieri poterit ; et pro locatione

ipsius novae domus tenebitur dictus abbas singulis annis solvere eidem collegio triginta libr. turon. deducendas sibi tam super summam 400 libr. turon. de quibus amplior fit mentio in ipso contractu, quam super expensas per ipsum faciendas in perfectione dictae domus novae. Conventumque fuit, si contigeret, quod Deus avertat ! eum mori ante completam praedictarum expensarum defalcationem, eas ex nunc prout ex tunc a praedicto abbate auctoritate Capituli dari et dimitti collegio, sic quod eius successor vel conventus Frigidimontis nihil super his expensas poterunt repetere. Conventum est similiter et praedicti Capituli auctoritate confirmatum, quod praedictus abbas de Frigidomonte nihil tenebitur solvere pro saepius dictae novae domus locatione hinc ad duos annos, in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES AD INQUIRENDUM

38. Praesens generale Capitulum contractum cui praesentes annectuntur initum inter abbatem commendatarium et conventum de Bolbona ex una, et Bernardum Vinhas loci de Massiis ex altera partibus, visitandum deque commodo vel incommodo dicti monasterii diligenter inquirendum et informandum, ipsumque contractum secundum quod iuris et rationis erit confirmandum vel infirmandum abbati de Calercio, aut alicui ex abbatibus proximioribus committit, in plenaria, *etc.*

39. Ad supplicationem nobis factam ex parte magistri Georgii Saudrier, poscentis sibi dari ad censum locum seu aream ad collegium nostrum S. Bernardi Parisiis pertinentem, ipsius collegii horto adhaerentem et contiguam viduae et haeredibus magistri Natalis Megessier, praesens generale Capitulum committit dominum Frigidimontis ad inquirendum de commodo vel incommodo, et una cum provisore et iis qui sunt de consilio ipsius collegii de dicto loco seu area disponendum et faciendum, quod melius sibi visum fuerit pro utilitate collegii, aut referendum in proximo generali Capitulo, in plenaria, *etc.*

40. Abbatibus de Quinciaco, de Pietate et de Bullencuria, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, ut diligenter inquirant de contractu inito et transacto inter abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Nicolaum Largentier, civem Trecensem, ex altera partibus, cui quidem contractui praesentes annectuntur, et fideliter referant in proximo

generali Capitulo super illius confirmatione vel infirmatione processuro, prout iuris erit et rationis, in plenaria, *etc.*

41. Ad idem, de tractatu transacto inter dictos abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Edmundum Largentier, civem Trecensem, ex altera partibus.

42. Ad idem, de contractu inito et transacto inter dictos abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Agnetem Le Tartier, viduam Petri Largentier, quondam civis Trecensis, ex altera paribus.

43. Venerabiles dominos abbates de Pontigniaco, de Quinciaco et de Pietate ad per eos et eorum quemlibet in solidum informandum, inquirendum super quibusdam contractibus dudum initis et confectis inter abbatem et conventum monasterii Vallis lucentis hinc, et nobilem virum Iacobum de la Bereville scutiferum, dominum du Vieux Vergier, inde, et inquisitionibus factis super commodo vel incommodo dictae ecclesiae Vallis lucentis eos per duos eorum simul confirmandum, infirmandum, ad Capitulum generale referendum, aut quidquid eis super hoc visum fuerit expedire faciendum, conscientiam eorum super hoc onerando, praesens generale Capitulum ordinat et committit, in plenaria, *etc.*

44. Abbatibus de Rigniaco, Quinciaco, Leziniis et Marcilliaco, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit, ut diligenter inquirant et se informent de tractatu et contractu nuper inito et transacto inter abbatem et conventum de Pontigniaco ex una, et Nicolaum Dalenson, civem et hospitem Antissiodorensem, ex altera partibus, super medietaria seu firma de Fouchières, et ad fideliter referendum in proximo generali Capitulo super illios confirmatione vel infirmatione processuro, prout iuris fuerit et rationis, in plenaria, *etc.*

45. Ad idem, abbatibus de Claravalle, de Quinciaco, Rigniaco, de Leziniis, et cuilibet eorum in solidum committitur, ut inquirant et referant de tractatu inito inter abbatem et conventum de Fonteneto ex una, et Nicolaum Berthier ex altera partibus, super terragio, Lebuisson vulgariter nuncupato, iuxta Nucerias.

46. Ad idem, abbatibus de Rigniaco, Quinciaco, Leziniis et de Marcilliaco, et eorum cuilibet in solidum, praesens generale Capitulum committit super contractu inito inter abbatem et conventum de Pontigniaco ex una, et Croilum de Vaulx et altera partibus, super 28 arpentis terrae Dumaso, a grangia de Villers antea dependentibus.

47. Contractum initum et transactum inter Rmum dominum episcopum Lemovicensem, abbatem commendatarium monasterii de Escallariis ac eius conventum ex una, et Stephanum Gaubert ex altera, visis informationibus super commodo vel incommodo illius per fratrem Nicolaum Guérin, doctorem theologum et priorem Pontigniaci, auctoritate et commissione R. P. abbatis de dicto Pontigniaco et de Fonteneto, eiusdem monasterii de Escallariis ratione dicti Fonteneti patris et superioris immediati, factis, praesens generale Capitulum dat dicto domino de Pontigniaco auctoritatem approbandi, ratificandi et confirmandi, aut ad Capitulum generale referendi, prout sibi visum fuerit in plenaria, *etc.*

48. Abbatibus de Caricampo, de Ursicampo, de Mortuomari et de Loco Dei, et cuilibet eorum in solidum, praesens generale Capitulum committit, ut diligenter inquirant super contractu inito et transacto inter abbatem et conventum de Frigidomonte ex una, et Florentium Le Vasser et Robertum Lebel agricolas, ex altera partibus, praesentibus annexo, ratione firmae de Beauregard, et fideliter referant in proximo generali Capitulo super illius confirmatione vel infirmatione, prout iuris erit et rationis, in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES AD VISITANDUM, etc.

49. Ne longa visitatoris absentia monasteria nostri Ordinis, quae sunt in Francia, graviora patiantur incommoda, audita flebili morte abbatis de Caroliloco, in locum illius abbatem de Frigidomonte, praesens generale Capitulum duxit subrogandum. Subrogans itaque per praesentes, dat praedicto abbati de Frigidomonte plenariam potestatem visitandi et reformandi omnia et singula Ordinis nostri utriusque sexus monasteria, cuiuscumque sint filiationis, quae praedictus abbas Caroliloci novissime defunctus solebat visitare, una cum monasterio de Loco Dei, quod certis ad ipsum moventibus causis substraxit a commissione abbatis de Voto, et huic inseruit, et in illis auctoritate Capituli generalis corrigendi, puniendi ... *etc. ut in forma delegationis consueta* ... in omnibus et pro singulis praemissis agendis alium abbatem nostri Ordinis vel provisorem collegii S. Bernardi Parisiis in causa necessitatis substituendi ; insuper et visitandi dictum collegium S. Bernardi ... *etc.*

50. Item, expeditae sunt tres commissiones pro dominis primis iuxta tenorem diffinitionis generalis praeinsertae quae incipit : *Cum ex debitae,* et cuilibet servato ordine patriarum singulis dictis dominis distributarum, additum est quod sequitur : Hinc est quod nos Diffinitores praefati domino de Pontigniaco damus auctoritatem et mandatum speciale se in monasteria nostri praedicti Ordinis Cisterciensis, quae sunt in patria Nivernensi, ac in provinciis Bituricensi, Turonensi, Burdegalensi, Tolosana, Lugdunensi et Narbonensi conferendi, ibidemque visitandi, reformandi, ... *etc. ut in forma consueta.*

51. Eodem modo pro dominis de Claravalle et de Morimundo, mutatis mutandis.

52. Iuxta diffinitionem praecedentis Capituli generalis ad continuationem commissionum pro visitationibus et contributionibus recipiendis factam, commissionem abbatis de Loco S. Bernardi ad visitandum aliquot monasteria monialium ultimam ei a piae memoriae Rmo novissime defuncto datam, praesens generale Capitulum continuat usque ad futuri Capituli vel Rmi dispositionem, addendo commissioni praedictae monasterium monialium de Valle S. Bernardi prope civitatem Diestch, in plenaria, *etc.*

53. Idem, pro abbate de Molinis, ablato ei monasterio de Valle S. Bernardi prope Diestch et addito monasterio de Soleriis.

54. Idem, pro abbate de Alna, nihil addito aut ablato ab eius commissione, tam pro commissione particulari quam pro vicariatu.

55. Idem, pro abbate de Villari, nihil etiam addendo.

56. Idem, pro abbate de Bona aqua, tam pro visitatione quam recipiendis contributionibus.

57. Idem, pro abbate de Monte petroso, pro utroque.

58. Idem, pro abbate de Boscheto, pro utroque.

IUDICES

59. Ad supplicationem honorabilis viri magistri Guillermi Le Grant, unius ex dominis Ratiociniorum regis, Divione, praesens generale Capitulum ordinat, quod abbas Frigidimontis Ordinis commissarius, cum provisore collegii S. Bernardi Parisiis, et aliis de collegii praedicti consilio, audient computationes magistri Ioannis Le Grant novissime defuncti, quibus auditis, convenient

cum praedicto magistro Guillermo Le Grant, aut eius procuratore super summa ipsi quotannis persolvenda usque ad completam sibi debitorum, ratione successionis quam habet ad bona dicti magistri Ioannis quondam fratris sui solutionem, in plenaria, *etc.*

SUFFRAGIUM

60. Cum virtutum parens charitas nos astringat omnes, maxime Christi fideles, orationum et bonorum, quae fiunt in Ordine nostro participes facere, in his tamen praecipuum sibi vendicant locum, qui mutua charitate nos adiuvant suis eleemosinis, in restaurandis et reparandis ecclesiis nostris. Nos itaque spiritualibus huiusmodi officiis christifideles ad porrigendum manus adiutrices reparationi sacelli B. M. de Taillat, omnes qui de suis bonis ad praedicti sacelli restaurationem contulerint, omnium et singulorum bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc.* facit participes, *etc.*

POTESTAS VENDENDI ET IMPIGNORANDI

61. Exposuerunt nobis, seu exponi fecerunt provisor collegii S.Bernardi Parisiis et alii de consilio, redditus ex scacario Furnensi dicto collegio provenientes, causa bellorum frequenter ingruentium, saepenumero deperire. Quapropter ex ordinatione Capituli generalis, conceditur eis vendere praedictos redditus, ea tamen conditione, quod ex pecuniis inde provenientibus, alios similes emant in regno Franciae, in plenaria, *etc.*

62. Venerabilibus abbati de Quinciaco, religiosisque ac conventui eiusdem impignorandi seu invadiandi ad certum tempus circiter decem arpenta pratorum suorum in finagiis Taulaii et Sancti Viminerii consistentium, necnon septemdecim libras turon. redditus super molendinis suis de Meso, dum tamen praedicta infra quinquennium reducantur, ac de huiusmodi redemptione infra praedictum tempus debite certioretur Capitulum generale, praesens generale Capitulum permissionem et facultatem impertitur, in plenaria, etc.

ORDINATIONES QUAEDAM PRO HISPANIA

63. Sententiam tandem a Capitulo generali latam in fratrem

Petrum Quechal, quondam abbatem de Populeto, et a felicis recordationis Rmo novissime defuncto corroboratam, praesens generale Capitulum, in quantum opus est, confirmat et denuo statuit dictum fratrem Petrum ex nunc et in futurum non posse per quosdam Ordinis commissarios a carcere educi, nisi de speciali Rmi D. Cisterciensis et Capituli generalis mandato, in plenaria, *etc.*

64. Praesens generale Capitulum ordinat litteras ad Caesaream Maiestatem suo nomine scribi, quatinus dignetur iubere ipsum Quechal a suis officiariis diligenter custodiri, nec quibusvis machinationibus ab ipso carcere egredi patiatur, in plenaria, *etc.*

65. Conformiter ad diffinitionem anno elapso factam, praesens generale Capitulum inhibet particularia capitularia alicubi deinceps congregari, atque ideo revocat diffinitiones dudum factas per quas abbates quatuor regnorum Cataloniae, Navarrae, Arragoniae et Valentiae, in plenaria, *etc.*

66. Contributiones, iuxta morem antiquum, deinceps a monasteriis situatis in quatuor regnis Hispaniae integre sine ulla diminutione solvi praesens generale Capitulum ordinat, et earum collectionem committit abbati de Populeto, una cum visitatione et reformatione eorumdem monasteriorum, qui tamen in partem oneris et levamen habebit, ut ex nunc si damus collegam et auxilium ad visitanda monasteria Arragoniae et Navarrae abbatem de Rota, in plenaria, *etc.*

67. Iuxta antiquas diffinitiones nostras, praesens generale Capitulum ordinat abbates quatuor regnorum Hispaniae sine dissimulatione in posterum rigidius solito compulsum iri a commissariis ad mittendos aliquot suorum religiosorum, secundum facultates suorum monasteriorum, ad generalia studia ipsius Ordinis, in plenaria, *etc.*

68. Praesens generale Capitulum abbati de Populeto dandi facultatem ducissis, comitissis et baronissis poscentibus pro sua devotione ingredi ipsum monasterium de Populeto, cum honesta comitiva ingrediendi et loca illius sacra visitandi facit potestatem, in plenaria, *etc.*

69. Uniformitatem [c] hucusque in Ordine laudabiliter, tum in ceteris tum in habitu, observari semper commendans, praesens generale Capitulum ordinat et in virtute salutaris obedientiae

[c] Conformitatem : *M.*

praecipit, quatinus abbates et religiosi Ordinis nostri in ipsis quatuor regnis Hispaniae extra sua monasteria egregientes, non incedant per oppida et loca famosa absque cucullis nigris, et habitu honesto et conformi Ordini, in plenaria, *etc.*

70. Desolationi monasterii de Cambron in regno Arragoniae sibi succurrere volens, praesens generale Capitulum committit abbatibus de Populeto, de Rota et de Fitero, et duobus eorumdem in solidum, quatinus de huiusmodi monasterii de Cambron statu diligenter inquirant, ac per omnes iuris et iustitiae vias, invocato etiam si opus sit, brachii saecularis auxilio, pristinae integritati restituant, in plenaria, *etc.*

71. Abbatibus de Populeto et de Rota, et eorum utrique in solidum, decisio dissidii inter abbatem et conventum monasterii de Petra ex una, et fratres Anthonium Terrer et Matheum Ascensio, monachos dicti monasterii ex altera partibus, committitur a praesenti generali Capitulo, ac dictis monachis sub poenis et censuris Ordinis inhibetur ne suum abbatem aut alium quempiam ad saecularia iudicia trahant, sed coram praedictis commissariis agant et defendant, in plenaria, *etc.*

72. Fratri Ludovico Mongius, monacho monasterii de Petra, praesens generale Capitulum, in quantum opus est, permittit uti privilegio apostolico super ministeriis, officiis et beneficiis nostri Ordinis obtinendis, in plenaria, *etc.*

73. Praesens generale Capitulum ad supplicationem nobis factam ex parte Petri ab Opila, qui certam summam pecuniarum quaeritur expendisse iussu fratris Michaelis Ambim, quondam abbatis Verolae, committit illius causae diffinitionem plenariam generali Ordinis commissario, in plenaria, *etc.*

74. Ne propter viarum longitudinem, itinerum discrimina et varia pericula, quae ut plurimum sunt in mora, monasteria nostri Cisterciensis Ordinis in quatuor regnis Hispaniae sita graviora patiantur incommoda, placuit patribus Ordinis in praesenti Capitulo congregatis, procul absente Ordinis commissario, tam monachi quam moniales possint propinquiorem abbatem ad praesidendum suae electioni convocare, reservata tamen patri superiori vel eius commissario electionis sic factae, confirmatione, in plenaria, *etc.*

REHABILITATIO

75. Dilectum in Christo filium, fratrem Ioannem de Lassanas,

presbyterum religiosum de Palatio, supplicantem ac veram poenitentiam et vitae emendationem promittentem a violenta clerici percussione a tempore quo modernus abbas suus fuit, ad illud monasterium de Palatio promotus, et a reiectione sui habitus regularis coram dicto abbate suo et missae celebratione eo in statu, reassumpto tamen prius dicto habitu suo, tum etiam quod multis vicibus a monasterio suo sine licentia recessit, unde ad se reversus et tandem poenitens, Ordinis gratiam et rehabilitationem, quantum illi opus est, veniam et remissionem implorat, ab omni irregularitatis et inhabilitatis macula, quam praemissorum intuitu incurrit, absolvimus et rehabilitavimus ut, praemissis non obstantibus, ad omnes Ordinis gradus, voces, actus et officia admitti possit et valeat. Omnibus igitur et singulis dicti monasterii ac aliis Ordinis nostri regularibus personis districtius inhibemus, ne illi occasione praemissorum improperare, aut eum super eisdem quovismodo molestare praesumat, in plenaria, *etc.*

RESCISSIO CONTRACTUS

76. Cum in male promissis fides sit rescindenda, abbatem et conventum de Pontigniaco a promissis et iuramento ratione contractus inter eos et Petrum Penillot, Ioannem Rabourdin, Petrum Guillaume, Ludovicum Moreau, Egidium Sin, Guilletum Durantum, Philippum Le Seurre, et eorum consortes, initi et facti de terra seu medietaria et firma de Chailleyo, de qua lis mota est et pendet indecisa inter dictas partes, in materia rescissionis contractus et decimarum aut aliter, absolvimus, ut suae ecclesiae praetensam per eos laesionem ratione dicti contractus sanare et damnum et incommodum arcere valeant, ac reparare via iuris et rationis, in plenaria, *etc.*

* * *

77. Ad supplicationem sororis Ioannae Darci, Margaritae Garnier et Barbarae de la Court, religiosarum B. M. de Consolatione, per quam nobis significaverunt se in carcere saeculari, et a laico iudice detineri, contra sanctiones canonicas et Ordinis nostri privilegia, habita matura deliberatione, ordinavimus praedictis sororibus de Ordine nostro iudicem, videlicet priorem Cistercii, ad faciendum eis processum, ideo rogamus dominum Bail-

livum Sancti Petri monasterii seu eius vices gerentem, velint unicuique sua iura servare remittendo praedictas supplicantes ad suum iudicem iam dictum, cum oneribus et informationibus earumdem, si quae sint, et rem aequam et iustam faciant. Et quoniam pauperes sunt iam saepius dictae religiosae, si velitis eas committere fidelitati praesentium latoris, fratris Petri Heliot, religiosi Sancti Martini Eduensis, Ordinis S. Benedicti, deducendas ad Cistercii priorem et vicarium Ordinis nostri utiliter earumdem gerent negotium, in plenaria, *etc.*

78. Ad supplicationem abbatis de Loco Dei in Pontino super contractione quorumdam debitorum per fratrem Ioannem de Sarrus, quondam abbatem dicti loci, nunc autem abbatem de Lanneyo, factorum, quatinus ordinaremus seu diffiniremus satisfactionem fieri praedictorum debitorum creditoribus a praefato abbate de Lanneyo, qui ea contra canonicas sanctiones et Ordinis statuta fecit seu contraxit, statuimus, in plenaria, etc.

79. Visis et auditis certis informationibus per abbatem Frigidimontis factis ex commissione domini Claraevallis, super vita et moribus quorumdam religiosorum monasterii de Loco Dei in Pontino, factis, dedimus commissionem iam dicto abbati Frigidimontis procedendi ad correctionem ipsorum religiosorum eosdem excommunicando, incarcerando, eliminando, transferendo, et omne aliud faciendo, quod vitiosorum emendationem requirit, in plenaria, *etc.*

80. Cupientes providere laborantibus in vinea nostrae religionis, et audita supplicatione fratrum Ioannis Choquenxet, Ludovici Lefebure, monasterii de Lanneyo religiosorum, praecipimus in virtute obedientiae salutaris et sub poenis et censuris Ordinis, abbati de Lanneyo fratri Ioanni de Sarrus, quatinus iuxta antiquas diffinitiones eorum cuilibet det quotannis decem libras pro vestiario, aut eos, si ad praedictum suum monasterium redire voluerint, benigne suscipiat, iniungendo abbati de Frigidomonte, vicario generali, quatinus praesentem diffinitionem districtius executioni demandari faciat, in plenaria, *etc.*

81. Fratri Ioanni Chardonnet, professo monasterii de Pontigniaco, praesens generale Capitulum ordinat, et in virtute salutaris obedientiae ac sub poenis ac censuris Ordinis praecipit, quatinus se infra quindecim dies conferat in monasterium Morimundi, facturus quod sibi iussum fuerit a R. domino Morimundi, in plenaria, *etc.*

82. Audita supplicatione abbatis de Monte Sanctae Mariae, praesens generale Capitulum ordinat et diffinit sibi deduci contributiones dicti monasterii ac illius de Charitate pro tribus terminis praeteritis, dempto hoc praesenti, attenta summa centum et triginta seu quadraginta libr. turon. praefato abbati per Rmum defunctum debite et quittantia illius de praedicta summa in praesenti diffinitione facta, in plenaria, *etc.*

83. Permittitur abbatissae et conventui monasterii Sanctae Hoyldae celebrare festum divae Margaritae, cum duobus missis et XII lectionibus, usque ad aliam Rmi vel Capituli generalis dispositionem, in plenaria. etc.

CITATIO

84. Primo abbati aut religioso nostri Ordinis in sacro presbyteratus ordine constituto, in virtute salutaris obedientiae praecipitur, alii vero non nobis subdito supplicatur, quatinus super hoc primo requisitus citet peremptorie et personaliter ad proxime futurum generale Capitulum, fratrem Ioannem Galechet, quon dam abbatem de Elancio, responsurum ad ea quae ex parte promotoris causarum, et domini Igniaci vel sui procuratoris, dicto promotori adiuncti, fuerint proposita, sub poenis et censuris Ordinis, in plenaria, *etc.*

* * *

85. Et quoniam in dies emergunt seu emergere possunt varia Ordinis negotia, quae longius differre nequeant, ne aliqua ea de causa maneant indecisa in grave monasteriorum et personarum dispendium, praesens generale Capitulum pro huiusmodi negotiis in Ordine emergentibus auctoritatem ipsius Capituli generalis priori Cistercii pro tempore existenti committit, ea tamen conditione, quod si aliqua difficillima emerserint, praesertim concernentia commune bonum Ordinis, consulere non omittat dominos quatuor primos ; et hoc usque ad pacificam Rmi domini possessionem et administrationem, in plenaria, *etc.*

86. Usque ad Rmi seu Capituli generalis aliam dispositionem solventur dispendia portarii collegii Parisiis consueta super redditus dicti collegii, in plenaria, *etc.* [d]

---

[d] *P² add.* : Sic signatum : Franciscus Le Roy, abbas de Loco Dei, Marcus abbas Bellaevallis.

LITTERAE AD IMPERATOREM

87. Serenissime Caesar semper Auguste, praemissis supplici commendatione cum orationibus et aliis quibuscumque obsequiis. — Quandoquidem nota est universis vestrae invictissimae Maiestatis aequitas, nos humillimi vestri oratores totius Cisterciensis Ordinis abbates, et hoc praesenti anno in Capitulo generali congregati, cum fiducia rogamus et supplicamus, dignemini officiariis vestris iubere, quatinus quidam nomine Petrus Quechal, antehac monasterii vestri de Populeto abbas, postmodum tamen exigentibus suis operibus pessimis, depositus, et in castro vestro Setabis obclusus ea qua valebunt diligentia custodiatur, alioquin nempe in magnam dicti monasterii ac religionis tam christianae quam monasticae iacturam foret eius egressus. Non aspernabitur generosissima vestra Maiestas per quam humilem supplicationem nostram, quinimo, ut speramus, ipsi gratiam, favorem et solitum auxilium praestabit, quam Omnipotens Deus serenissimam et invictissimam feliciter ac longaeve conservet, deprecamur iugiter. Ex diffinitorio Capituli generalis in Cistercio celebrati anno Domini 1541. — Humillimi supplicesque oratores vestri Diffinitores generalis Capituli Cisterciensis. — Serenissimae et Invictissimae Maiestati Caesareae.

EXCUSATI A PRAESENTI CAPITULO GENERALI

88. Abbates de Gratia Dei, s. th. pr., de Lococrescenti, de Villari, de Loco S. Bernardi, de Molinis, de Alna, de Aceyo, de Charoloco, s. th. pr., de Clarofonte, de Bullione, de Caheriis, de Iardineto, de Lucella, de Signiaco, de Valle clara, de Populeto, de Sanctis Crucibus, de Oliva, de Petra.

* * *

89. Quia propter agendorum multiplicitatem, *etc. ut in anno* 1506, *n*° 30.

1542

A) Ordinatio praesentis Capituli generalis anno Domini 1542.

Diffinitores : de **Cistercio**, s. th. pr., de Igniaco, de Miratorio, de Albaripa, de Valleclara, monasteriorum abbates ; loco domini de **Firmitate**, de Belloprato, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Sancto Sebastiano, de Lococrescenti, de Cheminione, monasteriorum abbates ; de **Pontigniaco**, de Quinciaco, de Palatio, de de Monte Sanctae Mariae, de Marcilliaco, monasteriorum abbates ; de **Claravalle**, de Septem fontibus, de Aceyo, de Frigidomonte de Caladia, monasteriorum abbates ; de **Morimundo**, de Bellavalle, de Insula Barrensi, de Theoloco, de Bithania, monasteriorum abbates.

Confessores : de Belloprato, s. th. pr., monasterii abbas ; magistri Ioannes et Petrus, de Prulliaco et de Fonteneto monasteriorum religiosi, s. th. pr.

Receptores excusationum : de Cheminione, de Aceyo, monasteriorum abbates.

Magistri caeremoniarum : de Morimundo, de Frigidomonte, monasteriorum abbates ; prior et subprior Cistercii.

Notarii abbates : de Septem fontibus, de Bellevalle, monasteriorum abbates.

Auditores computationum : de Cheminione, de Aceyo, monasteriorum abbates ; bursarius Cistercii, et quos voluerit Rmus nominare.

Promotor causarum : magister Ioannes de Longovado, s. th. pr.

Portarius diffinitorii : magister Iacobus, Cistercii professus, s. th. pr.

Notarii ad pedes : fratres Ioannes de Divione, Hugo de Trevorchio, Cistercii professi.

* * *

B) Nomina abbatum Capituli generalis huius praesentis anni 1542. — Reverendissimus dominus abbas Cisterciensis, s. th. pr.,

1542. *Fontes* : *L*[7] : A, B, 1-64 ; *P*[2] : 1, 7, 8, 9.

D. de Pontigniaco, D. de Claravalle, D. de Morimundo, de Belloprato, s. th. pr., de Longovillari, s. th. pr., de Sancto Sebastiano, de Cheminione, de Igniaco, de Albaripa, de Miratorio, de Septem fontibus, de Bellavalle, de Valleclara, de Aceyo, de Monte Sanctae Mariae, de Lococrescenti, de Quinciaco, de Frigidomonte, de Bithania, de Theoloco, de Palatio, de Marcilliaco, de Caladia, de Vallibus Cernay.

* * *

Anno [a] Domini millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, octava mensis maii, in Capitulo generali apud Cistercium celebrato, statuta sunt et diffinita quae sequuntur.

ORATIONES

1. Primo [b], pro sanctissimo ... etc.
2. Praeterea pro serenissimo ... etc.
3. Insuper pro burgensibus ... etc.
4. Ceterum pro pace ... etc.
5. Demum pro felicis ... etc.

DIFFINITIONES GENERALES

6. Nos, frater Ioannes, abbas Cistercii in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores ... *etc.* et est talis : Cum totus Ordo noster *etc.* necnon in summa ... (*locuus vacuus)* approbamus, confirmamus quousque simus certiores summae... pro resta computationum generalis Capituli ... etc.

7. Cum per Summorum Pontificum constitutiones et Ordinis diffinitiones iam amplissime sit constitutum et ordinatum, visitationes monasteriorum haberi quotannis per patres abbates, vel in defectu illorum per Rmi nostri seu generalis Capituli commissarios, hoc denuo renovans praesens generale Capitulum perpendens illos curam animarum gerere debere, pro quibus Dominus noster Iesus passus est et sanguis eius pretiosus effusus, ordinat, praecipit, diffinit, quatinus maiori viligantia et diligentia, fiant in posterum praefatae visitationes per dictos patres abbates,

---

[a] *Titulus apud L*[7]. [b] Sub Paulo 3... *etc.* : *P*[2].

vel commissarios ab ultimo Capitulo seu a Rmo nostro deputatos, seu ab ipso deputandos. Quibus quidem patribus abbatibus seu commissariis tenebuntur rationem reddere religiosi monasteriorum commendatorum de parte eis concessa pro victu necessaria, qui ordinabunt quod necessarium et utile videbunt super resta, si aliqua fuerit.

8. Quoniam, testante apostolo, tempora mala sunt et his, pro dolor ! vigent in non paucis christianitatis partibus varii errores, tum contra fidem, praecipue contra omni ex parte venerandum et sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, ut maior fidelium devotio habeatur, excitetur et augeatur, praesens generale Capitulum renovans diffinitiones praecedentibus annis super hoc habitas, denuo et de novo iniungit, iubet et praecipit omnibus abbatibus, prioribus et ceteris regularibus personis, feria quinta, si illa vacaverit, celebrari missa maior conventualis de ipso venerabili Sacramento, cum versiculis, collectis et ceteris pertinentibus et inter levandum corpus Domini cantabitur *O salutaris hostia etc.* in plenaria, *etc.*

9. Diebus his, pro dolor ! multos nostrorum effrenata libertatis aviditas eo impulit, ut qui studii gratia ad celebres praesertim Parisiorum academias destinantur, spretis Summorum Pontificum ac nostri generalis Capituli statutis, ad saecularia hospitia, neglecto religioso nostro S. Bernardi collegio, confugiant, malentes evagando libere promissae obedientiae seras effringere, quam in religiosa domo bonorum morum ac litterarum cum fratribus frugem percipere. Quocirca praesens generale Capitulum desiderans in posterum licentiosae suorum inobedientiae et animarum iacturae providere, Rmi D. Cisterciensis aut Capituli generalis in Francia commissario, necnon provisori dicti collegii, et eorum cuilibet districtius iniungit et praecipit, quatinus cum omni qua poterint diligentia, praedictos in saecularibus collegiis aut hospitiis commorantes omnibus iuridicis viis ad ingressum et hospitium dicti nostri collegii compellant, aut a praedictae urbis expellant incolatu [c].

10. Conturbatam a multis hoc tempore nostrae religionis pacem, quam dotatam pluribus Sanctae Sedis Apostolicae privilegiis tutam, quietamque patres nostri reliquerunt, volens prae-

[c] *P² add.* : Sic sign. de Sommeryse abbas Septem fontium, Marcus abbas Bellaevallis.

sens generale Capitulum per eorum vestigia ad pristinae quietis firmitatem reducere, et per rivos ab eo quo coepit fonte refrigerii soliti consequi puritatem, Rmo domino cardinali a Trivultiis, Ordinis in Curia protectori et benefactori magnificentissimo apud Sanctam Sedem, dirigendas esse litteras decernit, ut eius suffragio concessa iam privilegia confirmentur, et pro patribus filii pari devotione Domino servire in posterum mereantur.

11. Concitam a triennalibus Ordinis unitatem, cum, teste apostolo, unitatem in vinculo pacis servare sollicite... etc., debeamus, et incautos malignus ille hostis generis humani saepe decipiat, quos a suorum consortio semotos per semitarum devia sentit aberrare, praesens generale Capitulum praecavens ac timens triennalia Ordinis monasteria tam in capite quam membris ubique per universum orbem christianum longe lateque diffusa, dissoluto debitae charitatis vinculo periculose discindi, omnibus et singulis Ordinis commissariis in quorum partibus sita sunt praedictorum triennalium monasteria, districte iniungit et praecipit, quatinus eorumdem triennalium abbates quos iam prioribus generalibus Capitulis citari decernit, iterum ad proximum generale Capitulum citent, et pro viribus ad sanctae obedientiae debitum reducere procurent.

12. Diffinitiones in novissimis duobus Capitulis praeteritis factas anni 1540 et anni 1541, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

DIFFINITIONES SPECIALES

13. Audita mala conversatione et scandalosa abbatissae monasterii de Loco ... humiliter praesens generale Capitulum rogat Rmum nostrum super illius vita et moribus se debite informare, et ut animabus Deo dicatis consulatur, ac ceteris cedat in exemplum contra illam, ut res expostulabit, procedere, prout iuris viderit et rationis actitandum, in plenaria, *etc.*

14. Ad requisitionem Rmi nostri, et perpendens praesens generale Capitulum beneficia sibi, matri nostrae Cisterciensi, et toti Ordini illate, per generosissimum et illustrissimum dominum Philippum Chabot, totius regni Galliae admiraldo, et Burgundiae ducatus gubernatore, et protectore nostro semper potentissimo et benignissimo illum, suamque castissimam et nobilissimam uxorem, eorum progeniem, omnium piorum quae in Ordine fiunt

suffragiorum, eleemosinarum, ieiuniorum, hospitalitatum, poenitentiarum, laborum, contemplationum, disciplinarum, ceterorumque divini cultus officiorum, participes illos efficit et declarat, in plenaria, *etc.*

15. Generale Capitulum debite informatum abbates et commendatarios, monasteriis Ordinis nostri in Tholosana provincia praesidentes, usque adeo bonarum litterarum studia neglexisse, ut ne ulli quidem vel paucissimi monasteriorum suorum monachi in celeberrimis nostris S. Bernardi apud Parisios aut Tholosam collegiis inveniantur et studeant, sciens praeterea multorum relaxationem et querimoniam, commandatarium abbatem monasterii de Grandisylva omnes collegii nostri S. Bernardi in Tholosa annuos fructus et redditus levare et percipere, quibus idem collegium manuteneri et conservari ac magistri regentes et ceterorum quorum interest stipendia secundum canonicum *Benedictinae* decretum et Ordinis statuta persolvi debent, priori de Bolbona, s. th. pr., de cuius filiali in Ordinem observantia plenissime confidit, committit et iniungit, quatinus praedictos abbates et commendatarios ad dictum collegium alterum mittendos et in eis instituendos et educandos, praenominatum pariter Grandisylvae commendatarium ad stipendia debite dicto magistro regenti ceterisque in dicto nostro collegio Tholosano studentibus quorum interest persolvenda secundum *Benedictinae* et Ordinis statuta per omnes iuris et iustitiae vias invite, cogat et compellat, in plenaria, *etc.*

TRACTATUUM CONFIRMATIONES ET INQUISITIONES

16. Contractum inter dominum abbatem et conventum de Claravalle ex una, et Nicolaum Largentier, civem Trecensem, ex altera partibus, super quadam domo in via de Croucel Trecis sita, initum et passatum, prout in litteris quibus praesentes annectuntur plenius continetur, visa informatione per abbatem de Bullencuria in Trecensi dioecesi, a generali Capitulo deputatum debite facta, et ad eius relationem praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

17. Idem, pro Edmundo Largentier de Trecis, pro simili domo.

18. Idem, pro Agnete Le Tartier, relicta Petri Largentier, pro simili domo.

19. Abbatibus de Quinciaco, de Pietate et de Bullencuria, et

eorum cuilibet in solidum praesens generale Capitulum committit, ut diligenter inquirant de tractatu inito et transacto inter abbatem et conventum monasterii de Claravalle ex una, et Lupum seu Lupinum Le Tartier, civem Trecensem, ex altera partibus, cui quidem contractui nostrae praesentes annectuntur, et ut fideliter referant in proximo generali Capitulo super illius confirmatione vel infirmatione, prout iuris erit et rationis, in plenaria, *etc.*

20. Idem, pro Nicolao Le Tartier, cive Trecensi.

21. Contractum inter dictos abbatem et conventum monasterii de Claravalle ex una et Guillermum Rogier de Dintavilla ex altera partibus, prout in litteris quibus praesentes annectuntur plenius continetur, praesens generale Capitulum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

22. Viso contractu et escambio, signato Brossequin, anno Domini 1541, inito et passato inter abbatem et conventum monasterii de Callovio, in Bituricensi dioecesi, et nobiles magistrum Henricum Mareschal, dominum de Corbet, ac Ioannam de Gauvay eius uxorem, super stagno et molendino de Ragnon, dictis nobilibus pro 50 libris turon. annui redditus perpetui relicto et dimisso, duabus litteris admodiationis seu locationis ad firmam per praedictos abbatem et conventum factis, et dictis stagno et molendino pro dictis videlicet turon. singulis annis et dimidio quaterano seu duodecim carpas cum media, quoties dictum stagnum expiscaretur persolvendis ; una de data decimi noni februarii anni Domini 1518, et altera de quinta martii praedicti certa sive lata per Baillivum Montisfalconis, sive eius locumtenentem de data decimae diei mensis maii anno Domini 1540, per quam ordinatum fuit quod dictum stagnum aqua demitteretur, sive dictum stagnum ita abbreviaretur, ut in tali abbreviatione, quod quaedam lata via regia tendens a Biturigine civitate ad urbem Charitatis, et certum pratum, vocatum Lepertuis des rochers, inundata aquis dicti stagni discoperiretur, et in sicco permaneret.

23. Visa pariter informatione super commodo vel incommodo dicti contractus debite facta per fratrem Nicolaum Guérin, s. th.pr., a domino abbate de Pontigniaco, dicti monasterii de Callovio patre abbate immediato, ad hoc specialiter commissum, et eiusdem contractus per dictum abbatem de Pontigniaco confirmatione, de qua constitit, ac multis aliis titulis et documentis, quibus amplior facta est fides, praesens generale Capitulum ad

relationem praedicti abbatis et conventus de Callovio, iam dictum contractum seu excambium cum dicti domini abbatis confirmatione, quem dicto monasterio utilem reperit esse et commodum ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

24. Contractum inter Rmum D. cardinalem, abbatem commendatarium et conventum monasterii de Vallelucenti, in Senonensi dioecesi, ex una, et nobilem virum Iacobum de Bereville ex altera partibus, initum et passatum, super grangia medietaria de Biemaes, prout in litteris super eo confectis plenius continetur, visa informatione super eius commodo vel incommodo per abbatem de Quinciaco, a generali Capitulo deputatum, rite et legitime facta, tamquam monasterio utilem et commodum, praesens generale Capitulum ratificat, *etc.*

25. Item, contractum inter abbatem et conventum monasterii de Vallelucenti ex una, et nobilem virum Iacobum de Bereville ex altera partibus, initum et passatum, super traditione ducentorum arpentorum bonae terrae sitae in dominio de Serilly.

26. Item, alium contractum inter dictos abbatem et conventum de Vallelucenti ex una, et dictum de Bereville ex altera partibus, initum super promissione aedificandi unum molendinum super rivo de Serilly, subtus antiquum molendinum ibidem aedificatum.

27. Item, contractum inter dictos de Vallelucenti ex una, et domicellam Thomasse de Bereville, Iacobum Robertum et Cleriadum, Petrum et Theobaldum de Bereville, Ioannem Bigot et Franciscum Bongars ad causam suarum uxorum ex altera, initum super promissione faciendi unum molendinum in dicto rivo de Serilly, subtus alium molendinum antiquum.

28. Item, contractum initum inter abbatem et conventum Vallislucentis ex una, et dictum de Bereville ex altera, super traditione unius peciae terrae continentis centum arpenta terrae, sitae in territorio de Fournauldin, in loco dicto le Vieux Vergier.

29. Item, contractum initum inter Rmum D. cardinalem, abbatem commendatarium, et conventum monasterii de Vallelucenti ex una, et Nicolaum Pierre de Villanova archiepiscopi ex altera, super traditione medietariae seu grangiae d'Arnumtores et pertinentiarum eiusdem.

30. Item, contractum initum inter abbatem et conventum Vallis lucentis ex una, et Nicolaum Pierre de Villanova archiepiscopi, super traditione unius plateae et antiquae masurae, sitae

in loco de dicta Villanova, tenentis ex uno butto vico qui dicitur la rue du Four, ex altero butto vico qui dicitur la rue Pavée.

31. Item, contractum initum inter dictum Rmum D. cardinalem abbatem commendatarium Vallislucentis ex una, et nobilem virum Petrum de Machault scutiferum, super traditione terrarum de loco dicto le Mol de Poissy, et unius domus sitae in urbe Trecensi in vico qui dicitur la rue des Forges.

32. Item, contractum initum inter Rmum D. cardinalem, abbatem commendatarium et conventum Vallislucentis ex una, et Laurentium Palene, Anthonium, Desiderium et Ioannem Les Blanchotz, Eligium Besier, Ioannem de Treilles, et eorum consortes ex altera, super traditione terrarum de locis dictis Lyvanne Rougemont, Cournvault et Château Hicton.

33. Item, alium contractum initum inter dictum Rmum cardinalem et conventum Vallislucentis ex una, et Ioannem de Treilles scutiferum, super traditione terrarum de locis dictis Steylli et Vault Julames.

34. Item, contractum initum inter dictos Rmum et conventum Vallislucentis ex una, et Blasium Lorrain ex altera, super traditione unius saltus molendini in dominio et terragio villae de Corgenay.

35. Contractum initum inter dominum abbatem et conventum Pontigniaci ex una, et Nicolaum Dalenroz, civem Antissiodorensem, super traditione medietariae de Fouchières.

36. Contractum inter eosdem de Pontigniaco hinc, et Nicolaum Berthier, civem et maiorem Noeriensem, super traditione terragii dicti Lebuisson, prope Noerias inde.

37. Contractum initum inter abbatem et conventum Quinciaci hinc, et Benignum ac Ioannem les Langueraulx fratres, apud medietariam de Toutyfault, a dicto monasterio Quinciaci dependentem commorantes, de traditione dictae grangiae, commissarii abbates de Pontigniaco, de Marciliaco et de Lesiniis et eorum quilibet.

38. Commissio ad inquirendum et referendum super contractu inito inter abbatem et conventum Pontigniaci ex una, et Ioannem Lemoyne, super molendino de Fricanvault, commissarius abbas de Quinciaco solus.

39. Item, contractum inter venerabilem fratrem Petrum Ramaille, s. th. pr. ex una, et venerabilem virum magistrum Redulphum ... ex altera partibus, initum et passatum die quarta mensis octobris anno Domini 1541.

40. Contractum inter commendatarium abbatem et conventum monasterii de Bellobecco ex una, et nobilem virum Claudium de Malleterre scutiferum ex altera partibus, initum et passatum anno Domini 1519, sexta die mensis augusti, in plenaria, *etc.*

41. Contractum inter abbatem commendatarium et conventum de Bellobecco ex una, et nobilem virum Claudium de Malleterre scutiferum ex altera, initum et passatum anno Domini 1541, decima octava die mensis aprilis, in plenaria, *etc.*

42. Contractum inter commendatarium abbatem et conventum monasterii de Bellobecco ex una, et nobilem virum Claudium de Malleterre scutiferum ex altera partibus initum et passatum anno Domini 1531, decima sexta die mensis maii, in plenaria, *etc.*

43. Ad relationem abbatis de Loco Dei a Capitulo generali deputati pro informatione facienda de commodo vel incommodo cuiusdam tractatus habiti et passati inter abbatem et conventum Frigidomontis ex una, et Florentium Le Vasser, Robert Lebel et Ludovicam eius uxorem partibus ex altera, super quadam firma de Maulregard dependente ab ipso monasterio Frigidomontis, cui contractui praesentes annectuntur, praesens generale Capitulum illum affirmat et approbat, in plenaria, *etc.*

44. Contractum seu locationem ad tempus per magistrum Petrum Ramaille, s. th. pr., et provisorem collegii nostri S. Bernardi Parisiensis, et magistrum Ioannem Legrand, eiusdem collegii procuratorem, Petro Balagny et suis haeredibus factum, prout in litteris quibus praesentes annectuntur plenius continetur, praesens generale Capitulum ad relationem abbatis de Belloprato, s. th. pr., ratificat, approbat et confirmat, in plenaria, *etc.*

CONFIRMATIO PROVISIONIS

45. Visis provisionibus SS. Patris D. N. D. Pauli, divina Providentia Papae III, super expeditione bullarum in forma coadiutoriae concessarum fratri Marco Cussemenet, abbati de Bellavalle super monasterio de Roseriis, in diocesi Bisuntina, praesens generale Capitulum cum ea qua decuit reverentia et humilitate gratas et acceptissimas habet, in plenaria, *etc.*

COMMISSIONES AD VISITANDUM

46. Cum ex debitae visitationis officio totius religionis vigor et forma conservetur, ne in his modernorum temporum discri-

minibus nostri praedicti Ordinis decor penitus obscuretur, praesens generale Capitulum nonnullos in diversis regionibus duxit vsisitatores deputandos, inter quos dominum abbatem de Morimundo in dioecesibus et provinciis Coloniensi, Trevirensi et Lugdunensi in Delphinatu et provincia Provinciae, necnon in ducatu Lotharingiae, Barri et Sabaudiae una cum his, quae sunt in comitatu Burgundiae in dioecesibus et provinciis Bituricensi, Turonensi, totiusque Pictaviae ac etiam dioecesi Coloniensi destinavit, ei committens et iniungens, quatinus omnia et singula utriusque sexus monasteria in praedictis provinciis, patriis et dioecesibus constituta, quam citius poterit, visitet, dans idem Capitulum generale praefato domino de Morimundo potestatem et auctoritatem in ipsis monasteriis in spiritualibus et temporabilus, in capitibus et in membris, reformandi, corrigendi, emendandi, instituendi et destituendi, omnia et singula, quaecumque secundum apostolica et nostri praedicti Ordinis statuta, in foro conscientiae et exteriori iudicaverit reformanda, corrigenda et emendanda, instituenda et destituenda, in plenaria praedicti Ordinis potestate. Datum, *etc.*

47. Ad idem, pro domino de Claravalle pro provinciis Bituricensi et Turonensi, totaque Pictavia, ac etiam dioecesi Santonensi.

48. Ad idem, pro abbate de Veterimonte pro monasteriis totius Germaniae et illorum contributionibus, et in suo robore remanentibus concessis per Rmum nostrum nunc existentem.

49. Exigunt probi mores tui, quibus apud venerabilem coabbatem nostrum de Longovillari, s. th. pr., non parum commendatus, ut et ipsum in tua commendatione sequamur adducti, et eius testimonio, operam tuam in vinea Domini exercere decernamus. Hinc est quod de tua probitate, providentia, religionis zelo, et in rebus agendis solerti diligentia confidentes, tibi tenore praesentium damus auctoritatem, potestatem et mandatum speciale, in spiritualibus universos et singulos excessus, defectus, errores et delicta omnium et singularum personarum regularium dicti monasterii nostri de Longovillari emendandi, corrigendi, puniendi, rebelles excommunicandi, incarcerandi, et ad alia monasteria secundum salubria Ordinis instituta transferendi, invocato ad praemissa, si opus sit, brachii saecularis auxilio et favore, in plenaria, *etc.*

50. Similiter concessum supradicto fratri pro monasterio de Sylva Melonis.

IUDICES

51. Ad humilem requisitionem abbatum de Caladia et de Cheminione asserentum varios processus olim inter esse habitos super quadam obligatione summae 50 libr. quotannis persolvendae per dictum de Chiminione dicto de Caladia, praesens generale Capitulum committit R. de Claravalle ad, praefatis processibus finem imponendo, iudicandum inter illos terminandum, sententiamque diffinitivam ferendum, in plenaria, *etc.*

52. Praesens generale Capitulum volens piissimi illius pastoris sequi vestigia, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto ovem perditam secutus est, atque ad gregem reportavit, abbati de Bocheto fratrem Ioannem de la Vaure contritum, et ad fratrum suorum gremium sub debitae obedientiae observantia reverti cupientem, salva Ordinis disciplina, benigne et misericorditer recipiendum remittit, abbatibus de Monte petroso, Ordinis in eadem provincia commissario, et de Septem fontibus, et eorum cuilibet districtius iniungendo, quatinus si dictum abbatem de Bocheto supradictum fratrem recipere recusantem compererint seu compererit, vocatis et auditis hinc inde partibus, faciant seu faciat quod iuris viderint seu viderit esse et rationis, et iterum ad providendum dicto fratri de alio monasterio cogant seu cogat, et compellant seu compellat, in plenaria, *etc.*

REHABILITATIO

53. Frater Ioannes, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, ceterique Diffinitores Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, sorori Rosinae de Radingat, monasterii de Parco dominarum prope Crespianum moniali, salutem et religiosae conversationis servare puritatem. Quoniam pia mater charitas vitae emendationem promittentibus benignae indulgentiae beneficium denegare non solet, ad instantiam abbatis de Frigidomonte, qui te, suadente diabolo, contagium carnis, puerperio bis inde secuto, incidisse et iniunctam poenitentiam humiliter peregisse, atque emendationis propositum habere significavit, tibi virtutis exercendae materiam tribuere volentes, tenore praesentium te ab omni irregularitatis et inhabilitatis labe aliisque sententiis et poenis, quas praemissorum occasione ex praedicti Ordinis nostri statutis et diffinitionibus quomodolibet incurristi, misericorditer absolvimus, et ad omnes

gradus, actus, voces et officia praedicti Ordinis nostri, abbatiali etiam dignitate inclusa, rehabilitamus, inhibentes omnibus dicti nostri Ordinis personis, ne tibi super his aliquid improperare praesumant, in plenaria, *etc.*

SUFFRAGIA

54. Frater Ioannes, abbas Cistercii, in Cabilonensi dioecesi, totusque conventus abbatum Capituli generalis Cisterciensis Ordinis, generoso et militissimo comiti domino Philippo Chabot, tum Franciae illustrissimo admiraldo, tum totius Burgundiae gubernatori sapientissimo, necnon gratiosissimae dominae dominae Franciscae de Longwi, eius consorti castissimae, nostrae matris Cisterciensis ac totius eiusdem Ordinis nobilissimis protectoribus, salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quamvis divinae charitatis lege ad intercedendum pro omnibus generaliter obligemur, pro illis tamen multo singularius astringimur, qui nobis et Ordini nostro necnon locis et personis regularibus pia humanitate affici dignoscuntur, et potissimum pro vobis qui erga matrem nostram Cistercium tantum exhibuistis et favoris et benevolentiae, ut inter Scyllam et Caribdim pene naufragium iam patientem reduxeritis ad optatissimum salutis portum. Exigente igitur piae devotionis affectu, vobis concedimus et visceraliter impertimur communicationem plenissimam et omnimodam participationem omnium bonorum spiritualium, videlicet missarum, *etc.*

55. Frater Ioannes, abbas Cistercii, etc. nobili viro Ludovico de Bresches, ac eius inclytae uxori Anthonettae de Tarnant, suisque liberis, salutem et sanctae devotionis suffragium salutare. Quamvis divinae charitatis lege, *etc.* ut supra.

56. Idem factum est pro domino de Civry (relicto nomine eius in albo).

57. Idem factum est pro nobili viro, domino Ioanne de Iucey.

* * *

58. Nos, *etc.* ad supplicationem religiosorum monasterii de Bonavalle, in Ruthenensi dioecesi, praesens generale Capitulum permittit illis celebrare diem festivum ... *(locus vacuus)* cum duabus missis et XII lectionibus, in plenaria, *etc.*

LITTERAE MISSIVAE REGI CHRISTIANISSIMO

59. Sire, nous ne saurions jamais suffisamment remercier votre très chrétienne et très noble Majesté du grand bien et honneur, qu'elle nous a fait de nous pourvoir pour chef d'un pasteur tel qu'est votre très humble et très obéissant subject et serviteur, votre abbé de Cisteaux, et pour ce qui nous a donné entendre, qui se déliberoit vous aler faire le devoir d'obéissance. Nous vous supplions, Sire, ainsi qui vous a pleu pourveoir au chef, il vous plaise aussi impartir votre benigne grace pour le corps de la manutenance de l'estat universel de votre ordre de Cisteaux, qui est en bien grand danger de bientôt partir, si ne vous plaist en continuant votre singulière bonté luy aider, ainsy que vous porra declarer, si vous plaist l'escouter, notre Père abbé, par lequel Sire, nous vous offrons tant les prières générales de l'ordre, que en particulier d'un chaqu'un supplians le Createur vouloir maintenir votre très chrétienne Majesté avec tout très noble sang en très bonne et très longue prospérité. — Subscriptio : Vos très fidèles et très obéissants chapelains et orateurs les Diffiniteurs du chapitre général de votre ordre de Cisteaux ; et superscriptio : Au Roy.

60. Très honoré Seigneur, les membres seroient ingrats si ne recognoissoient le bien fait à leur chef, par quoy, nous vos pauvres orateurs et chapelains représentans le chapitre général de Cisteaux étans advertis par notre très révérend père abbé qu'il aloit à la court pour faire la révérence au Roy et à vous, l'avons prié de vous supplier que, comme vous estes montré vray protecteur du chef, il vous plaise aussi vouloir prendre la protection du corps entier, qui est le chapitre général de tout l'ordre, et pour aulcune congnoissance de si grand bien, qui vous a pleu nous faire, outre les prières et suffrages de la congrégation de l'Ordre auxquels nous avons associé vous et toute votre noble famille, nous vous offrons les prières en particulier d'un chacun de nous et de nos maisons, vous supplians croire très honoré Seigneur, si pouvions faire davantage, le ferions de très bon cœur ; ce scait le Créateur. — Subscriptio : Vos très humbles et très obéissans chapelains et orateurs, les Diffiniteurs du chappitre général de votre ordre de Cisteaux. — Et superscriptio : A Monseigneur, Monseigneur Cardinal ... *(locus vacuus)*

61. Reverendissime in Christo pater ac domine, de vestra in religiosos homines humanitate et benevolentia per dilectum nostrum Ioannem de Gaigny, monasterii de Longovillari, Ordinis nostri, abbatem commendatarium, certiores effecti de eiusdem nostri Ordinis negotiis iam pene, nisi Dei in primis ac virorum bonorum auxilio succurratur, deploratis hoc confidentius ad vestram Paternitatem scripsimus, quod eiusdem Ordinis nostri Ioyacense monasterium nostrum obtinet, atque utinam multos haberet vestrae Paternitatis similes Ordo noster administratores, hoc est et religionis christianae studiosissimos, et regularis disciplinae observantissimos, non cogeremur ad virorum bonorum et dignitate atque auctoritate valentium, qualis est vestra Paternitas, imploranda suffragia, sed quoniam Deo ita visum est, vel nostris fortasse demeritis vel explorandorum fidelium gratia Ecclesiae suae navim agitare nihil iam loci superest refugio, nisi in implorando ipsius auxilio, eorumque gratia quos Ecclesiae suae praeesse voluit, atque in primis SS. D. N. Papae, qui iam prope iuvandam Ordinis nostri disciplinam fulcire, et collabentem postet erigere, apud eum vero, eiusque Datarium quum non minuta valeat auctoritate et gratia vestra Paternitas, ac prope diem Romam proficisci decreverit, utique per eumdem dilectum nostrum abbatem a Longovillari intelleximus Reverendissimam Paternitatem vestram in Iesu Christo, supplices obsecramus uti de nostris rebus per eumdem nostro nomine intelligere dignetur, eisque quantas maximas suppetias poterit afferre, qua in re praeterquam quod viri boni efficere iuncta Dei gratia, inibi uniuscuiusque et singulorum nostri Ordinis preces promerebitur, quas quantulumcumque apud Deum valere possunt, vestrae Paternitati lubenter offerimus. Bene vale in Christo, Reverendissime Pater ac Domine. — Et subscriptio : Reverendissimo domino, domino cardinali de Gaddis.

62. Humillima et supplici commendatione praemissa, Rme Pater, erubesceremus vacui Excellentiae vestrae supplices has destinare litteras, nisi et nostrum Cisterciensem Ordinem sumus residui aut comperta esset, aut miserenda desolatio, neque enim in regno hoc commendarum, quae pene omnia Ordinis nostri monasteria occuparunt, pernicies, neque apud exteros sectarum, bellorumque discrimina, vestro quidquam dignum beneficio, et antiqua nostra unitate praedictum et hactenus facere promiserit, imo omnibus pene exuti gratiis processuum litibus impliciti pau-

cissimi vix primam privilegiorum nostrorum umbram sentire valemus; quae si integra, firmaque vestro favore haberemus, quemadmodum venerabili coabbati et procuratori nostro abbati Sancti Sebastiani vestrae Reverentiae plenius exponendum et supplicandum commissimus, et temeritati nostrae factum satis esset, ut Rmae Paternitati vestrae et sollicitum praestare officium et debitam reddere gratitudinem possemus adiutore Deo, qui Rmam Dominationem vestram prosperam longaevamque conservet. Ex diffinitorio nostro Cisterciensi, octava mensis maii.

EXCUSATIONES

63. Sequuntur abbates qui fuerunt hoc anno a Capitulo generali excusati. — Abbas de Roseriis, s. th. pr., de Pietate, de Bullencuria, de Monte petroso, de Strata, de Bullione, de Clarofonte, de Charoloco, s. th. pr., abbates Normanniae.

64. Quoniam propter agendorum multiplicitatem... *etc. ut in anno* 1506 *n*° 30.

INDEX

INTRODUCTIO VII

Anni 1491 Statuta 1
» 1492 Statuta 31
» 1493 Statuta 60
» 1494 Statuta 75
» 1495 Statuta 97
» 1496 Statuta 122
» 1497 Statuta 156
» 1498 Statuta 194
» 1499 Statuta 197
» 1500 Statuta 227
» 1501 Statuta 244
» 1502 Statuta 262
» 1503 Statuta 285
» 1504 Statuta 304
» 1506 Statuta 320
» 1507 Statuta 333
» 1508 Statuta 350
» 1509 Statuta 367
» 1510 Statuta 374
» 1511 Statuta 395
» 1512 Statuta 416
» 1513 Statuta 433
» 1514 Statuta 453
» 1515 Statuta 468
» 1516 Statuta 495
» 1517 Statuta 509
» 1518 Statuta 525
» 1520 Statuta 546
» 1521 Statuta 573
» 1522 Statuta 591
» 1523 Statuta 600

Anni 1524 Statuta 612
» 1526 Statuta 625
» 1527 Statuta 644
» 1529 Statuta 659
» 1530 Statuta 674
» 1531 Statuta 691
» 1533 Statuta 708
» 1534 Statuta 720
» 1535 Statuta 728
» 1540 Statuta 742
» 1541 Statuta 757
» 1542 Statuta 774

INDICES NOMINUM ET RERUM IN FINE TOTIUS OPERIS PRODIBUNT

IMP. J. DUCULOT, GEMBLOUX (BELGIQUE).

BIBLIOTHECA DOMUS GENERALITIAE S. ORDINIS CISTERCIENSIS 0136